Quæ jura a lege sunt, auctor sibi reservat.

H436

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AUCTORE

R. P. J. HERRMANN

CONGR. SS. REDEMPTORIS

VOLUMEN TERTIUM

CONTINENS

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE ET IN SPECIE

DE NOVISSIMIS

ET

INDICES GENERALES



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA PACIS PHILIPPI CUGGIANI

Vico *della Pace* Num. 35

1897

265

APPROBATIO

Cum opus, cui titulus *Institutiones Theologiæ Dogmaticæ*, a P. JOANNE HERRMANN nostræ Congregationis sacerdote conscriptum, duo ejusdem Congregationis theologi, quibus id commisimus, recognoverint atque in lucem edi posse censeant, libenter facultatem concedimus, ut illud typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita visum fuerit.

Datum Romae, die 15 Octobris 1896,
festo Sanctæ Teresiæ Virginis.

L ✠ S MATHIAS RAUS, CONGR. SS. RED.
Sup. Gen. et Rect. Maj.

TRACTATUS OCTAVUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.[1]

Conspectus generalis.

CAP. I. Notio et existentia Sacramentorum.
- V. 1. Notio.
- V. 2. Existentia.

CAP. II. Natura Sacramentorum.

CAP. III. Causæ et subjectum Sacramentorum.
- A. 1. Causa instituens.
- A. 2. Minister.
  - § 1. Persona.
  - § 2. Fides et probitas.
  - § 3. Intentio.
- A. 3. Subjectum.

CAP. IV. Causalitas et effectus Sacramentorum.
- A. 1. Efficacia.
- A. 2. Gratia.
- A. 3. Character.

APPENDIX. De Sacramentalibus.

[1] **Auctores consulendi:** *S. Thomas,* P. III, q. 60 et seq. — *S. Alphonsus,* Mor., l. VI, n. 1 et seq.; Cont. hær., Sess. VII, art. 1. — *Contenson.* — *Isambert.* — *Bellarmin.* — *Tolet.* — *Salmanticenses.* — *De Lugo.* — *Nugno.* — *Gotti.* — *Gibbon.* — *Franzelin.* — *De Augustinis.* — *Tournely.* — Catechismus Rom., P. II, c. 1. — *Maderni.* — *Gonet,* Clyp. — *Marc,* Instit., de Sacr.

INTRODUCTIO.

1427. — Christus Redemptor, in cruce moriens, salutis et redemptionis nostræ pretium abunde solvit, atque gratiarum locupletissimam præparavit copiam, quibus Dei filii constitui æternamque hæreditatem adipisci possimus.

Hæc salutifera sua dona Deus multis mirisque modis communicare potest atque communicat. Divina tamen revelatione constat, præcipuam gratiarum effusionem per signa quædam fieri sensibilia, quæ Christus instituit, et in quibus salutiferam passionis suæ virtutem quasi recondidit. Hæc signa *sacramenta* vocantur, « per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur », ut loquitur Tridentinum, *Sess. VII, procem.* Disserendum est igitur de sacramentis, et primo quidem de sacramentis in genere; deinde de quolibet sacramento in specie.

1428. — **Instrumenta theologica de sacramentis.** — Cum multa sint, quæ Scriptura Sacra de sacramentis non tam explicite tradat, in tractatu de sacramentis forsan magis quam in aliis theologiæ partibus, innitendum est traditione.

Instrumenta *traditionalia* sunt SS. Patrum scripta, libri liturgici, ritualia latina, et euchologia græca. Instrumenta vero *canonica* et *decretoria* duo præsertim existunt: Decretum scilicet Concilii Florentini, sub Eugenio IV, anno 1439, pro instructione Armenorum editum; et definitiones Concilii Tridentini, Sess. VII, XIII, XIV, XXI, XXII, XXIII, et XXIV. — Pro tractatu de sacramentis in genere, cf. Trident., Sess. VII.

Divisio tractatus. — Tradita generali notione de sacramentis, quatuor sunt ex ordine inquirenda, scilicet: *an sint* sacramenta, *quid sint*, *quænam sit eorum causa*, et *quinam eorum effectus*. Agemus igitur in Cap. I. de notione atque existentia sacramentorum; in II. de eorum natura; in III. de eorum causis; in IV. de eorumdem causalitate et effectibus.

CAPUT I.

DE SACRAMENTORUM NOTIONE ATQUE EXISTENTIA.

Duo in hoc capite præstanda sunt: 1. tradenda est notio sacramenti; 2. probandum est aliqua in Ecclesia catholica existere sacramenta.

ARTICULUS I.

DE SACRAMENTI NOTIONE [1].

1429. — Nominis significatio. — Vox illa *sacramentum*, vi nominis, aliquid sacrum denotat; et ab auctoribus cum sacris tum profanis in varias accipitur significationes. Accipitur: *a) pro juramento*, præsertim quo milites olim sese militiæ ad patriæ defensionem adscribebant; — *b) pro re secreta*, quo sensu legimus (Tob. XIII, 7): *Sacramentum regis abscondere bonum est:* — *c) pro mysteriis*, quæ in sancta nostra religione credenda nobis proponuntur; quo sensu Apostolus Incarnationem Verbi sacramentum vocat, (I Tim. III, 16): *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne;* — *d)* pro signo rei sacræ et occultæ, (Apoc. XVII, 7): *Ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestiæ.*

Proprie tamen et prout a theologis sumitur, sacramentum accipitur *pro signo rei sacræ* quatenus est sanctificans hominem: quo in sensu de sacramentis nunc loquimur.

1430. — Definitio. — Sacramentum stricte sumptum, a S. Thoma definitur: *Signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.* Hæc definitio est generica, atque sacramentis tam Veteris quam Novi Testamenti communis.

Sacramentum vero Novæ Legis definitur: *Signum sensibile, sacrum, permanens interioris gratiæ, institutum a*

[1] Cf. *Catech. rom.*, P. II, c. I; S. Th. P. III, q. 60.

Christo ad nostram sanctificationem. (S. Alph., Mor., l. VI, n. 2).

Explicatur definitio: Sacramentum.

Dicitur: *Signum*, id est, « res, quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire », ut loquitur *S. Augustinus, (De Doct. Chr., l. II, c. 1).* Sic, v. gr., in baptismo ablutio corporis interiorem animæ purificationem denotat.

Dicitur: signum *sensibile*, res scilicet quæ aliquo sensu exteriori perceptibilis est, sive per se, ut ablutio in baptismate; sive ratione alicujus adjuncti, sicut in matrimonio consensus conjugum, qui per externa signa innotescit.

Dicitur: signum *sacrum*, tum ratione *sui*, quia est res seu cæremonia ex se ad cultum Dei ordinata; tum ratione *rei significatæ*, quæ est interior animæ sanctitas.

Dicitur: signum *permanens*, quod ex fixa et stabili lege tamdiu permanere debet, quamdiu permanet ipsa religio.

Interioris gratiæ, essentiale est enim omni sacramento gratiam sanctificantem et interiorem hominis sanctitatem significare. Unde Tridentinum *(Sess. XIII, c. 3)* sacramentum definit: *Symbolum rei sacræ, et invisibilis gratiæ visibilis forma.*

Quæ hactenus de definitione explicata fuere, genus exhibent sacramentorum, et sacramentis Vet. et Novæ Legis communia sunt. Quæ in definitione adduntur, differentiam specificam exhibent, qua sacramenta nostra a sacramentis Legis antiquæ distinguuntur.

Dicitur: *institutum a Christo*, tum ad indicandum auctorem sacramentorum, qui est Verbum incarnatum; tum ad innuendum, signa, quæ sunt sacramenta, non esse signa naturalia, quæ natura sua vim habent gratiam significandi; sed esse signa arbitraria, a libera Christi voluntate ad hoc electa. In Lege Veteri sacramenta utique erant signa a Deo determinata, sive per instinctum interiorem, ut in lege naturæ, sive per proprie dictam revelationem, ut in lege mosaica; ast in lege evangelica, sacramenta auctorem immediatum habent Christum, Deum Hominem, ut fusius infra dicetur. *(N. 1451).*

Demum additur: *ad nostram sanctificationem*, non solum demonstrandam, significandam, sed infundendam, procurandam, et ex opere operato conferendam. Quocirca sacramentum N. L. apte definiri potest; *Signum practicum gratiæ;* vel: *Symbolum causativum gratiæ.*

Hæc ultima definitionis verba propriam exhibent differentiam, quæ inter sacramenta Legis christianæ et Legis Veteris intercedit. Sacramenta vetera solam justitiam legalem ex opere operato conferebant, interiorem vero manifestabant quidem, ast per se non conferebant, erant *infirma et egena elementa*, (Gal. IV, 9); Novæ Legis sacramenta interiorem gratiam significant, et ex opere operato conferunt. « Illa enim, *inquit Concil. Florentinum, (Decr. pro Arm.).* non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt. ».

1431. — Requisita ad sacramentum Novæ Legis. — Ex data definitione colligitur, tria ad Novæ Legis sacramentum constituendum requiri et sufficere, nimirum ut sit: 1. signum externum; 2. signum a Christo permanenter institutum; 3. signum practicum gratiæ, seu ad sanctificandum homines.

Omnis igitur ritus sacer, in quo hæc tria, sive ex S. Scripturis sive ex traditione, adesse comperiuntur, tanquam sacramentum est venerandus; ritus vero, in quo vel una desideratur conditio, sacramentum dici nequit. Sic, v. gr., *lotio pedum*, quia non est signum practicum gratiæ; vel *sacramentalia*, ut aqua benedicta, cineres capiti impositi, etc., cum sint ex institutione ecclesiastica, et signa non sint practica gratiæ, sacramenta censeri nequeunt.

1432. — Quæritur. *Utrum sacramenta unam tantum rem significent.*

Resp. Sacramenta ad plura significanda esse instituta. « Jam vero hisce mysticis signis, *inquit Catech. rom.*, quæ a Domino instituta sunt, illud etiam præcipue convenit, ut ex Domini institutione non unam aliquam rem, sed plures simul significent. Quod in singulis sacramentis licet cognoscere, quæ non solum sanctitatem et justitiam nostram, sed præterea duo alia cum ipsa sanctitate maxime conjuncta declarant, Christi scilicet Redemptoris passionem, quæ sanc-

titatis causa est, et vitam æternam, cœlestemque beatitudinem, ad quam sanctitas nostra tanquam ad finem referri debet. » *(P. II, c. I, n. 12).*

Enimvero, *ut ait S. Th.*, « Sacramentum dicitur quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem, in qua tria possunt considerari: videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi; et forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia et virtutibus; et ultimus finis sanctificationis nostræ, qui est vita æterna. Et hæc omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est et signum rememorativum ejus quod præcessit, scilicet passionis Christi; et demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ; et prognosticum, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ. » *(P. III, q. 60, a. 3).*

Hæc tria de *Baptismo* in Scripturis clare indicantur. Legimus (Rom. VI, 4, 5): *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*, en signum rememorativum passionis; — *ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus*, en signum demonstrativum gratiæ; — *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus*, en signum prognosticum gloriæ.

Ex *Joan. VI*, et *I Cor. II*, eadem tria colliguntur pro *Eucharistia*, de qua canit Ecclesia: *Recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

Quæ tria etiam in sacramentis Vet. Legis significabantur; cum hoc tamen discrimine, quod nostra sacramenta sunt signa rememorativa Christi et passionis ejus jam peractæ; antiqua vero præfigurabant Christum venturum; nec antiqua erant signa ita clara et perfecta Christi passionis, interioris gratiæ hominis et futuræ gloriæ, sicuti sunt nostra sacramenta.

ARTICULUS II.

DE SACRAMENTORUM EXISTENTIA.

1433. — Errores [1]. — Nulla prorsus in Nova Lege existere sacramenta docuerunt antiquiores quidam hæretici, ut *Gnostici*, sæc. III; *Pauliniani*, sæc. VII; *Cathari*, sæc. XII; *Fraticelli*, sæc. XIV. — Alii non omnia, sed unum aliudve rejiciebant sacramentum, ut *Novatiani*, sæc. III, qui Pœnitentiam, et *Albigenses*, qui Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem et Extremam Unctionem e medio tollebant.

Sed notiores hæretici, qui contra septenarium sacramentorum numerum dimicarunt, sunt novatores sæculi XVI. *Lutherus* primo solum

[1] Cf Bellarm., *De Sacr.*, l. I, c. 1.

Baptismum admisit; deinde, mutata sententia, docuit tria esse sacramenta, scilicet Baptismum, cœnam et Pœnitentiam; denique, reformata denuo sententia, duo tantum admisit: Baptismum et cœnam. — *Zwinglius* et *Calvinus* duo servant: Baptismum et cœnam. — Recentiores protestantes necnon et Anglicani, (exceptis Ritualistis, qui septem agnoscunt), duo tantum recipiunt sacramenta: Baptismum et cœnam.

1434. — Prop. I. *In lege evangelica septem, nec plura nec pauciora existunt sacramenta, scilicet: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium* [1].

De fide. ex Florentino, decr. pro Arm., in quo legimus: « Novæ Legis septem sunt sacramenta; videlicet Baptismus, Confirmatio, etc. » — Et ex Trident., Sess. VII, can. 1: « Si quis dixerit sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo, Domino nostro, instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Ex S. Scripturis non obscure colligitur, septem a Christo Domino fuisse instituta signa, seu ritus sacros, quæ gratiam producant. Legimus:

De Baptismo, (Joan. III, 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

De Confirmatione, (Act. VIII, 15, 17): *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum... Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.*

De Eucharistia, (Matth. XXVI, 26): *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum.* — (Luc. XXII, 19): *Hoc facite in meam commemorationem.*

De Pœnitentia, (Joan. XX, 23): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.*

De Extrema Unctione, (Jac. V, 14): *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, un-*

[1] Cf. Franzelin, *De Sacr.*, thes. 18.

gentes eum oleo in nomine Domini... et si in peccatis sit, remittentur ei.

De Ordine, (I Tim. IV, 14): *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.*

De Matrimonio, (Eph. V, 31): *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ... Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*

Qui Scripturæ textus, si in se seorsim a traditione considerentur, utique non invicte probant in quolibet ex his ritibus omnia inveniri, quæ ad sacramentum constituendum necessaria sunt; ast, cum ipsos unanimis et constans Ecclesiæ traditio de sacramentis intelligat, una cum traditione absolutum et irrefragabile de existentia septenarii numeri Sacramentorum subministrant argumentum.

II. **Ex Traditione.** Septenarius sacramentorum numerus traditione manifeste commendatur.

a) Collective citantur septem sacramenta, non solum ab omnibus scholasticis, qui a sæculo XII de re theologica tractarunt, sed etiam ab eodem sæculo XII in constitutionibus synodicis referuntur. Citantur in constitutionibus synodicis *Odonis Parisiensis*, anno 1197; in formula fidei ab *Innocentio III* Waldensibus proposita, an. 1210 [1]; in *Concilio Londinensi*, an. 1237; in *Claramontano*, an. 1268; in *Lugdunensi II*, an. 1274 [2].

In catechesi *S. Ottonis, episc. Bambergensis*, circa an. 1127, legimus: « Ista ergo septem sacramenta quæ iterum vestri causa enumerare licet, Baptismum, Confirmationem, infirmorum Unctionem, Eucharistiam, lapsorum reconciliationem, Conjugium et Ordines per nos humiles suos paranymphos sponsus cœlestis in arrham veræ dilectionis vobis Ecclesiæ suæ transmittere dignatus est [3]. »

b) A S. Patribus septem sacramenta collective nunquam citantur; verum singula a diversis asseruntur.

[1] Denzing., n. 370. — [2] Denzing., n. 388. — [3] Apud Franzel., p. 259.

De Baptismo et Eucharistia omnes loquuntur Patres, ut protestantes ultro fatentur.

De Confirmatione loquuntur S. Dionysius Areopagita *(De cœlesti hier., c. II, et IV)*; S. Cyrillus Hier., *(in suis catechesibus)*; Tertullianus; S. Cyprianus, qui de Baptismo et Unctione chrismatis loquens, ait: « Tunc demum plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur. » *(Ep., l. II, ep. 1, alias 122).*

De Pœnitentia plures loquuntur, inter quos Tertullianus, *(De Pœnit.)*; S. Ambrosius, *(De Pœnit., l. I, c. 7)*; et omnes, qui contra Montanistas scripserunt (sæc. II). De ea legimus apud S. Hieronymum: « Quod scriptum est: *et sanguis Jesu emundat nos ab omni peccato*, tam in confessione Baptismatis, quam in clementia Pœnitudinis accipiendum est ». *(Cont. Pelag., l. II).*

De Extrema Unctione plures loquuntur, inter quos S. Victor Antiochenus; S. Chrysostomus; S. Innocentius I *(Ep. ad Decent., c. 8)*. — De ea agens, ait *Origines:* « In quo impletur et illud quod Jacobus Apostolus dicit: *Si quis autem infirmatur*, etc. » *(Hom. II, in Levit., n. 4).*

De Ordine testes habemus S. Cyprianum, *(De op. cardin. Christi)*, S. Hieronymum, *(Adv. Lucif., n. 11)*, S. Epiphanium, et quotquot contra Donatistas pugnaverunt (sæc. IV). De eo tractans *S. Augustinus*, inquit: « Ipsi explicent quomodo sacramentum baptizati non possit amitti, et sacramentum ordinati possit amitti. Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? » *(Cont. ep. Parmen., l. II, c. 13).*

De Matrimonio tanquam de re sacra loquuntur S. Ignatius Mart., Tertullianus, S. Justinus. De eo loquens, ait *S. Augustinus:* « In nostratum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti quam fecunditas uteri. » *(De bono conjug., c. XVIII, n. 21).*

Constat igitur ex unanimi traditione, doctrinam de septenario sacramentorum numero in Ecclesia semper viguisse. Sed, *ut ait S. Augustinus:* « Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi

auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.» *(Cont. Donat., l. IV. c. 24, n. 31).*

III. **Ex Præscriptione.** Quando sæculo XVI exorti sunt protestantes, Ecclesia erat in tranquilla possessione doctrinæ de septenario sacramentorum numero, ut ex dictis constat. Sed jure præscriptionis, qui re quadam tranquille utitur, ab ea deturbari nequit, nisi certo titulo probetur rem ab eo injuste fuisse occupatam. Ut igitur doctrina de septenario sacramentorum numero falsa dici queat, argumento evidenti demonstrari debet, Ecclesiam aliqua admisisse sacramenta, quæ non a Christo, sed ab hominibus fuerint instituta: quod protestantes demonstrare neque potuerunt, nec unquam poterunt. Equidem:

a) Ecclesia in rebus fidei infallibilitate gaudet, ut in tractatu de Ecclesia probatum est *(n. 249)*. Non potuit igitur errare in materia tanti momenti, qualis est sacramentorum institutio. — Sed cum istud argumentum, apodicticum pro catholicis, nullius aut parvi sit ponderis contra protestantes, qui Ecclesiæ infallibilitatem non agnoscunt, alia via contra eos probandum est errorem fuisse impossibilem. Unde:

b) Concedunt protestantes, Ecclesiam tribus, imo quinque prioribus sæculis ab omni errore puram remansisse: ac proinde eo tempore nullum admisisse sacramentum, quod ab ipso Domino non fuerit institutum. Sed, eo elapso tempore, novi sacramenti institutio evasit impossibilis. Etenim:

Labente sæculo V, plures a Romana Ecclesia separatæ sunt Ecclesiæ particulares, ut Coptica, Jacobita, Armeniana; quæ hodie adhuc existunt, et in numerum sacramentorum cum Ecclesia romana conspirant.

Sæculo IX, a Romana scissa est Ecclesia Græca, quæ eadem confitetur septem sacramenta, ut ex ejus euchologiis constat, et imprimis ex responsione a *Jeremia*, Patriarcha Constantinopolitano, an. 1576 data protestantibus, qui Græcos ad suos errores trahere conati sunt.

Jamvero si a tempore separationis istarum Ecclesiarum novum introductum fuisset sacramentum, hoc institutum fuisset vel a sectis dissidentibus, quo in casu Ecclesia Romana illud

certe non recepisset propter odium, quo hæreses prosequitur; vel ab Ecclesia Romana, quo in casu Ecclesiæ dissidentes propter zelum dissensus illud nunquam admississent, et Græci præsertim de tali innovatione Ecclesiam objurgare non omisissent. A tempore igitur schismatis ecclesiarum orientalium, omnis novi Sacramenti institutio fuit impossibilis.

IV. **Ratione convenientiæ.** «Cur autem neque plura neque pauciora numerentur (quam septem sacramenta), *inquit Catech. rom.*, ex iis etiam rebus, quæ per similitudinem a naturali vita ad spiritualem transferuntur, probabili quadam ratione ostendi poterit. Homini enim ad vivendum, vitamque conservandam et ex sua reique publicæ utilitate traducendam, hæc septem necessaria videntur, ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur; si in morbum incidat, sanetur; imbecillitas virium reficiatur; deinde, quod ad rem publicam attinet, ut magistratus nunquam desint, quorum auctoritate et imperio regatur; ac postremo legitima sobolis propagatione se ipsum et humanum genus conservet. Quæ omnia, quoniam vitæ illi, qua anima Deo vivit, respondere satis apparet, ex iis facile sacramentorum numerus colligetur.» *(P. II, c. I, n. 20).*

Et re quidem vera, sacramentorum «quinque prima, *ait Conc. Florentinum, decr. pro Arm.*, ad spiritualem uniuscujusque hominis in se ipso perfectionem; duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide; renati autem et roborati nutrimur divinæ Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam et corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam Unctionem; per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter; per Matrimonium corporaliter augetur» [1].

1435. — Prop. II. *Sacramentorum institutio non fuit absolute necessaria, fuit tamen convenientissima* [2]. — Certa.

Prob. I. Pars: *non fuit absolute necessaria.* — Illud non est absolute necessarium, sine quo Deus homines ad salutem deducere potuisset. Atqui potuisset Deus absque signis sen-

[1] Cf. S. Th., q. 65, a. 1; S. Alph., *Via mirab.*, P. II, c. 1, n. 6 et seq. — [2] Cf. S. Th., q. 61, a. 1; *Cont. Gent.*, l. IV, c. I, n. 14; Contenson, l. XI, P. I, diss. I, c. 1, spec. 2; Toletus, In q. 61, a. 1.

sibilibus homines sanctificare et ad salutis portum deducere. Sacramentorum igitur institutio non fuit absolute necessaria.

Prob. II. Pars: *fuit convenientissima.* — Tres rationes assignat Angelicus *(P. III, q. 61, a. 1):* 1. « Prima, *inquit,* sumenda est *ex conditione humanæ naturæ,* cujus proprium est, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur: pertinet autem ad divinam providentiam ut unicuique rei provideat secundum modum suæ conditionis; et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis, quæ sacramenta dicuntur. »

2. « Secunda ratio sumenda est *ex statu hominis,* qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit ut Deus per quædam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet; nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset, corporalibus deditus. »

3. « Tertia autem ratio sumenda est *ex studio actionis humanæ,* quæ præcipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dæmonum, vel qualitercumque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum. »

4. « Sed quarta etiam causa accedit, *inquit Catech. rom.,* cur sacramentorum institutio necessaria videri possit, ut scilicet notæ quædam et symbola essent, quibus fideles internoscerentur... Utrumque igitur præstant Novæ Legis sacramenta, quæ et christianæ fidei cultores ab infidelibus distinguunt, et ipsos fideles sancto quodam vinculo inter se connectunt. » *(C. I, n. 20).*

1436. — Prop. III. *Posita sacramentorum institutione, ipsa sunt homini ad salutem necessaria necessitate absoluta, licet non omnia singulis.*

De fide, contra protestantes, ex Trid., Sess. VII, can. 4: « Si quis dixerit, sacramenta Novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, A. S. »

Prob. Illud est ad salutem absolute necessarium, sine quo ex Christi institutione salus nullatenus obtineri potest. Atqui, ut infra longius dicetur ubi de sacramentis in specie sermo erit, ex Christi institutione aliqua sunt Novæ Legis sacramenta, sine quibus *re* aut *voto* susceptis, salutis consecutio prorsus impossibilis est: uti Baptismus pro omnibus; Pœnitentia pro relapsis in mortale. Quædam igitur sacramenta sunt ad salutem absolute necessaria.

1437. — Prop. IV. *Non omnia Novæ Legis sacramenta sunt dignitate paria; sed Eucharistia cæteris absolute præstat; cætera vero diversis sub respectibus sunt alia aliis potiora.*

De fide, quoad inæqualitatem sacramentorum in genere, ex Trid., Sess. VII, can. 3: « Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; A. S. » — *Certa*, quoad præstantiam Eucharistiæ supra alia sacramenta, ex Trid., Sess. VII, cap. 3.

Prob. I. Pars: *Eucharistia cæteris est absolute dignior.*

« Sacramentum Eucharistiæ est potissimum inter alia sacramenta, *inquit S. Th.* » *(Q. 65, a. 3)*. Quod apparet:

1. « Primo quidem *ex eo quod in eo continetur;* nam in sacramento Eucharistiæ continetur ipse Christus substantialiter; in aliis autem sacramentis continetur quædam virtus instrumentalis participata a Christo.

2. « Secundo hoc apparet *ex ordine sacramentorum ad invicem;* nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum, sicut ad finem. Manifestum est enim quod sacramentum Ordinis ordinatur ad Eucharistiæ consecrationem, sacramentum vero Baptismi ordinatur ad Eucharistiæ receptionem, in quo etiam perficitur aliquis per Confirmationem, ut non vereatur se subtrahere a tali sacramento; per Pœnitentiam etiam, et Extremam Unctionem præparatur homo ad digne

sumendum corpus Christi; Matrimonium etiam saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, cujus unitas per sacramentum Eucharistiæ figuratur. »

Prob. II. Pars: *Cætera sacramenta diversis sub respectibus sunt alia aliis potiora.*

Prob. Aliorum sacramentorum inter se comparatio institui potest vel *ratione necessitatis*, vel *ratione perfectionis*, vel *ratione effectus.*

1. Ratione necessitatis: *Baptismus* est aliis præstantior; quippe qui est omnibus hominibus absolute necessarius. — Secundum locum occupat *Pœnitentia*, quæ lapsis post Baptismum est absolute necessaria. — Tertium locum occupat *Ordo*, qui Ecclesiæ est necessarius, ut Rectores habere possit. — Alia vero sacramenta non sunt necessaria simpliciter, sed *secundum quid*, id est ad finem convenientius obtinendum: « nam Confirmatio quodammodo perficit Baptismum, Extrema Unctio Pœnitentiam; Matrimonium vero Ecclesiæ multitudinem per propagationem conservat. » *(S. Th., q. 65. a. 4).*

2. Ratione perfectionis: cæteris præstat *Ordo*, quo traditur expedita potestas ad consecrandum corpus Christi reale in SS. Eucharistiæ sacramento, et potestas radicalis in corpus Christi mysticum, qua videlicet disponantur fideles ad dignam Eucharistiæ susceptionem. *(Cf. Cont. Gent., l. IV, c. 74).*

3. Ratione effectus: ordo sacramentorum sumitur ex effectuum duratione et extensione. Cæteris præstant *Baptismus*, *Ordo* et *Confirmatio*, propter characterem, quem imprimunt. Primum locum obtinet *Baptismus*, propter effectus extensionem: infundit enim gratiam, et peccata omnia tum quoad reatum culpæ tum quoad reatum pœnæ tollit. — Secundum locum obtinet *Ordo* propter spiritualem potestatem, quam confert tam in corpus Christi reale quam in corpus Christi mysticum. — Tertium obtinet *Confirmatio*, cujus virtus in totam vitam influit. — Quartum ponitur *Matrimonium*, ob vinculum indissolubile quod inducit; deinde *Extrema Unctio*, cujus virtus eodem durante morbo perseverat.

1438. — Quæritur I. *Quomodo Novæ Legis sacramenta inter se distinguantur.*

Resp. Sacramenta pro variis eorum proprietatibus distinguuntur:

1. In *sacramenta mortuorum et sacramenta vivorum.* — *Sacramenta mortuorum* primo et per se ordinantur ad primam gratiam sanctificantem producendam; ipsa hominem spiritualiter mortuum in vitam gratiæ suscitant. Sunt *Baptismus* et *Pœnitentia.* — *Sacramenta vivorum* primo et per se ordinantur ad producendum gratiæ sanctificantis augmentum; suscipientem gratia jam vivificatum supponunt. Sunt alia quinque sacramenta.

2. In *sacramenta characteristica*, et *sacramenta simpliciter sanctificativa.* — *Characteristica* ea sunt, quæ characterem indelibilem imprimunt, eaque de causa iterari nequeunt. Vocantur etiam *initerabilia.* — *Simpliciter sanctificativa* ea sunt, quæ characterem non imprimunt, et sæpius possunt recipi. Vocantur etiam *iterabilia.*

3. In *sacramentum permanens in esse* et *sacramenta transeuntia.* — Sacramentum *permanens in esse* est sola Eucharistia, « quia consistit in re permanente, et sic corpus Christi post consecrationem existens sub speciebus panis est vere et proprie sacramentum, sive sumatur, sive in sacrario servetur. » *(S. Alph., Mor., l. VI, n. 190, 2).* — Alia sacramenta dicuntur *transeuntia*, quia tunc solum sunt sacramenta cum conficiuntur et applicantur.

4. In *sacramenta necessaria necessitate medii*, et *necessaria necessitate præcepti.* — *Necessaria necessitate medii* ea sunt, sine quibus *re* aut *voto* susceptis, salus nullatenus obtineri potest: cujusmodi sunt *Baptismus* pro omnibus; et *Pœnitentia* pro lapsis in mortale post susceptum Baptismum. — *Necessaria necessitate præcepti* ea sunt, sine quibus, si inculpabiliter omittuntur, salus obtineri potest; quales sunt Confirmatio et Extrema Unctio.

1439. — Quæritur II. *An in statu innocentiæ aliqua exstiterint sacramenta.*

Resp. In statu innocentiæ nullum de facto institutum fuisse sacramentum, communiter docent doctores cum S. Thoma. Talis enim institutionis nullum in Scripturis existit indicium; et cum status ille brevissimo tantum duraverit temporis spatio, non est credibile Deum perenni lege augustissima sanxisse sacramentorum mysteria, quæ scivit nulli unquam fore usui futura.

Præterea, *ut ait S. Th.:* «in statu innocentiæ ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt. Cujus ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, et nullo modo dependebant ab eis... Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquod corporale, quod fit in sacramentis. Et ideo in statu innocentiæ homo sacramentis non indigebat.» *(Q. 61, a. 2; cf. 4. Sent., D. 1, q. 1, a. 2, q. 2).*

An autem, si Adamus non peccasset et status innocentiæ perdurasset, aliqua fuissent instituta sacramenta, controvertitur. Nonnulli ex iis, qui cum Scoto Verbi Incarnationem admittunt, etiamsi Adamus non peccasset, docent in statu innocentiæ futura fuisse sacramenta. Ita etiam Suarez [1], Isambertus [2]. — Thomistæ e contra, et generatim qui docent futurum non fuisse ut Verbum incarnaretur, si Adamus non peccasset, freti auctoritate D. Thomæ supra allata, docent, in statu innocentiæ, si nulli Adæ posteri in peccatum cecidissent, nulla unquam instituta fuisse sacramenta. — An vero instituta fuissent, si qui ex Adæ posteris justitiam peccato amisissent, plane est ignotum [3].

1440. — Quæritur III. *An in lege naturæ ante datam circumcisionem aliqua instituta fuerint sacramenta* [4].

Resp. — I. Institutum fuisse in lege naturæ sacramentum, quod usque ad institutionem circumcisionis, et extra populum judaicum usque ad promulgationem Evangelii, vim habuit delendi peccatum originale, unanimis est auctorum sententia. «Credendum non est, *ait S. Augustinus*, ante datam circumcisionem famulos Dei (quandoquidem illis inerat Mediatoris fides) nullo ejus sacramento opitulatos esse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa, Scriptura sacra tacere voluerit.» *(Cont. Julian., l. V, c. 9).*

Cum enim Deus voluntatem habeat salvandi omnes homines, parvulis, qui proprii actus sunt incapaces, omni tempore parare debuit aliquod salutis medium, quod eis ab aliis applicaretur. Medium autem ab uno homine alteri convenienter et humano modo non applicatur,

[1] *De Sacr.*, Disp. III, sect. 3. — [2] In q. 61, Disp. I. — [3] Cf. Gonet, *Clyp., De Sacr.*, Disp. II, a. 1; Gibbon, *De Sacr.*, Disp. XXVII, dub. 2. — [4] Cf. Gonet, *Clyp., De Sacr.*, Disp. II, a. 2; Gibbon, Disp. XXVII, dub. 3; Isamb. In q. 61, disp. 2.

nisi operatione quâdam externa; quæ, cum sit res sensibilis, ad gratiam significandam et conferendam a Deo permanenter instituta, veram sacramenti rationem habuit.

Quodnam autem fuerit signum illud externum, nos latet, ut *ait S. Augustinus* supra citatus. « Probabile est, *ait S. Th.*, quod parentes fideles pro parvulis natis, et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei), sicut adulti pro seipsis preces et sacrificia offerebant. » *(P. III. q. 70, a. 4, ad 2).*

Hujus sacramenti vestigia quædam apud ethnicos reperiuntur in illis cæremoniis, quas ad modum purificationis circa pueros recenter natos adhibuerunt vel adhuc adhibent.

Ad necessitatem illius sacramenti quod attinet, docent auctores illud fuisse necessarium *necessitate medii,* ita ut parvuli, quibus *re* non fuerit applicatum, vel adulti, qui illud *re* aut *voto* non susceperint, justificationis gratiam et salutem nullatenus consequi potuerint.

2. Probabile est in lege naturæ aliquod etiam institutum fuisse sacramentum ad delenda peccata actualia. « Ante legem scriptam, *ait S. Th.*, erant quædam sacramenta necessitatis, sicut illud fidei sacramentum quod ordinabatur ad deletionem peccati originalis, et similiter pœnitentia, quæ ordinabatur ad deletionem actualis. » *(4. Sent., D. 1, q. 1, a. 2, q. 2).*

1441. — Quæritur IV. *An in lege mosaica fuerint sacramenta instituta.*

Resp. Sacramenta quædam in lege mosaica exstitisse, plane colligitur ex Conc. Florentino, decr. pro Arm., dicente: « *quæ multum differunt a sacramentis antiquæ legis* », et ex Trid., Sess. VII, can. 2. — Et quidem, ut *ait S. August.*, plura erant sacramenta in lege scripta quam in lege gratiæ: « Sacramenta veteris legis, *inquit,* ablata sunt, quia impleta; et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu facilióra, et numero pauciora. » *(Cont. Faust., l. XIX, c. 13).*

S. Thomas sacramenta Veteris Legis ad quatuor classes reducit, quæ totidem sacramentis novæ Legis respondent. « Circumcisioni, *inquit,* respondet Baptismus, qui est fidei sacramentum... Convivio vero agni paschalis respondet in nova lege sacramentum Eucharistiæ. Omnibus autem purificationibus veteris legis respondet in nova lege sacramentum Pœnitentiæ. Consecrationi autem pontificis et sacerdotum respondet sacramentum Ordinis. Sacramento autem Confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiæ, non potest respondere in veteri lege aliquod sacramentum; quia nondum advenerat tempus plenitudinis, eo quod *neminem ad perfectum adduxit lex.* (Hebr. VII, 19). Similiter autem et sacramento Extremæ Unctionis, quæ est quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus non-

dum patebat in veteri lege, pretio nondum soluto. Matrimonium fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ, non autem prout est sacramentum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, quæ nondum erat facta.» *(1. 2, q. 102, a. 5, ad 3).*

Præter prædicta sacramenta, aliud adhuc in synagoga exstitit sacramentum in remedium peccati originalis pro masculis, qui ante diem octavum moriebantur, et quibus circumcisio dari non erat concessum; necnon pro puellis, quæ circumcisionis erant incapaces. Istud sacramentum necessitatis pro parvulis illis probabiliter idem fuit ac sacramentum, quod in lege naturæ ad delendum peccatum originale ordinatum erat.

CAPUT II.

DE SACRAMENTORUM NATURA.

1442. — Cognita sacramentorum existentia, de eorumdem natura, seu intrinseca constitutione, agendum est.

Quodlibet novæ legis sacramentum est compositum quoddam morale, duabus partibus essentialiter constans, *rebus* scilicet et *verbis*, quæ a theologis et ab ipsa Ecclesia *materia* et *forma* dici consueverunt.

Res, agendo de sacramentis, intelliguntur tum res corporeæ physice in rerum natura existentes, ut aqua in Baptismate, chrisma in Confirmatione; tum actiones humanæ sive externæ, ut ablutio in Baptismate, sive internæ sed signo aliquo sensibili manifestatæ, ut actus pœnitentis in Pœnitentia.

Verba intelliguntur tum verba proprie dicta, voce prolata, tum verba *æquivalenter*, ut est nutus, quo aliquis positæ quæstioni respondet.

Materia in genere vocatur *id ex quo aliquid fit;* est scilicet ens quoddam ex natura sua indeterminatum, quod ab alio perfici et determinari indiget.

Forma vero dicitur *id quo aliquid fit*, quo scilicet aliud perficitur, et ad esse specificum determinatur. Ens vero, quod ex unione formæ cum materia exsurgit, *compositum* vocatur. Sic, v. gr., marmor, quod est de se indifferens ad multa, per formam Mercurii, quam sculptor ei imprimit, determinatur

ad esse statuæ Mercurii: et ipsa statua est essentialiter quoddam compositum, ex materia nempe, marmore scilicet, et forma, figura scilicet Mercurii.

Cum igitur in sacramentis, ex una parte, res sensibiles ex natura sua non significent effectum sacramentorum, sed indeterminate se habeant ad multa significanda, ut manifestum est de aqua: cum ex altera parte, res sensibiles verbis perficiantur ad significandum effectum sacramenti, ideirco ipsæ res recte vocantur *materia*, verba vero *forma*, et sacramentum apte vocatur *compositum* ex materia et forma. « Ex verbis et rebus, *ait S. Th.*, fit quodammodo unum in sacramentis, sicut forma et materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum. » *(Q. 60, a. 6, ad 2).*

1443. — Prop. *Omnia Novæ Legis sacramenta essentialiter constant ex rebus et verbis tanquam materia et forma.*

De fide, ex Florentino, decr. pro Arm., in quo, enumeratis septem sacramentis, additur: « Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur: videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Ex Scripturis Sacris manifeste colligitur, (ut infra constabit quando sermo erit de sacramentis in specie), pro quolibet sacramento sive explicite sive implicite a Christo Domino res et verba fuisse indicata. « Apostolus, *inquit Catech. rom.*, utrumque aperte indicavit, quum inquit: *Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* (Eph. V, 25, 26). Quo in loco materia et forma sacramenti exprimitur. » *(C. I, n. 15).*

II. **Ex Traditione et universali Ecclesiæ praxi.** Omni tempore et ubique terrarum omnes Ecclesiæ in sacramentorum administratione rebus usæ sunt et verbis, tanquam partibus essentialibus.

S. Patres et theologi unanimiter semper docuerunt, sacramenta rebus et verbis necessario constare. Celebre est illud *S. Augustini* testimonium: « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. » *(Tract. 80 in Joan.)*

Qua in re cum Ecclesia Latina consentit Græca, *teste Jeremia Patriarcha Constantinopolitano,* qui in sua responsione ad protestantes ait: « Omnia sacramenta definitam materiam et formam habent: ut Baptismi materia est aqua, forma verba sacerdotis, etc. »

Nec obstat quod determinatæ sacramentorum formæ in scriptis Patrum non reperiantur. Lege enim secreti, quæ priscis Ecclesiæ temporibus viguit, vetitum erat verba sacramentorum scriptis mandare, ne in irrisionem infidelium cederent. « Invocationes perfectivas, *inquit S. Dionysius Areop.,* nefas est scripto interpretari, et arcanum earum sensum virtutesque quas Deus in iis operatur, in publicum efferre; sed, ut nostra sancta traditio docet, eas ex secretioribus instructionibus hauries. » *(De Hierarch. Eccl., c. 1).*

III. **Ex Ratione convenientiæ.** *a)* Requiri in sacramentis elementum materiale, per se manifestum est. Sunt enim signa hominibus exhibita ad invisibilem gratiam significandam; sed hominibus non possent esse signa, nisi rebus sensibilibus constarent.

b) Convenienter a Christo addita fuisse verba, ex eo constat quod verba sunt signa perfectissima. « Addenda autem erant verba ad materiam, *ait Catech. rom.,* ut apertior clariorque rei, quæ gerebatur, significatio fieret. Verba enim inter omnia signa maximam vim habere perspicuum est, ac, si ipsa desint, plane obscurum erit, quidnam materia sacramentorum designet ac demonstret. » *(P. II, c. 1, n. 16).* Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis omnino conveniens fuit, rerum sensibilium significationem per verba determinari.

NB. A Florentino supra citato, et a Tridentino, Sess. XIII, cap. 3, *res* dicuntur *tanquam, quasi,* materia; *et S. Th. (q. 60, a. 7),* ait: « Verba se habent *per modum formæ,* res autem sensibiles *per modum materiæ* », ad indicandum scilicet, compositum sacramentale, quod est compositum morale a libera Christi voluntate institutum, non habere cum composito naturali omnimodam et perfectam similitudinem, sed tantum quamdam analogiam.

1444. — Corollarium. Cum sacramentum essentialiter duabus partibus componatur, et quælibet mutatio in essentia mutet speciem, sequitur, quamlibet mutationem essentialem tam in forma quam in materia impedire quin ponatur sacramentum. Si vero, salva formæ et materiæ essentia, accidentalis quædam in eis fiat mutatio, salvatur sacramentum. « Si mutetur substantialiter materia, *inquit S. Alph.*, nempe applicetur vinum pro aqua, vel mutetur forma, nempe si verba non habeant eumdem sensum,... invalidum est sacramentum. Secus si mutatio est accidentalis, scilicet si aqua sit calida, aut decocta, etc. » *(Exam. Ord., c. I, n. 7).*

1445. Quæritur I. *Quotuplex distinguitur sacramentorum materia.*

Resp. Sacramentorum materia multiplex distinguitur. Datur: 1 Materia *remota* et *proxima*. — *Remota* est ipsa res sensibilis præexistens, quæ vel in sacramento adhibetur, vel circa quam actio sacramentalis exercetur; v. gr., aqua in Baptismo. — *Proxima* est ipsamet applicatio seu usus materiæ remotæ in actione sacramentali, v. gr., ablutio in Baptismo.

2. Materia *essentialis* et *integralis*. — *Essentialis* ea est, quæ ad ipsam sacramenti essentiam pertinet, et, qua absente, non ponitur sacramentum; v. g., aqua vel ablutio in Baptismo. — *Integralis* ea est, quæ ad essentiam sacramenti non pertinet, sed est quasi complementum sacramenti in sua essentia jam existentis, v. gr., impletio satisfactionis in Pœnitentia.

3. Materia *certa* et *dubia*. — *Certa*, quam constat veram esse sacramenti materiam; *dubia*, de qua incertum est, an in ea conficiatur sacramentum.

4. Materia *invalida* et *illicita*. — *Invalida* dicitur, quæ substantialiter diversa est a materia ad sacramenti valorem requisita, ut, v. gr., si quis in Eucharistia loco vini sumeret aquam vel acetum. — *Illicita* est, quæ de se ad valorem sacramenti sufficit; sed, vel propter sacramenti honorem, aut Ecclesiæ prohibitionem, assumi non debet; sic, v. gr.,

mustum est valida quidem materia Eucharistiæ, sed illicita, propter honorem sacramenti; et panis fermentatus licet materia valida, apud Latinos tamen est illicita, propter Ecclesiæ prohibitionem.

1446. — Quæritur II. *Quænam requiritur unio materiam inter et formam ad sacramentum constituendum.*

Resp. Necessariam esse ad constituendum sacramentum unionem quamdam formam inter et materiam, ex iis patet, quæ supra dicta sunt *(n. 1443)*. Omne enim quod essentialiter ex pluribus coalescit, actu non constituitur nisi partium constitutivarum conjunctione; sicuti in omni composito naturali manifestum est.

Cum sacramenta sint signa, talis inter materiæ applicationem atque prolationem formæ debet intercedere conjunctio, quæ juxta consuetam et prudentem hominum æstimationem, spectata cujuslibet sacramenti natura, sufficiat, ut verba in talem materiam cadere, et unum cum ea totale signum constituere censeantur.

Dicitur: *spectata cujuslibet sacramenti natura*. Cum enim diversa sacramenta sint signa diversa, pro signorum diversitate diversa requiritur conjunctio inter formæ prolationem et applicationem materiæ.

In *S. Eucharistia, physica* requiritur conjunctio, cum pronomen demonstrativum *hoc* et *hic* non possit verificari nisi materia sit præsens.

In *Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione* et *Ordine*, sufficit conjunctio *moralis*, « scilicet ut materia applicetur antequam prolatio formæ terminetur, vel postquam prolatio formæ sit incœpta »[1]. Imo certum videtur sufficere ut forma proferatur immediate post applicationem materiæ[2].

Cum *Pœnitentia* sit actus judicialis, longior temporis mora, v. gr., unius horæ, inter accusationem et absolutionem intercedere potest.

[1] S. Alph., *Exam. Ord.*, c. I, 6. — [2] Cf. S. Alph., *Exam. Ord., loc. cit.*, et *Mor.*, l. VI, n. 9.

In *Matrimonio* ea tandem permittitur mora, quæ ordinarie permittitur in contractibus, ubi satis est consensum cuius poni dum consensus alterius adhuc moraliter perseverat.

1447. — Quæritur III. *An etiam in sacramentis Veteris Legis adfuerint forma et materia.*

Resp. *Negative.* In Lege Vet. sacramenta sola constabant materia: quapropter imperfectiora et obscuriora signa erant gratiæ et Christi quam sacramenta Novæ Legis. « In hoc autem, *inquit Catech. rom.*, nostra sacramenta antiquæ legis sacramentis plurimum præstant, quod in illis administrandis nulla, quod quidem acceperimus, definita forma servaretur; quo etiam fiebat, ut incerta admodum et obscura essent. » *(C. I, n. 17).*

1448. — Quæritur IV. *Quid in sacramentis Novæ Legis vocetur sacramentum tantum, res tantum, res et sacramentum* [1].

Resp. In sacramentis Novæ Legis, *sacramentum tantum* vocatur signum, seu compositum ex forma et materia, quod effectum sacramenti significat, et ab alio non significatur. — *Res tantum*, effectus sacramenti, seu gratia, quæ significatur et non significat. — *Res et sacramentum*, id quod significatur simulque aliud significat. — Quæ tria in Novæ Legis sacramentis theologi distinguere consueverunt; verum haec eadem tria difficile est pro quolibet sacramento assignare.

In *Baptismo, Confirmatione*, et *Ordine*, materia et forma sunt sacramentum tantum; gratia est res tantum; character vero, qui significatur et gratiam significat, sacramentum et res.

In *SS. Eucharistia*, species sunt sacramentum tantum, spiritualis refectio animæ per gratiam, res tantum; corpus Christi, quod a speciebus significatur gratiamque significat, sacramentum et res.

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, c. 6, n. 37 (T. 6, p. 342); Maderni, *De Sacr.*, q. I, a. 14 (T. 3, p. 239).

In Pœnitentia, confessio et absolutio sunt sacramentum tantum; quid autem sit sacramentum et res, disputatur. Probabile videtur esse dolorem de peccatis, qui per confessionem significatur et gratiam significat.

In *Extrema Unctione*, materia et forma sunt sacramentum tantum; hilaritas et mentis confortatio ad dolores sustinendos, qui significantur per materiam et formam, et gratiam significant, sunt, secundum probabilem sententiam, sacramentum et res.

In *Matrimonio*, verba contrahentium sunt sacramentum tantum; vinculum vero indissolubile est sacramentum et res, quia per sacramentum tantum significatur, et gratiam simul atque indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia significat.

CAPUT III.

DE SACRAMENTORUM CAUSIS ET SUBJECTO.

Causa sacramentorum alia est instituens, alia ministrans; et quia ministrans ordinem dicit ad eum qui sacramentum recipit, una cum causis agendum est etiam de subjecto. In I. igitur art. sermo erit de causa instituente; in II. de ministro; in III. de subjecto.

ARTICULUS I.

DE CAUSA INSTITUENTE SACRAMENTORUM [1].

1449. — Solum Deum propria auctoritate sacramenta instituere posse, plane manifestum est. Ille enim solus propria auctoritate sacramenta instituere valet, qui rebus sensibilibus virtutem conferendi gratiam concedere potest: hic autem solus est Deus.

[1] S. Th., q. 64; Franzelin, *De Sacr.*, th. 14.

Christus Dominus, præter potestatem auctoritatis, quam habet in quantum est Deus, respectu sacramentorum instituendorum potestatem habuit excellentiæ, in quantum est homo.

Potestas excellentiæ dicitur potestas ministerialis seu instrumentalis, sed instrumentalis principalis; et in hoc consistit quod, licet potestati superiori subsit ab eaque dependeat, ei tamen, cui inest, conveniat cum quadam prærogativa super alias causas. Hæc potestas soli Christo, secundum quod est homo, convenit; ratione enim unionis hypostaticæ humanitas Christi constituta est instrumentum divinitatis conjunctum, et ideo principale divinitatis instrumentum, a quo alii ministri, quidquid potestatis habent, participant.

Potestas excellentiæ Christi respectu sacramentorum, in his quatuor reponitur: 1. quod meritum et virtus passionis Christi applicantur in sacramentis atque per ea operantur; 2. quod in ejus nomine sacramenta sanctificantur et ministrantur; 3. quod Christus, quia dedit virtutem sacramentis, potuit sacramenta instituere; 4. quod sine sacramenti administratione, effectum sacramenti conferre potuit [1].

Hæc potestas excellentiæ, cum *in unione hypostatica* fundetur, Christo omnino propria est. Potuisset tamen Christus, sicut docet S. Th. [2], respectu sacramentorum instituendorum alicui puræ creaturæ suam potestatem excellentiæ communicare. — Potuisset etiam Ecclesiæ potestatem suam delegare, ipsique curam demandare eligendi ea signa sensibilia, quibus Deus virtutem producendi gratiam adnecteret.

Non agitamus igitur in hoc articulo quæstionem *juris:* a quo scilicet Novæ Legis sacramenta institui potuissent; sed quæstionem *facti:* a quo scilicet immediate instituta sint.

1450. — Nonnulli ex antiquioribus theologis docuerunt, non omnia sacramenta fuisse a Christo immediate instituta, sed quædam ab Ecclesia per potestatem a Christo acceptam. Extremam Unctionem ab Apostolis institutam fuisse putarunt Magister Sententiarum [3], Hugo

[1] S. Th., q. 63, a. 3. — [2] Q. 63, a. 4. — [3] 4. *Sent.*, D. 23, c. 2.

S. Victore [1], Alexander Alensis [2] et S. Bonaventura [3]. — Confirmationem vero, Alensis [4], et S. Bonaventura [5], in Concilio Meldensi, an. 845, institutam fuisse existimarunt; ea præsertim ratione ducti, quia series administrationis hujus sacramenti in eodem Concilio primo invenitur descripta.

1451. — Prop. *Omnia Novæ Legis sacramenta sunt a Christo immediate instituta* [6].

Christum instituisse omnia N. L. sacramenta, est *de fide*, ex Trid., Sess. VII, can. 1: « Si quis dixerit, sacramenta N. L. non fuisse omnia a Christo instituta; A. S. » — Christum instituisse *immediate* omnia N. L. sacramenta, quidam dicunt esse de fide; quidam vero negant, eo quod Tridentinum a verbulo *immediate* abstinuerit; dicunt tamen omnino temerarium fore post Tridentinum negare immediatam omnium sacramentorum a Christo institutionem.

Prob. I. **Ex Conc. Trid.** *a)* Affirmat Tridentinum, omnia N. L. sacramenta esse a Christo Domino instituta. Sed ex communi dicendi modo, ille dicitur alicujus rei institutor, qui per seipsum et immediate eam instituit. Unde et omnes theologi hæc Tridentini verba de immediata institutione intelligunt.

b) Agendo de quorumdam sacramentorum institutione in specie, ita loquitur Tridentinum, ut de sola immediata institutione intelligi queat. *De Pœnitentia* ait *(Sess. XIV, cap. 1):* « Dominus autem sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, etc. » — *De Ordine (Sess. XXII, can. 2):* « Si quis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem,* Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes, offerrent corpus et sanguinem suum; A. S. » — *De Extrema Unctione,* de qua præsertim adfuit dubitatio, ait *(Sess. XIV, c. 1)*: « Esse vere

[1] *De Sacr.*, l. II, P. 15, c. 2. — [2] *Summa*, P. IV, q. V, m. 2, a. 1, — [3] 4. *Sent.*, D. 7, a. 1, q. 1, et D. 23, a. 1, q. 2. — [4] P. IV, q. IX, m. 1. — [5] 4. *Sent.*, D. 7, a. 1, q. 4. — [6] Cf. De Augustinis *De Sacr.*, P. II, th. 10.

et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum. »

II. **Ex Script. S.** Ex Script. Sacris manifeste constat Christum immediate *Baptismum* (Matth. XXVIII, 19), *Ordinem* (Luc. XXII, 19), et *Pœnitentiam* (Joan. XX, 22), instituisse. — Et licet aliorum sacramentorum immediata institutio directe colligi non possit ex Scripturis, indirecte tamen, quamvis sat evidenter, ex verbis Apostolorum deducitur. Ait Apostolus (I Cor. IV, 1): *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Sed dispensatoris non est mysteria instituere, verum ejus, pro quo legatione fungitur, mysteria aliis dispensare.

III. **Ex Traditione.** S. Patres de *mediata* aut *immediata* sacramentorum institutione a Christo ne verbulum quidem protulerunt [1]; docuere tantum sacramenta esse a Christo instituta. « Auctor sacramentorum, *inquit S. Ambrosius*, quis est nisi Dominus Jesus Christus. » *(De Sacr., l. IV, c. 4).* — Et *S. Aug.:* « Ab ipsa Dei sapientia, homine assumpto a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta salubberrima constituta sunt. » *(De Vera relig., c. XVII, n. 33).*

IV. **Ex Ratione.** 1. Si Ecclesia a Domino potestatem accepisset quædam instituendi sacramenta, ipsa circa sacramentorum substantiam aliquid statuere aut mutare posset. Ast docet Trident., *Sess. XXI, cap. 2:* « Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse ut in sacramentorum dispensatione, *salva eorum substantia*, ea statueret vel mutaret quæ suscipientium utilitati... magis expedire judicaret. »

2. *Ex analogia cum lege mosaica.* In Lege veteri sacramenta fuerunt immediate a Deo instituta, et a Moyse promulgata solum, ut ex Exod. et Levit. manifestum est. Sed cum Novæ Legis sacramenta sint antiquioribus præstantiora, ideirco convenit omnino ut Deum etiam immediatum habeant auctorem.

3. *Ex œconomia religionis christianæ.* Christus in terris immediate et per seipsum novam instituit Ecclesiam, atque

[1] Cf. Druvenius, ap. Migne, *Curs. Compl.* T. XX, p. 1350.

per seipsum omnia, quæ ad essentiam suæ religionis pertinent, determinavit. Porro, omnia sacramenta sunt de essentia christiani cultus. Debuit igitur Christus omnia N. L. sacramenta immediate instituere [1].

1452. — Quæritur. *An Christus omnium sacramentorum materiam et formam determinaverit.*

Resp. Christum omnium sacramentorum materiam et formam aliquo modo determinasse, ex dictis plane colligitur. Cum enim sacramenta ex materia et forma tanquam partibus essentialibus constent, a Christo immediate instituta dici non possent, nisi ipse eorum formam et materiam aliquo modo determinasset [2].

Quo vero modo, in genere scilicet vel in specie, Christus materiam et formam cujuslibet sacramenti determinaverit, in controversiam adducitur.

Determinatio in genere tantum facta fuisset a Christo, si proprio cujuslibet sacramenti effectu determinato, Apostolis vel Ecclesiæ potestatem reliquisset determinandi signum quoddam sensibile, idoneum ad finem sacramenti significandum; v. gr., si pro Baptismo liquorem in genere præscripsisset. Apostolis vero determinandum reliquisset utrum aqua an vinum foret assumendum.

Determinatio in specie dicitur, qua Christus cum ipsam præcise materiam, tum sensum verborum indicavit, quibus sub pœna nullitatis Ecclesia in sacramentorum dispensatione uti tenetur.

1453. — *Quibus prænotatis respondetur:*

1. Docent unanimiter omnes theologi, Christum Baptismi et Eucharistiæ formam et materiam in specie infima determinasse: clare enim habentur in Scripturis ut a Christo traditæ.

2. Quoad alia sacramenta controvertitur.

[1] Cf. S. Th., q. 64, a. 2, ad 3. — [2] Gibbon, Tr. IV, Disp. 26, dub. 3, p. 439.

a) Bellarminus *(De Ord., c. 9)*, Salmantic. *(De Sacr. in gen., c. IV, p. 2, n. 48)*, De Lugo, etc., docent « Christum instituisse materias et formas (aliorum) sacramentorum in genere, et reliquisse Ecclesiæ potestatem eas determinandi in specie, ac justis de causis mutandi, modo adhibeat res et verba exprimentia cujusque sacramenti effectum. » *(S. Alph., Mor., VI, n. 749)*.

« Ratio unica hujus sententiæ, *ait S. Alph.*, est diversitas Ecclesiæ græcæ et latinæ in administratione aliorum sacramentorum, præsertim in ordine; in Ecclesia enim græca presbyteratus et diaconatus conferuntur per solam manuum impositionem: in latina vero, præter impositionem manuum requiritur traditio rerum, ut habetur in decreto Eugenii IV ad Armenos. » *(Mor., VI, n. 12)*.

Sed hæc sententia est minus probabilis. « Non satis probatur, *ait Benedict. XIV*, quod Christus Dominus prædictam potestatem fecerit Ecclesiæ; imo oppositum videtur evinci ex Trident., Sess. XXI, cap. 2, ubi declarat, a Christo relictam esse Ecclesiæ potestatem mutandi quæ sacramentorum dispensationem respiciunt, *salva illorum substantia ;* mutatio vero materiæ et formæ non ad ritum et dispensationem, sed ad substantiam pertinet. » *(De Synod., l. 8, c. 10, n. 10)*.

Præterea, ut infra dicetur *(De Ordine, c. 2, n. 2)*, sola manuum impositio, secundum probabiliorem sententiam, est de essentia ordinationis; traditio vero instrumentorum est tantum materia accidentalis, etsi integralis.

b) « Secunda sententia probabilior, *ait S. Alph.*, affirmat omnes materias, et quoad substantiam etiam formas sacramentorum fuisse in specie a Christo determinatas. » *(Mor., VI, n. 12)*.

Dicendum est tamen omnium sacramentorum formam et materiam non eadem ratione a Christo esse determinatas. Omnium formarum Christus determinavit sensum; aliquarum etiam determinavit verba; pro aliis vero Ecclesiæ commisit verborum electionem, salva semper sensus substantia.

Quoad materias, Christus, ut jam dictum est, quasdem determinavit in specie infima, cæteras vero in specie inter-

media: inter genus enim et speciem infimam plures possunt existere species intermediæ. Sic, v. gr., in Pœnitentia, materia proxima a Christo determinata est confessio dolorosa, sive dolor sit attritionis, sive contritionis, quæ specie differunt; remota vero materia sunt peccata, cum venialia tum mortalia, quæ specie etiam differunt.

Ex dictis apparet, cur, licet Ecclesia circa sacramentorum substantiam nihil statuere aut mutare possit, quoad aliquorum tamen sacramentorum formam et materiam quædam adsit diversitas Ecclesiam latinam inter et græcam.

Quonam vero tempore Christus sacramentorum materias et formas determinaverit, infra dicetur, ubi de sacramentis in specie sermo erit.

ARTICULUS II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

1454. — Sacramentorum minister duplex est: *principalis*, Christus nempe Dominus, Sacerdos magnus, qui sacramenta instituit, eaque, hominum ministerio jugiter dispensat; *secundarius*, homo scilicet, qui in terris vicem Christi gerens, potestatem habet valide dispensandi sacramenta. — De ministro secundario unice sermo erit.

1455. — Errores [1]. — De sacramentorum ministro plures prodierunt errores, quorum alii ad ipsam ministri personam, alii vero ad ea spectant, quæ in ministro ad validam sacramentorum dispensationem requiruntur.

Quoad *personam* ministri error præcipuus est *Lutheri*. Ponens Ecclesiam societatem esse æqualium libera volitione coeuntium, docuit nullam in Ecclesia ex Christi institutione adesse hierarchiam ordinis, sed omnes fideles per baptismum constitui sacerdotes et potestatem habere omnia ministrandi sacramenta, licet ad confusionem vitandam non expediat omnes indiscriminatim sua potestate uti. « Esto certus, *inquit* [2], omnes nos æqualiter esse sacerdotes; hoc est eamdem in verbo et sacramento quocumque habere potestatem. » *(Cf. n. 178, 1,*

[1] Cf. Katschth., *De Sacr.*, c. IV, a. 1 (p. 101); Bellarm., *De Sacr.*, l. I, c. 24 et seq. — [2] *De capt. Babyl.*, cap. *De Ordine.*

ubi de hierarchia ordinis sermo est). Præterea, cum juxta ipsum, ut infra dicetur (*n. 1476 et seq.*) sacramenta non sint nisi nuda signa ad fidem excitandam instituta, et fides æque excitari possit sive sacramentum ab homine sive a diabolo sub hominis specie ministretur, docet diabolum valide sacramenta dispensare posse.

Quoad *requisita* in ministro ad validam sacramentorum dispensationem erraverunt, ineunte sæculo III, *rebaptizantes*. Existimabant, qui rectam fidem non habent, nulla sacramenta valide conferre posse, unde ab hæreticis baptizatos et in gremium Ecclesiæ redeuntes, rebaptizabant. Viguerunt præsertim in Africa. Celebris hac de re exstitit controversia S. Cyprianum inter et Papam S. Stephanum.

Donatistæ, sæculo IV, probitatem in ministro requirebant, ministrisque malis et peccatoribus omnem sacramenta valide conferendi potestatem denegabant. — Quem errorem renovarunt *Henriciani* et *Waldenses* sæculo XII, et *Wicleffitæ* sæculo XIV.

Lutherus contra, nullam in ministro requirit conditionem, ne intentionem quidem. Cum enim juxta ipsum, sacramenta sint unice ad fidem excitandam ordinata, dummodo ponatur ritus externus fides nutritur: quapropter licet minister jocose et irrisorie, absque ulla intentione faciendi quod facit Ecclesia, ritum externum poneret, sacramentum nihilominus suum effectum consequeretur [1].

Quibus erroribus ut veritas catholica opponatur, dicendum est: 1. de persona ministri; 2. de ejus fide et probitate; 3. de ejus intentione.

§ 1. *De Persona Ministri.*

1456. — Secundarius sacramentorum minister alius est *ordinarius*, alius *extraordinarius*. — *Ordinarius* ille est, qui juxta ordinem a Christo constitutum vi potestatis ordinariæ divinitus acceptæ sacramenta conficit. — *Extraordinarius* ille est, qui præter hunc ordinem, ex speciali privilegio aut deputatione, sacramenta dispensat.

1457. — Prop. I. *Sacramentorum minister ordinarius est solus homo; Angelus vero bonus potest esse minister extraordinarius.*

Certa ex unanimi theologorum consensu.

[1] Cf. Bellarm., *loc. cit.*, c. 27.

Prob. I. Pars. I. **Ex Script. S.** De lege Dei ordinaria, illi soli possunt sacramenta ministrare, quibus Christus hanc potestatem dedit. Atqui ex Scripturis constat, solis hominibus, non vero Angelis, Christum hanc potestatem dedisse: solis siquidem hominibus dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. — *Hoc facite in meam commemorationem.* — *Quorum remiseritis peccata*, etc. — De Extrema Unctione etiam dicitur: *Inducat presbyteros Ecclesiæ*, etc. — De Matrimonio aperta res est, cum ipsi contrahentes sint ministri.

Præterea, soli sacerdotes ex officio sunt sacramentorum ministri. Jamvero, sacerdotes debent esse *ex hominibus assumpti, ut pro hominibus constituantur in iis, quæ sunt ad Deum.* (Hebr. V, 1).

II. **Ex Ratione congruentiæ.** *a)* Congruum est secundarios sacramentorum ministros ministrum principalem natura non superare. Sed « tota virtus sacramentorum, *inquit S. Th.*, a passione Christi derivatur, quæ est Christi secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem Angeli, sed potius secundum passionem dicitur *modico ab Angelis minoratus*, ut patet Hebr. II. Et ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta, et in eis ministrare, non autem ad Angelos. » *(Q. 64, a. 7).*

b) Ecclesia militans, cujus gratia data sunt sacramenta, est societas visibilis. Congruum est igitur, ut qui de lege ordinaria sacramenta dispensant, sint visibiles et corporales.

Prob. II. Pars: *Angeli boni possunt esse ministri extraordinarii*, in corporibus ab eis ad hoc assumptis.

« Sicut Deus, *inquit Angelicus*, virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre; ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi sacramenta. Et quia boni Angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum... Si vero dæmones qui sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum. » *(Q. 64, a. 7).*

1458. — Scholium. — Quod de Angelis dicitur, affirmandum est etiam de anima beata, quæ in corpore assumpto, ex speciali Dei deputatione, sacramentum ministrare posset. — *Sed quæritur:* si, animâ beatâ corpori unitâ, sacerdos resurgeret, an ipse posset esse minister ordinarius? Affirmant omnes, resurgentem in corpore mortali, ministrum esse ordinarium: foret enim viator, et cum character sit indelebilis, adforet etiam potestas ordinis. — Si vero in corpore glorioso et immortali resurgeret, et ideirco non esset amplius viator, alii censent ipsum fore probabiliter ministrum ordinarium; alii vero absolute negant [1].

1459. — Prop. II. *Verus minister sacramentorum* (Baptismo et Matrimonio exceptis), *non est quilibet christianus, sed is solum qui in Ecclesia rite ordinatus est* [2].

NB. Dicitur: *excepto Baptismo*, quia in casu necessitatis quilibet homo baptizare potest: et *excepto Matrimonio*, quia in matrimonio ipsi contrahentes sunt ministri sacramenti.

Prop. est *de fide*, ex Trid., Sess. VII, can. 10: « Si quis dixerit christianos omnes in verbo et in omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; A. S. » *(Cf. quæ n. 182, de hierarchia ordinis dicta sunt).*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus in Scripturis Christum solis Apostolis, non autem omnibus fidelibus, dixisse: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. — *Quorum remiseritis peccata*, etc. — *Hoc facite in meam commemorationem.* Non omnes igitur fideles potestatem habent omnia sacramenta dispensandi.

Ait etiam Apostolus (I Cor. IV, 1): *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* — Sed hæc verba de solis Apostolis prolata sunt. Non omnes igitur fideles dispensatores sunt mysteriorum Dei. — Idem Apostolus Ecclesiam comparat corpori humano, in quo non omnia membra eumdem habent actum; et sic nec omnia Ecclesiæ membra possunt omnia sacra munia obire. *(Cf. Rom. XII; I Cor. XII).*

II. **Ex Analogia Vet. Legis.** In lege mosaica non omnibus circumcisis potestas inerat ministrandi sacramenta; imo

[1] Cf. Gibbon, Disp. 31, dub. 1. — [2] Cf. Gotti, q. VII, dub. 1, § 2.

nec omnibus licitum erat sacra tangere, sed solis sacerdotibus; qui vero ausu temerario sacra usurpare attentarunt, severe a Deo mulctati sunt, ut patet de Core, Dathan et Abiron, *(Num. XVI)*, et Oza *(II Reg. VI, 7)*. — Jamvero si nemini, exceptis sacerdotibus, competebat sacris functionibus incumbere, jure deducimus nec in novo fœdere, cujus sacramenta longe majoris sunt excellentiæ, omnibus baptizatis eadem ministrandi potestatem inesse.

III. **Ex Traditione et praxi Ecclesiæ.** Ecclesia tanquam legitimos sacramentorum ministros nunquam alios agnovit, quam qui legitima ordinatione ad hoc fuerunt deputati: et omnia sacramenta, Baptismo et Matrimonio exceptis, ab aliis exhibita, irrita semper habuit et invalida.

IV. **Ex Ratione.** In nulla societate rite ordinata omnibus civibus datur publica gerere officia: sed eis tantum, qui a principe fuerunt deputati, competit. Atqui, Ecclesia est societas ordinatissima, quæ Christum habet principem; et inter publica Ecclesiæ officia potissimum est sacramentorum administratio. Nullus ergo, nisi a Christo deputatus, potestatem ministrandi sacramenta possidet.

§ 2. *De fide et probitate ministri.*

1460. — Cum de fide et probitate ministri sermo est, duæ quæstiones agitari possunt: una an minister fide aut morum sanctitate destitutus possit sacramenta *valide* conferre; — altera, num ipsa hujusmodi minister *licite*, id est, absque peccato, conferre valeat. Cum hæc altera ad moralem disciplinam pertineat, nonnisi primam expendemus.

1461. — Prop. *Ad validam sacramentorum administrationem non requiritur in ministro fides aut morum probitas.*

Sanctitatem in ministro non requiri, est *de fide*, ex Trid., Sess. VII, can. 12: « Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum; A. S. »

Non requiri fidem, est *de fide* quoad collationem Baptismi, ex Trid., Sess. VII, can. 4, *de Bapt.* — Quoad cætera vero sacramenta, propositio est *fidei proxima* ex constanti Ecclesiæ praxi et doctrina.

Prob. I. **Ex Script. S.** Licet doctrina, de qua agimus, disertis verbis in Scripturis non contineatur, ex eis tamen non obscure colligitur. « Quod si Scripturæ testimonia quærimus, *inquit Catech. rom.*, ipsum Apostolum his verbis loquentem audiamus: *Ego*, inquit, *plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* (I Cor. III. 6). Ex quo satis intelligitur, quemadmodum arboribus nihil obest eorum improbitas, quorum manu satæ sunt: ita nihil vitii aliena culpa contrahi ab illis posse, qui malorum hominum ministerio Christo insiti sunt. » *(C. I. n. 25).*

II. Ex constanti Ecclesiæ Traditione et Praxi.

a) Ecclesia ab hæreticis cum debita forma et materia baptizatos, et in sinum suum reversos, rebaptizari nunquam passa est, sicuti constat ex scriptis Patrum, speciatim S. Augustini, contra rebaptizantes.

Accedunt Conciliorum decreta. Legimus in *Arelatensi I* (an. 314): « Placuit, ut si (ad Ecclesiam) aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. » *(Denz., n. 16).* — Idem docet *Nicænum I* pro iis qui redeunt ex Novatianis. *(Denz., n. 19 et 63).* — *Constantinopolitanum I* pro iis qui ex Macedonianis veniunt. — *Conc. Constantiense* damnavit etiam hanc Wicleffi propositionem: « Si Episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat. »

b) Hanc Ecclesiæ consuetudinem ab Apostolis traditam esse docent S. Patres. « Si quis, *inquit S. Stephanus*, a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus imponatur in pœnitentiam... quod accepimus ab Apostolis, hoc sequimur. » *(In rescripto ad S. Cypr.)* — « Quam consuetudinem, *ait S. August.*, credo

ex apostolica traditione venientem. » *(De Bapt. cont. Donat., l. XXIV, c. 7).*

Agens de errore rebaptizantium, *ait Vincentius Lirinensis:* « Agrippinus Carthaginiensis episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium sacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censebat. » *(Commonit. 6).*

III. **Ex Ratione.** Ratio a priori est sola Dei et Christi voluntas, quæ nobis constanti Ecclesiæ traditione innotescit. Hujus autem institutionis plures rationes congruentiæ assignari possunt.

1. *Prima desumitur ex natura instrumenti.* In sacramentorum administratione homo operatur ut causa instrumentalis, Christus vero ut causa principalis. Porro, cum instrumentum agat non in virtute propria, sed in virtute causæ principalis, indifferens est ad rationem instrumenti qualemcumque formam aut virtutem propriam habeat; sicut parum refert an fistula, per quam transit aqua, argentea sit vel plumbea. Fides autem et caritas pertinent ad propriam formam et virtutem ministri; quamobrem indifferenter se habent ad rationem ministri; « sic igitur, *ait S. Th.*, Christus operatur in sacramentis et per bonos tanquam per membra viventia, et per malos tanquam per instrumenta carentia vita. » *(Q. 64, a. 5, ad 2).*

2. *Secunda ratio sumitur ex natura characteris.* « Potestas ministrandi sacramenta, *inquit Angelicus*, pertinet ad spiritualem characterem, qui indelebilis est. Et ideo per hoc quod aliquis ab Ecclesia suspenditur, vel excommunicatur vel degradatur, non amittit potestatem conferendi sacramentum, sed licentiam utendi hac potestate. » *(Q. 64, a. 9, ad 3).*

3. *Tertia sumitur ex inconvenienti.* Si ad valorem sacramenti fides et sanctitas in ministro necessariæ forent, nullus unquam moraliter certus esse posset se sacramentum valide recepisse; nullus enim scire potest ministrum fidem rectam et gratiam possidere, imo et minister ipse certo scire

nequit se esse in gratia, quia *nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* (Eccles. IX, 1).

Ad hanc veritatem enucleandam S. Patres varias afferunt similitudines, v. gr., *lucis solaris*, quæ licet sordida transeat loca, ab eis tamen non inquinatur, *(S. Aug., In Joan., tr. VI, n. 15); boni seminis*, quod sive puris sive impuris manibus terræ mandetur, æque fructificat, *(S. Aug., cont. Cresc., c. 8); sigilli regii*, quod sive sit ex auro sive ex ferro, regis imaginem ceræ æqualiter imprimit, *(S. Greg. Naz., Or. 40, n. 25); medici ægrotantis*, qui licet infirmus, alios sanare valet. *(S. Th., q. 64, a. 5).*

1462. — Scholium. Ex dictis sequitur, sacramenta æque valide et efficaciter a malo quam a bono ministro conferri. « Effectus sacramenti, *ait Angelicus*, non datur melior per meliorem ministrum. » *(Q. 64, a. 1, ad 2).* — « Quantum ergo ad sacramentum, non minus valet missa sacerdotis mali quam boni, quia utrobique idem conficitur sacramentum. » *(Q. 82, a. 6).*

Dicendum tamen est cum eodem S. Doctore, ministri sanctitatem et devotionem non esse inutiles eis, qui ab eo sacramentum suscipiunt. « Nihil tamen prohibet, *inquit*, quin devotio viri justi ad hoc aliquid operetur... Aliquid annexum impetrari potest recipienti sacramentum per devotionem ministri; nec tamen minister illud operatur, sed impetrat operandum a Deo. » *(Q. 64, a. 1, ad 2).* — Et hanc ob rationem docent communiter theologi cum S. Th. *(q. 82, a. 6)*, S. Alphonso *(Mor., l. VI, n. 312)*, utilius esse boni quam mali sacerdotis missam audire.

Præterea, etiam notandum est ministri sanctitatem aliqua ratione, licet indirecte tantum, in ipsum sacramenti effectum influere posse. Sacramenta enim agunt per modum causæ physicæ, ac proinde quo subjectum melius paratum inveniunt, eo perfectius suum effectum ei imprimunt. Præparare autem subjectum est quidem primo et principaliter gratiæ Dei; sed est etiam pastoris cui creditæ sunt oves. Quamvis igitur sacramenta suos effectus ex opere operato producant, ut infra dicetur *(n. 1478)*, quantitas tamen gratiæ collatæ suscipientis dispositionibus commetitur, quæ magna ex parte a ministris pendent. Et ideo devotio ministri impetrantis gratiam bonæ dispositionis, ejusque ad præparandas animas zelus, licet gratiam sacramenti non producant, ad ipsius tamen productionem indirecte concurrunt.

§ 3. *De Intentione ministri.*

Intentio vocatur actus voluntatis, quo homo operatione sua aliquid facere sibi proponit. — Agendo de intentione in

sacramentorum administratione, tria debent inquiri: 1. Necessitas; 2. objectum; 3. qualitas intentionis.

I. DE NECESSITATE INTENTIONIS.

1463. — Prop. *Ad validam sacramentorum administrationem requiritur intentio ministri.*

De fide, ex Trid., Sess. VII, can. 11: « Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia: A. S. » Et in Florentino, decr. pro Arm. legitur: « Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramenta, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. » *(Cf. etiam Trid., Sess. XIV, can. 9).*

Prob. I. **Ex Script. S.** Ex S. Scripturis luculenter colligitur, sacramentum absque ministri intentione confici non posse. Dixit Christus Apostolis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos:* his indicatur potestatem baptizandi arbitrio apostolorum esse commissam: nemo autem potestate utitur nisi volens. — Pro Eucharistia: *Hoc facite in meam commemorationem:* quibus indicatur ministrum Eucharistiam consecrare, quando Christum repræsentat, et in ipsius vice agit. Sed Christum non repræsentat nisi intendens illum repræsentare. — Pro Pœnitentia: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis retenta sunt.* « Quæ verba intentionem absolvendi denotant quam habere debet sacerdos, ut valida sit absolutio. » *(S. Alph., Cont. hær., Sess. VII, n. 28).*

Præterea, ait Apostolus, (Eph. IV, 1: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi* Unde sic: in sacramentorum administratione minister non agit nomine proprio, sed in nomine Christi cujus personam gerit, et nomine Ecclesiæ, quam repræsentat. Sed nullus potest nomine alterius agere nisi idem ac ille intendat. Ergo dum minister sacramentum conficit aut confert, debet saltem habere intentionem faciendi quod intendit Christus aut Ecclesia.

II. **Ex Ratione.** « Quando aliquid, *inquit Angelicus*, se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quæ in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi, sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad multa alia hujusmodi; et ideo oportet quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis. » *(Q. 64, a. 8; cf. S. Alph., loc. cit., n. 28 et 29).*

II. DE OBJECTO INTENTIONIS.

1464. — Intentio, ut patet ex dictis, est voluntatis propositum aliquid faciendi: jam quæritur *quid est id*, seu *quodnam est objectum*, quod minister intendere debeat, ut valeat sacramentum.

Plura sunt quæ minister in sacramentorum administratione intendere potest, nimirum:

1. Ponere ritum externum materialem, actionem scilicet exteriorem nude et secundum se spectatam; v. gr., in Baptismo, ablutionem externam cum prolatione formæ. — Hæc intentio, ratione objecti externi quod solum intenditur, vocatur *intentio exterior.*

2. Conficere formaliter sacramentum a Christo institutum: vel producere effectum sacramenti; v. gr., gratiam et **characterem.**

3. Celebrare ritum externum ut formaliter et absolute sacrum.

4. Facere quod facit Ecclesia romana; vel in genere, facere quod Christus instituit, et quod tali ritu vera Ecclesia facit.

Secunda, tertia et quarta intentio vocantur *intentio interna*, quia non sistit in exteriori actu nude in se considerato, sed eum sive explicite sive implicite attingit ut formaliter **sacrum.**

Jamvero: Dicendum est, ad valorem sacramenti: 1. « non requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia Romana, *ait S. Alph.*, sed sufficere intentionem faciendi quod facit vera

Ecclesia a Christo instituta. » *(Mor., l. VI, n. 21).* — Tridentinum enim et Florentinum supra citata non aliud requirunt quam intentionem *faciendi quod facit Ecclesia.* — Præterea, Ecclesia Baptismum hæreticorum semper validum tenuit, et hæreticos ad se conversos nunquam rebaptizari permisit; hæretici autem Ecclesiam romanam non credunt esse veram Christi Ecclesiam.

2. « Non requiri ad valorem sacramenti intentionem explicitam conficiendi sacramentum aut producendi effectum sacramenti; sed sufficere intentionem peragendi ritum qui ab Ecclesia habetur pro sacro. Ratio: quia sufficit intentio faciendi quod facit Ecclesia. » *(S. Alph., loc. cit., n. 22).*

« Quamvis ille, *inquit Angelicus,* qui non credit Baptismum esse sacramentum, aut habere aliquam spiritualem virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre sacramentum, tamen intendit facere quod facit Ecclesia, etsi illud reputet esse nihil; et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite. » *(4. Sent., D. 6, q. 1, a. 3, q. 2, ad 1).*

3. « Non requiritur intentio explicita celebrandi ritum externum, ut formaliter et absolute sacrum. Hoc patet: nam alias Baptismus collatus a paganis, qui sacramenta ignorant aut irrident, esset nullus; sed Nicolaus I cum consultus fuisset a Bulgaris de valore baptismi collati a judæo vel pagano, respondit esse validum, si collatus fuerit cum vera materia et forma: valet enim talis Baptismus ob intentionem generalem faciendi quod audierit judæus vel paganus fieri ab Ecclesia Christi. » *(S. Alph., loc. cit., n. 22).*

4. Non sufficit sola intentio externa, sed requiritur intentio interna, saltem implicita, ponendi ritum ut formaliter sacrum [1].

1465. — Quoad hanc assertionem disputant inter se catholici. Docet Catharinus [2] cum quibusdam aliis [3], ad sacramenti validitatem sufficere intentionem ritum externum, quem facit Ecclesia, serio ponendi; nullam autem internam intentionem esse necessariam, ita ut, si quis Baptismi formam pronuntiet, puerum abluens ut mundet a

[1] Cf. Franzelin, Th. 17. — [2] *In opusc. de intentione ministri.* — [3] V. g. Contenson, l. XI, P. I, Diss. 2.

sordibus, ipsum vere baptizet, etiamsi de Baptismo non cogitaret, imo etiamsi interne proponeret non baptizare. « Præcipua ratio Catharini est, *ait S. Alphonsus*, quia si sacramenta ita collata valida non forent, dubia remanerent omnia baptismata, omnes absolutiones sacramentales, et quod magis importat, omnes sacerdotum et speciatim episcoporum ordinationes, a quibus dependet validitas tot aliarum ordinationum subsequentium. » *(Cont. hær., Sess. VII, n. 27).* — Altera autem sententia *communis et sequenda* tenet: ad sacramenti validitatem non sufficere intentionem externam, sed requiri internam, intentionem scilicet faciendi ritum sacramentalem, quem intendit Ecclesia.

Prob. I. **Ex Concil. Trid.,** *Sess. VII, can. 11,* « ubi requiritur, *ait S. Alph.*, intentio faciendi quod facit Ecclesia; ergo non sufficit intentio tantum serio applicandi formam materiæ, ut facit Ecclesia; reipsa enim hæc intentio, dum actio externa ponitur, est ab actione inseparabilis; sed ultra requiritur intentio faciendi ritum sacramentalem quem facit Ecclesia: alias tam Conc. Tridentinum quam Constantiense frustra præter materiam et formam requisivissent intentionem ministri faciendi quod facit Ecclesia. » *(Mor., l. VI, n. 23).*

Prætereа, in eodem Trid., *Sess. XIV, cap. 6,* dicitur nullam esse absolutionem sacramentalem, si *sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit.* Igitur præter actionem externam etiam serio positam, necessaria est intentio absolvendi.

II. **Ex prop. 28**[a] ab Alexandro VIII, die 7 dec. 1690, damnata: « Valet Baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia. » — « Nec valet dicere, *ait S. Alph.*, propositionem loqui de ritu externo jocoso, quia talis propositio non erat hæreticorum quæ jam damnata fuerat a Tridentino, sed erat catholicorum, inter quos nemo unquam dixit sufficere ritum jocosum. » *(Hom. Ap., Tr. XIV, n. 2; cf. Mor., loc. cit.)* — Ex hac prop. damnata, *teste Benedicto XIV*[1], grave saltem vulnus inflictum est sententiæ Catharini. Qui Catharini opinionem in praxi sequeretur, graviter peccaret, et sacramentum saltem sub conditione esset iterandum.

Quoad incommoda vero, quæ a Catharino contra necessitatem intentionis internæ afferuntur, dicendum est eadem subsistere etiamsi intentio interna necessaria non foret. Contingere enim potest minister, sive ex inadvertentia sive ex malitia, in prolatione formæ, præsertim cum submissa voce profertur, verbum quoddam essentiale omittere aut substantialiter mutare, quod sacramentum invalidat. Quocirca in re tanti momenti, ut *ait S. Alphonsus*[2], divinæ fidendum est providentiæ, quæ non sinit evenire quod animabus tantam adferret ruinam.

[1] *De Synod.,* l. VII, c. 4, n. 8 et 9. — [2] *Cont. hær.,* sess. VII, n. 31.

III. DE QUALITATE INTENTIONIS.

1466. — « Intentio, *ait S. Alph.*, potest esse vel *actualis*, vel *habitualis*, vel *interpretativa*, vel *virtualis*. *Actualis* est cum quis actu intendit sacramentum conficere. *Habitualis* est cum quis habuit antecedenter actualem, et non revocavit, sed de illa non amplius cogitat, nec ea in aliquo effectu permanet. *Interpretativa* est cum quis nullam habet nec habuit intentionem actualem, sed ita est dispositus, ut, si adverteret, haberet. *Virtualis* demum est cum quis, licet hic et nunc non intendat actualiter conficere sacramentum, agit tamen virtute actualis intentionis habitæ, prout si quis habens intentionem sacramentum Eucharistiæ conficiendi, adeat Ecclesiam, dicat missam et consecret. » *(Mor., l. VI, n. 15).*

1467. — **Prop. I.** *Ad validam sacramentorum dispensationem non sufficit intentio habitualis aut interpretativa: actualis, etsi sit optima, non est necessaria ; sed sufficit intentio virtualis* [1]. — Sententia communis.

Prob. Cum sacramentorum dispensatio aut confectio sit actus humanus, talis debet esse intentio ministri, qualis requiritur ut actus sit verè humanus, id est, cum advertentia et deliberatione positus. Atqui:

1.° *Intentio habitualis*, et multo minus *interpretativa*, non sufficit ut actus sit humanus, et cum advertentia atque deliberatione positus. Ergo nec sufficit ad sacramentum.

2.° *Intentio actualis* optima est, ut patet, tamen non necessaria, quia sæpe impossibilis. « Quamvis studiose curare debeat sacramenti minister, *ait S. Th.*, ut etiam actualem intentionem adhibeat: sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare. » *(Q. 64, a. 8, ad 3).*

3.° *Sufficit intentio virtualis:* sat enim influit in actum, ut sit vere actus humanus. « Cum sacerdos accedens ad

[1] S. Alph., *Mor.*, l. VI, n. 16-18; Gotti, q. VII, dub. 3.

baptizandum, *inquit Angelicus*, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia, si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum. » *(Loc. cit.)*

1468. — Prop. II. *Ad validam sacramentorum administrationem requiritur intentio absoluta, vel talis quæ absolutæ æquivaleat.* — **Certa.**

Dicitur: *intentio absoluta*, quæ scilicet nulli subjaceat conditioni: vel *quæ absolutæ æquivaleat;* cujus nempe conditio jam posita est: sive ut aiunt: cujus conditio est *de præterito* vel *de præsenti* [1]. Excluditur ergo sola conditio *de futuro.*

Prob. Cum sacramentorum confectio aut collatio consistat in actu fluente, qui cito transit, talis requiritur intentio, quæ in actum de præsenti influat, dum ponitur. Atqui sola intentio absoluta, aut æquivalens, de præsenti efficaciter influere potest in actum, dum ponitur; conditionalis vero de futuro, non habet influxum in actum, nisi cum verificatur conditio. Sed verificata conditione futura, actus sacramentalis jam non existit, et consequenter in eum influere jam non potest. Non sufficit ergo intentio conditionalis de futuro ad validitatem sacramenti.

ARTICULUS III.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM [2].

1469. — Sacramenti subjectum vocatur, qui sacramentum suscipit et est capax effectus sacramenti. — Cum sacramenta sint signa sensibilia ad gratiam gignendam aut augendam a Christo Domino instituta, manifestum est, subjectum sacramenti non esse Angelum, cui, utpote incorporeo, signum sensibile applicari nequit; sed esse hominem, et quidem *hominem viatorem*, qui solus gratiam recipere aut in ea crescere potest; *non autem comprehensorem*, cujus gratia augmentum

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, l. VI, n. 26. — [2] Cf. S. Alph., *Mor.*, l. VI, n. 78 et seq.

accipere nequit; *neque damnatum*, quia in inferno sicut nulla redemptio, ita nulla est gratiarum effusio.

Non quilibet tamen viator est subjectum omnium sacramentorum. Baptismum omnes recipere possunt, ut patet. — Aliorum sacramentorum capaces sunt soli baptizati; sacramenta enim instituta sunt pro sola Ecclesia, et solo Baptismo homines membra fiunt corporis Ecclesiæ, ut infra longius dicetur *(n. 1552)*. — Sed nec omnes baptizati omnia recipere possunt sacramenta.

Quodnam vero sit cujuslibet sacramenti subjectum in infra dicendis, ubi de sacramentis in specie tractatio occurret, indicabitur.

Duo tantum in præsenti de sacramentorum subjecto inquirere juvat: quid scilicet ex parte subjecti requiratur ad validam, et quid ad licitam et fructuosam sacramentorum receptionem.

I. De requisitis ad validam sacramentorum susceptionem.

1470. — Agitur in præsenti de solis adultis. In infantibus enim, et in illis qui eis æquiparantur, ut sunt perpetuo amentes, nulla requiritur dispositio ad recipienda sacramenta, quorum sunt capaces, id est, Baptismum, Confirmationem et Ordinem. « In infantibus, *inquit S. Alphonsus*, nulla quidem requiritur intentio, cum suppleat in eis intentio Christi vel Ecclesiæ: sicut enim sine propria voluntate ipsi peccatum contraxerunt, ita sine voluntate ab illo liberantur. » *(Mor., l. VI, n. 80). (De validitate confirmationis et ordinationis infantium suo loco dicetur).*

1471. — **Prop. I.** *In adultis ad validam sacramentorum susceptionem requiritur intentio*[1]. — Certa.

Prob. I. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesiæ sacramenta invitis collata, semper tenuit invalida. Definit Innocentius III,

[1] Cf. Salmantic., Disp. 8, dub. 1, § 2.

in cap. Majores de Bapt. [1], « *Ille qui nunquam consensit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti.* » — Et *S. Th.*: « Dicendum, *inquit*, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum (Baptismi), esset rebaptizandus. » *(Q. 68, a. 7, ad 2).*

Præterea, legimus in Concil. *Carthaginiensi III*, cap. 34: « Ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi, qui sui sunt, dixerint, baptizentur. » Et in *Arausicano I*, cap. 12: « Obmutescens baptizari, aut Pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat. » Quibus verbis manifestatur Baptismum ægrotantium esse invalidum, nisi antea voluntatem illum accipiendi manifestaverint.

II. **Ex Ratione.** Ratio a priori non est nisi Christi voluntas, Ecclesiæ traditione nobis manifestata. Rationes convenientiæ plures assignari possunt.

1. Per quædam sacramenta, ut per Baptismum, Ordinationem, homini novæ imponuntur obligationes, novusque vivendi modus. Sed neminem convenit novo statui vitæ aut novis obligationibus adigi, nisi consentiat. Conveniens igitur est ut nonnisi consentientibus sacramenta valide conferri possint.

2. Sacramenta sunt protestationes fidei. Porro sicut nemo credit, nisi volens, ita etiam conveniens est ut nullus per sacramentorum susceptionem fidem profiteatur nisi volens.

3. Per Baptismum, ut *ait S. Th.* [2], homo moritur veteri vitæ peccati et incipit quamdam vitæ novitatem. Sed ad hoc ut homo moriatur veteri vitæ, requiritur ut cum veteris vitæ pœniteat, quod non fit absque actu voluntatis; secundum illud *S. August.* [3]: « Qui fecit te sine te, non te justificat sine te. »

1472. Prop. II. *Ad diversorum sacramentorum receptionem diversa requiritur et sufficit suscipientis intentio.* — Certa.

NB. Quadruplex datur intentio: actualis, virtualis, habitualis et interpretativa. *(Cf. dicta n. 1466).*

[1] *Extrav.*, l. III, T. 42; Denzing., n. 342. — [2] Q. 68, a. 7. — [3] Sermo 15 *De verbis Ap.*, c. 11.

a) In Pœnitentia et Matrimonio non sufficit intentio habitualis aut interpretativa; sed requiritur actualis aut virtualis [1]. — Ratio: *in Pœnitentia* actus pœnitentis sunt materia essentialis sacramenti; jamvero ad ponendum actus modo humano, id est, cum deliberatione et advertentia, non sufficit intentio habitualis aut interpretativa, sed requiritur ad minus intentio virtualis. — *In Matrimonio* vero, suscipientes sunt etiam ministrantes; ac proinde in ipsis requiritur eadem intentio, quæ in ministro aliorum sacramentorum exigitur.

b) Ad validam aliorum sacramentorum receptionem sufficit intentio habitualis. — « Id probatur, *inquit S. Alph.*, ex universali Ecclesiæ praxi, quæ non reiterat sacramenta Baptismi et Ordinis iis qui ea suscipiunt ex voluntate prius habita. Et hoc procedit in omnibus sacramentis, præter Pœnitentiam et Matrimonium. » *(Mor., l. VI, n. 81).*

Suffragatur ratio: In ministro non sufficit intentio habitualis, sed requiritur actualis aut virtualis, quia ejus intentio in actionem ita influere debet, ut hæc sit vere humana, cum deliberatione videlicet et advertentia posita *(cf. n. 1467)*; in suscipiente vero intentio requiritur unice tanquam dispositio, quæ solum petit ut subjectum obicem non ponat. Sed ad hoc sufficit ut subjectum sit habitualiter dispositum, id est, ut sacramentum recipere voluerit, nec voluntatem retractaverit.

c) Ad validam Baptismi et Ordinis susceptionem non sufficit intentio interpretativa. — Constat ex praxi Ecclesiæ. Loquens de Baptismo amentium, ait *Catech. rom.* [2]: « Quum in vitæ discrimine versantur, si, antequam furere inciperent, ejus voluntatis significationem dederunt, abluendi sunt; sin minus, a Baptismi administratione abstinendum est. »

Ratio est, quia qui Baptismum suscipit, subit obligationem legis ecclesiasticæ; qui vero Ordinem suscipit, legibus status clericalis adstringitur. Sed omnis adultus, qui suæ voluntatis dominus est, et libertatem possidet, censetur esse in volun-

[1] S. Alph., *Mor.*, l. VI, n. 82. — [2] P. II, c. II, n. 38; Cf. S. Th., q. 68, a. 12; S. Alph., *Mor.*, VI, 82.

tate habituali retinendi suam libertatem non secus ac alia quæ sua sunt; ac proinde censetur semper adversari novis obligationibus in se suscipiendis, nisi positiva voluntate prius consenserit. Nulla igitur in adulto ad Baptismi et Ordinis susceptionem præsupponi potest intentio interpretativa.

d) In moribundo sensibus destituto ad validam receptionem Extremæ Unctionis, Eucharistiæ et Confirmationis sufficit intentio interpretativa. — Pro *Extrema Unctione* constat ex Rituali, in quo dicitur: « Hoc sacramentum est præbendum sensibus destitutis, qui antea illud petierunt, seu *verosimiliter* petiissent. »

Suffragatur ratio: Homo qui Baptismum suscepit, et vult in Ecclesia vivere et mori, habet voluntatem generalem recipiendi sacramenta more christiano, eo scilicet tempore, quo solent dari ab Ecclesia: quocirca propter hanc generalem voluntatem, omnis qui in vita signa pœnitentiæ dederit, recte præsumitur habere intentionem recipiendi Extremam Unctionem [1]. — Ob eamdem rationem iisdem valide et fructuose conferuntur Eucharistia et Confirmatio [2].

Dicitur *in moribundo sensibus destituto*, cum enim Ecclesia non nisi petentibus, aut in extremo agone sensibus destitutis hæc sacramenta conferre soleat, in generali voluntate recipiendi sacramenta *more christiano* non includitur voluntas aliter ea recipiendi. Unde si infirmo dormienti exhiberetur Extrema Unctio aut Confirmatio, ex completo intentionis defectu sacramentum invalidum foret.

1473. — Prop. III. *Ad validam sacramentorum receptionem, excepta Pœnitentia, non requiritur fides.* — Certa.

Prop. est contra *Lutherum*, qui in subjecto fidem requirit. Cum enim, ut ait, sacramenta sint instituta ad nutriendam fidem, quæ sola justificat hominem, absente fide, sacramentum necessario frustratur effectu.

Prob. **Ex Usu et Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia Baptismum et Ordinationes ab hæreticis suscepta valida semper tenuit, dum-

[1] Cf. De Lugo, *De Sacr.*, Disp. IX, n. 122 et seq. — [2] S. Alph., l. VI, n. 82.

modo ex alio fonte nihil essentiale defuerit. « Nec interest, *ait S. August.*, cum de sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest: fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum et perversam fidem. » *(De Bapt. cont. Donat., l. III. c. 14).*

Et *S. Th.:* « Recta fides baptizati, *ait,* non requiritur ex necessitate ad Baptismum, sicut nec recta fides baptizantis, dummodo adsint cætera quæ sunt de necessitate sacramenti; non enim sacramentum perficitur per justitiam hominis dantis vel suscipientis Baptismum, sed per virtutem Dei. » *(P. III, q. 68, a. 8).*

Dixi: *una excepta Pœnitentia:* quia actus contritionis ipsius pœnitentis est pars materialis sacramenti; sed contritio, qualis requiritur, sine fide haberi nequit.

II. De requisitis ad licitam et fructuosam sacramentorum susceptionem.

1474. — *Licita* sacramenti susceptio vocatur, quæ fit absque peccato ex parte suscipientis; *fructuosa* vero, quæ fit cum ejus spirituali emolumento.

In adultis aliquas requiri dispositiones ad licitam et fructuosam sacramentorum susceptionem, *ad fidem pertinet*, ex Tridentino, quod, Sess. VII, can. 6, definit: Novæ Legis sacramenta « gratiam conferre non ponentibus obicem; » et can. 7, declarat in sacramentis gratiam dari « semper et omnibus, quantum est ex parte Dei. » Quæ quidem verba quasdam in suscipientibus supponunt conditiones, quæ si defuerint, sacramenta gratiam non producunt. — Præterea, Sess. VI, cap. 6, dispositiones enumerat ad justificationem requisitas. *(De quibus, cf. dicta in tract. de Gratia, n. 1256 et seq.).*

1. *Ad licitam et fructuosam Baptismi susceptionem requiritur actus fidei et pœnitentiæ.*

Legimus (Marc. XVI, 16): *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* — (Hebr. XI, 6): *Sine fide impossibile est*

placere Deo. — (Act. II, 38): *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum.* His manifestum est, ad Baptismum prærequiri fidem et pœnitentiam. — Fides autem et pœnitentia timorem, spem, inchoatam dilectionem et bonum propositum adnexa habent.

2. *Ad licitam et fructuosam Pœnitentiæ* susceptionem nihil aliud requiritur præter actus ad validam sacramenti susceptionem requisitos: eosdem nempe ac pro Baptismo. Ratio: quia actus pœnitentis sunt materia sacramenti; qui si desunt, deest aliquid essentiale, et sacramentum non ponitur; si vero adsunt, sacramentum ponitur et effectum ex opere operato producit.

Ad majorem tamen fructum ex pœnitentia percipiendum, aliæ requiruntur conditiones quam ad simplicem remissionem mortalium: v. gr., detestatio venialium, quæ eisdem per affectum adhærenti in pœnitentia cum mortalibus non remittuntur.

3. *Ad sacramentorum vivorum* licitam et fructuosam receptionem requiritur et sufficit status gratiæ.

Statum gratiæ per se requiri, manifestum est ex ipsa eorum sacramentorum natura: sunt enim instituta per se et primo ad augendam gratiam: quod autem non præexistit, augeri nequit.

Statum vero gratiæ sufficere, item ex natura sacramentorum patet. Talis est enim sacramentorum natura, ut non ponentibus obicem gratiam semper conferant. In eis autem, qui gratiam possident, nullus obex invenitur.

Notandum tamen, ut in capite sequenti dicetur, fructum percipi majorem, pro perfectiori suscipientium dispositione.

—

CAPUT IV.

DE SACRAMENTORUM CAUSALITATE ET EFFECTIBUS.[1]

1475. — Novæ Legis sacramenta, ut sæpius supra dictum est, signa sunt sensibilia ad gratiam significandam et cau-

[1] Cf. S. Th., q. 62; Bellarm., *De Sacr.*, l. II; Salmantic., Disp. IV.

sandam instituta. Pertractatis igitur quæ ad eorum existentiam, naturam, et causas pertinent, superest ut de eorum causalitate sermo fiat. Et primo quidem agendum est de ipsa efficacia sacramentorum; deinde de eorum effectibus. Cum vero sacramentorum duplex assignetur effectus, gratia scilicet et character, de utroque seorsim est tractandum. In I. igitur art. sermo erit de ipsa efficacia sacramentorum; in II. de gratia sacramentis producta; in III. de charactere, qui in quibusdam sacramentis homini imprimitur.

ARTICULUS I.

DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS EFFICACIA.

Circa efficaciam sacramentorum Novæ Legis duplex occurrit controversia: una contra protestantes, qui sacramentis omnem denegant virtutem producendi gratiam; altera inter doctores catholicos, de modo scilicet quo sacramenta gratiam producunt: utrum physice an moraliter tantum.

§ 1. *Controversia contra protestantes.*

1476. — Error protestantium. — Omnes protestantium sectæ consentiunt in denegando sacramentis virtutem et efficaciam producendi gratiam, idque solum concedunt, ipsa videlicet esse, vel signa quibus christiani a judæis et gentilibus discernuntur, vel signa externa internæ gratiæ per fidem acceptæ, vel nuda signa a Deo instituta ad nutriendam et excitandam fidem, qua sola hominem justificari arbitrantur [1]. Exinde docent, Novæ Legis sacramenta a sacramentis Veteris

[1] Patet ex variis definitionibus, quas de sacramentis variæ tradunt sectæ. *Confessio Augustana,* art. 13, sacramenta definit: «signa et testimonia voluntatis Dei erga nos ad excitandam et confirmandam fidem.» — *Chemnitius:* «Signum materiale præceptum obsignans instar sigilli promissionem gratiæ.» — *Zwinglius:* «Oppigneratio qua se homines obligant Christo ejusque religioni dant nomen.» — *Sociniani:* «Nudum et simplex signum quo christianus a judæo vel gentili discernitur.» — *Calvinus:* «Divinæ in nos gratiæ testimonium externo signo confirmatum.» — Omnes istæ definitiones, etsi aliquem sacramentorum effectum indigitent, huc collineant ut sacramentis vim prorsus denegent producendi gratiam.

Legis nonnisi cæremoniis differre, et verba, quibus conficiuntur sacramenta, nec efficere quod significant, nec esse consecratoria, sed solum *concionatoria*, id est, deputata ad suscipientium fidem per modum prædicationis excitandam. Vehementer etiam impugnant vocem ab Ecclesia usurpatam: ex opere operato sacramenta gratiam producere.

1477. — Doctrina catholica. — Docet autem fides catholica: sacramenta Novæ Legis non esse aut nuda tantum signa ad fidem excitandam, aut signa solum externa internæ gratiæ, aut meræ notæ quibus fideles ab infidelibus distinguantur: sed esse signa practica gratiæ, quæ scilicet gratiam contineant quam significant, eamque non ponentibus obicem ex opere operato semper conferant: qua de causa a sacramentis Veteris Legis toto cœlo differunt.

Quæ doctrina, propter rerum momentum, explicatione indiget. Unde:

1. Dicitur: *Sacramenta Novæ Legis;* agitur enim in præsenti de solis sacramentis Novæ Legis. Quid sentiendum sit de sacramentis Veteris Legis, infra dicetur *(n. 1480). — Non esse tantum nuda signa*, etc.; sacramenta fidem quidem excitant et spem roborant: sunt enim rememorativa passionis Christi et prognostica futuræ gloriæ *(n. 1432);* internam etiam animæ sanctitatem significant, ut ex ipsa sacramentorum definitione constat; fideles etiam ab infidelibus distinguunt, ut de Baptismo manifestum est *(n. 1500).* Sed præter hos effectus, ad alium et potiorem instituta sunt sacramenta: *sunt enim signa practica gratiæ, quam continent et conferunt.*

2. Dupliciter aliquid gratiam continere et conferre potest: vel *per modum causæ principalis,* vel *per modum causæ instrumentalis.* Sacramenta dicimus esse *causas gratiæ instrumentales.* « Duplex est causa agens, *inquit S. Th.*, principalis et instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ cui assimilatur effectus: sicut ignis suo calore calefacit; et hoc modo nihil potest causare gratiam, nisi Deus, quia gratia nihil est aliud quam quædam participata similitudo divinæ naturæ... Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur in-

strumento, sed principali agenti; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta Novæ Legis gratiam causant: adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. » *(Q. 62, a. 1).*

3. Dicitur: conferunt *gratiam;* habitualem scilicet et sacramentalem, de quibus infra *(n. 1485 et seq.).*

4. Dicitur: *ex opere operato.* Modus operandi *ex opere operato* opponitur modo operandi *ex opere operantis.*

Aliquid dicitur agere *ex opere operantis* quando effectus, qui producitur, non efficitur virtute ipsius operis positi, sed ex intuitu meriti de condigno vel de congruo ipsius agentis vel suscipientis. — Illud vero dicitur agere *ex opere operato,* quod vi et efficacia ipsius operis effectum immediate producit.

Igitur: sacramentum operari *ex opere operantis* significat. Deum homini signo sensibili utenti gratiam immediate infundere propter meritum fidei in passionem Christi, quam profitetur homo, externum sibi sacramentale signum applicando. — Sacramentum vero operari *ex opere operato* significat, ipsum externum signum sacramentale sola sui applicatione immediate gratiam producere tanquam instrumentum Dei: talis efficacia sacramentis Novæ Legis adscribitur.

Requiruntur quidem in subjecto debitæ dispositiones, ut sacramentum gratiam inducere possit; istæ autem dispositiones ad infusionem gratiæ non concurrunt nisi ut *removens prohibens;* sicut, v. gr., siccitas in ligno, cui applicatur ignis, est mera dispositio removens prohibens: sed combustio a sola virtute ignis producitur; sic etiam suscipientis dispositio non influit in productionem gratiæ, quæ vi ipsius signi externi unice producitur.

5. Dicitur: *non ponentibus obicem.* Obex gratiæ est moralis quædam subjecti indispositio, quæ impedit quin sacramentum valide receptum gratiam producat: v. gr., si aliquis in mortali existens Confirmationem recipiat, sacramentum valide recipit, character imprimitur, sed gratia nulla confertur. Qui cum obice sacramentum suscipit, dicitur *fictus,* seu *cum*

fictione recipere, quia exterius alium se fingit quam interius existit.

Obex est vel *materialis* vel *formalis: materialis* dicitur, quando omissio debitæ dispositionis est inculpabilis; v. gr., ob ignorantiam, oblivionem: *formalis* dicitur, quando culpabilis est, ita ut sacrilegii malitiam inducat.

Obex gratiæ sedulo distinguendus est ab *obice sacramenti*, qui est subjecti indispositio, impediens quin sacramentum valide recipiatur: qualis, v. gr., est defectus intentionis in recipiente sacramentum, vel existentia characteris baptismalis relate ad Baptismum, vel sexus femineus relate ad Ordinem.

6. Dicitur: *semper*. Sacramenta ex divina institutione sese habent ad instar causarum physicarum, quæ semper ac subjecto rite disposito applicantur, effectum suum infallibiliter producunt.

1478. — Prop. *Novæ Legis sacramenta omnibus non ponentibus obicem gratiam semper conferunt ex opere operato.*

De fide. ex Trid., Sess. VII, *can. 6:* « Si quis dixerit sacramenta N. L. non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre... A. S. » — *Can. 7:* « Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus; A. S. » — *Can. 8:* « Si quis dixerit, per ipsa N. L. sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** De Baptismo legimus (Joan. III, 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, etc. — (Tit. III, 5): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* (Cf. Act. II, 38, et XXII, 16).

De Confirmatione, (Act. VIII, 17, 18): *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus,* etc.

De Eucharistia, (Joan. VI, 55): *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

De Pœnitentia, (Joan. XX, 23): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

De Ordine, (II Tim. I, 6): *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Atqui his in verbis non solum indicatur sacramentorum effectus, qui est gratia, renovatio Spiritus Sancti, vita æterna, etc; sed etiam relatio inter productionem gratiæ et signum sensibile: particulæ enim *ex, per,* veram causam efficientem denotant.

II. **Ex Traditione** [1]. Licet S. Patres, dum de sacramentorum efficacia agunt, verbulo *ex opere operato* non utantur, eam tamen ejusmodi extollunt verbis, quæ de sola causalitate ex opere operato intelligi queant.

Ait *Tertullianus:* « Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. » *(De Resurr. carnis, c. 8).*

S. August.: « Sacramenta Novi Test. dant salutem; sacramenta Veteris Test. promiserunt Salvatorem. » *(In Ps. LXXIII, n. 2).* — « Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat. » *(In Joan., tr. 80).*

Præterea, S. Patres aquam Baptismatis comparant utero materno, ex quo generamur; vel utero Virginis, cui Spiritus Sanctus tribuit virtutem generandi Christum. « Originem, *inquit S. Leo M.,* quam sumpsit (Filius Dei) in utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis; dedit aquæ, quod dedit matri; virtus enim Altissimi... quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem. » *(Serm. 25, De Nativ. Dom.)*

III. **Ex Ratione.** Baptismus parvulis exhibitus, ut generatim concedunt ipsi protestantes, validus est, et gratiam eis confert, etiamsi ab indigno conferatur ministro. Atqui parvuli per fidem propriam non possunt justitiam acquirere. Baptismus igitur ipsis gratiam ex opere operato confert.

1479. — Corollaria. Ex eo quod sacramenta gratiam producant ex opere operato, plura sequuntur corollaria notatu digna.

[1] Cf. Tolet., In q. 62, a. 1, p. 409.

Sequitur I. Verba in sacramentis non esse concionatoria tantum ad fidem excitandam, ut docuit Calvinus; aut promissoria tantum ad fiduciam augendam in Christi promissiones, ut perhibuit Lutherus; sed esse vere *consecratoria*, et efficere quod significant. Sunt enim pars essentialis sacramenti, quapropter efficaciam totius participant.

Sequitur II. Sacramenta effectus suos in suscipiente producere eodem temporis puncto, quo actio sacramentalis substantialiter completur.

Sequitur III. Sacramenta, cum gratiam producant ex opere operato, operari ad modum causarum naturalium. Porro, causarum naturalium ea est natura, ut quantum est de se, eumdem semper producant effectum, secundum effatum: *idem manens idem semper facit idem;* unde si diversis subjectis æqualiter dispositis applicantur, eumdem producunt effectum; si vero subjectis inæqualiter dispositis, pro dispositionum inæqualitate inæqualem producunt effectum. Pari modo, idem sacramentum duobus subjectis æqualiter dispositis applicatum, æqualem in utroque producit gratiam; si vero inæqualiter dispositis applicetur, majorem in eo producit gratiam, qui perfectius est dispositus. « Justitiam in nobis recipientes unusquisque suam, *inquit Trident., Sess. VI. cap. 7,...* secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem [1]. »

Hæc lex, qua a Deo statutum est, ut sacramenta pro diversa suscipientium dispositione et cooperatione, majorem vel minorem producant gratiam, divinæ sapientiæ omnino consentanea est. Decet enim eos, qui auxiliis actualibus perfectius correspondentes, majori cum devotione ad sacramenta accedunt, majorem etiam consequi gratiam, quam illi, qui cum minori accedunt. Per hanc etiam legem excitatur homo ad fervorem ac pietatem, ut ad tanta mysteria accipienda majori cum præparatione accedat.

An autem diversa sacramenta natura sua inæqualem producant gratiam, etiam *ut certum* est affirmandum cum communi doctorum sententia. Definivit enim Trident., Sess. VII, can. 3, sacramenta *non esse inter se paria, nec ejusdem dignitatis.* Sed causæ inæquales inæquales etiam per se producunt effectus.

1480. — **Quæritur.** *Quomodo quoad efficaciam differant sacramenta Novæ Legis a sacramentis Legis Veteris* [2].

Resp. Differentiam indicat Florentinum (Decr. pro Arm.): « Illa, *inquit,* (id est sacr. Veteris Legis), non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra

[1] Cf. S. Th., q. 69, a. 8; Isamb., In q. 62, disp. II, art. 4. — [2] Cf. S. Th., q. 70, a. 4; q. 62, a. 6.

et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt. » Hanc ob causam sacr. Veteris Legis ab Apostolo (Gal. IV, 9) vocantur *infirma et egena elementa.*

Differunt igitur in eo, quod nostra sacramenta gratiam causant ex opere operato; sacr. vero Veteris Legis adultis gratiam conferebant solum *ex opere operantis,* dependenter scilicet ab eorum dispositionibus, quæ erant fides in Christum venturum, et contritio.

In parvulis circumcisio (sicut etiam sacramentum ad delendum in eis peccatum originale in statu legis naturæ) gratiam causabat *quasi ex opere operato,* ut ait S. Th. [1] — Non causabat gratiam simpliciter ex opere operato, quia vi solius operis gratia non conferebatur; nec simpliciter ex opere operantis, quia ex parte suscipientis nullus actus erat possibilis, et ex parte ministrantis nullus requirebatur actus nullaque dispositio præter intentionem faciendi quod faciebat Ecclesia tunc existens; unde, sicut communiter docent doctores, incircumcisi et infideles potuerunt valide et fructuose circumcisionem conferre, dummodo intenderent facere quod faciebat vera Ecclesia. In circumcisione igitur justificabantur parvuli per fidem ipsius Ecclesiæ in Christum venturum; qui modus est quasi intermedius inter modum quo operantur sacramenta Novæ Legis, et modum quo in adultis operabantur Veteris Legis sacramenta.

Nullum præterea sacr. Veteris Legis characterem animæ imprimebant, sicut imprimunt quædam novi fœderis sacramenta.

§ 2. *Controversia inter Catholicos* [2].

Docent una voce theologi contra protestantes, sacramenta causas esse instrumentales, quæ ex opere operato gratiam producunt, ut modo dictum est.

Cum autem causa instrumentalis possit *physicam* vel *moralem tantum* possidere causalitatem, disputatur utrum sacramenta sint gratiarum causæ physicæ, an morales tantum.

1481. — Prænotanda. — Causa *efficiens physica* ea dicitur, quæ sua reali et physica actione effectum producit, sicut, v. gr., ignis dum lignum comburit. — Causa *efficiens moralis,* quæ sua reali et physica actione effectum non producit, sed movet causam physicam ut effectum producat, v. g., consulendo, orando, merendo.

[1] 4. *Sent.,* D. I, q. II, a. 6, ad 2; cf. S. Alph., *Mor.,* l. VI, n. 3. — [2] Cf. Salmant., Disp. IV, dub. 4; Bucceroni, *De Sacr. causalitate;* Isamb., In q. 62, disp. 4.

Utraque potest esse *principalis* aut *instrumentalis*.

Causa *physica principalis* est, quæ propria et connaturali sua virtute effectum producit. — Causa *physica instrumentalis*, quæ virtute aut motione a causa principali accepta, sua actione effectum producit: ut, v. gr., securis in manu artificis.

Causa *moralis principalis* ea est, quæ propria dignitate proprioque valore causam efficientem physicam movet ad effectum producendum. — Causa *moralis instrumentalis*, quæ non propria dignitate, sed dignitate a causa morali principali participata, causam physicam inducit ad agendum.

Causa efficiens physica et moralis se invicem non excludunt: potest enim aliquis alium ad agendum inducere, et cum eo simul ad productionem effectus physice concurrere.

1482. — Status controversiæ. — Docent omnes theologi una cum Tridentino, *Sess. VI, cap. 7*, causam primariam moralem nostræ justificationis esse Christum Dominum, qui sua passione Deo Patri pro peccatis nostris satisfecit, nobisque justificationem meruit.

Concedunt etiam omnes fere theologi sacramenta esse causas morales instrumentales gratiæ: sunt enim, cum ejus nomine conferantur, moraliter actiones ipsius Christi; sunt veluti vasa plena Christi sanguine, quæ Christi satisfactiones et merita Deo exhibendo, ipsum ad gratiam conferendam movent.

Sed controvertitur, an præter prædictam causalitatem moralem, sacramenta, tanquam instrumenta physica, concurrant *influxu physico et reali* ad gratiæ productionem.

Prima sententia, quæ est Scotistarum communiter, Vasquez, De Lugo, aliorumque plurimorum, in sacramentis solam agnoscit causalitatem moralem; causalitatem vero physicam ipsis denegat, vel ut inutilem, cum sufficiat moralis; vel ut impossibilem, cum nemo intelligere valeat quomodo res materialis ad effectum spiritualem producendum concurrere possit.

Secunda sententia, quæ est S. Thomæ [1] et Thomistarum communiter, Salmanticensium, Isamberti, Bellarmini, Suaresii,

[1] Q. 62, a. 4; *Quodl.*, 12, a. 14.

aliorumque plurimorum, docet, in sacramentis admittendam esse veram causalitatem physicam, ita ut sacramenta tanquam instrumenta Dei, actione sua physica et reali, non quidem virtute sua naturali, sed virtute aut motione a Deo ipsis per modum transeuntis communicata, gratiam producant in anima.

1483. — Utraque sententia est probabilis, *ait S. Alphonsus* [1]; quæ magis placuerit, quilibet amplectatur. Prima est intellectu facilior; alteram tamen, quæ magis arridet, eligimus. Etenim:

1. *Videtur S. Scripturæ conformior.* — Scriptura docet renasci nos *ex aqua, per lavacrum regenerationis,* mundari *lavacro,* gratiam et Spiritum Sanctum dari *per manuum impositionem.* Sed particulæ *ex, per,* et casus ablativus *lavacro,* sensu proprio et obvio physicam causalitatem denotant.

2. *Videtur dictis Sanctorum conformior.* — S. Thomas agens de prima sententia, ait: « dictis Sanctorum repugnat, et derogat dignitati sacramentorum. » *(Q. 78, a. 4).* — Dicta enim Patrum de sola causalitate physica intelligi rite possunt. « Unde tanta vis aquæ, *ait S. August.;* ut corpus tangat et cor abluat. » *(In Joan., tr. 80).* — *Ven. Beda:* « Factum est autem quod Dominus tactu suæ mundissimæ carnis, vim regenerativam contulit aquis. » *(In Luc., c. 10).* — Similia habent alii Patres. *(N. 1478).*

3. *Videtur liturgiæ conformior.* — Lex orandi statuit legem credendi. Atqui preces et formulæ Ecclesiæ in solemni benedictione fontis et confectione chrismatis aperte denotant physicam adesse in sacramentis efficientiam. Hæc inter alia usurpat verba: « Tu has simplices aquas tuo ore benedictio, ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces. » — Et ter immergendo cereum, celebrans canit: « Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus Sancti »; et insufflando in aquam: « Totamque hujus aquæ substantiam regenerandi fecundet effectus. »

Consecrando oleum, orat Ecclesia: « Clementiam tuam suppliciter deposcimus, ut huic unguento, spiritualem gratiam largiendo, plenitudinem sanctificationis infundas... ut hujus creaturæ pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris, et Sancti Spiritus ei admiscere virtutem. »

4. *Videtur dictis Conciliorum conformior.* — Tridentinum et Florentinum docent, Novæ Legis sacramenta *continere* et *conferre* gratiam

[1] *Mor.,* l. VI, n. 7; *Exam. Ord.,* n. 23.

quam significant; Tridentinum insuper docet ea operari *ex opere operato*, et Sess. XIII, cap. 3, ait: sacramenta ab Eucharistia diversa « tum primum vim sanctificandi habent, cum quis illis utitur. » Quæ omnia sensu obvio et proprio rectius de causalitate physica quam de morali intelliguntur.

5. *Est rationi conformior. — a)* Concil. Trid., Sess. VI, cap. 7, Baptismum vocat *causam instrumentalem nostræ justificationis;* et S. Patres sacramenta vocant *instrumenta,* quibus Deus nobis suas gratias impertitur. Porro, causa moralis improprie tantum et metaphorice est instrumentum. Si igitur sacramenta moraliter tantum et non physice producerent gratiam, non ejus vera forent instrumenta.

b) Si Novæ Legis sacramenta ad productionem gratiæ physice non concurrerent, nihil supra sacramenta Veteris Legis habere viderentur, cum et hæc Deum ad gratiam concedendam moverent. Relata contraria opinione, *ait S. Th.:* « Sed hoc non est sane dictum: quia sic non esset aliqua prærogativa sacramentorum Novæ Legis ad vetera; quia etiam in illis virtus coassistens fidei credentium in Christum venturum justificabat. » *(Quodl., 12, a. 14).*

c) Si sacramenta moraliter tantum gratiam causarent, non satis apparet quomodo verificantur sacramentorum formæ, præcipue forma Pœnitentiæ, in qua sacerdos absolvit per modum judicis; sed judex absolvit per seipsum, et non solum movendo alium, qui absolvat.

His igitur ducti rationibus, recte cum S. Thoma admittere possumus Novæ Legis sacramenta, per virtutem ipsis a Deo mediante Christi humanitate transeunter communicatam, ad hoc elevari, ut, tanquam instrumenta Divinitatis, actione sua reali et physica productionem gratiæ attingant.

Qui vero istam sacramentorum efficaciam intellectu difficilem reputaverit, memor sit verborum *Catech. Rom.:* « Quo autem pacto tanta res et tam mirabilis per sacramentum efficiatur, ut, quemadmodum S. Augustini sententia celebratum est, *aqua corpus abluat, et cor tangat,* id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendi non potest. Constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem suapte natura ea vi præditam esse, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei virtutem in Sacramentis inesse, qua id efficiant quod sua vi res ipsæ naturales præstare non possunt. » *(C. I, n. 27).*

1484. — Scholium. *De sacramentorum causalitatis ad Christi passionem relatione.*

Novæ Legis sacramenta dicuntur fluxisse e latere Christi dormientis in cruce, quia totam suam virtutem et efficaciam ex Christi passione accipiunt; ideoque sunt instituta ut fiant instrumenta et quasi canalia, quibus Christi satisfactiones et merita nobis applicentur et approprientur. *(Cf. S. Th., q. 62, a. 5).*

Inde quædam notatu digna, quibus intimior nobis de sacramentorum dignitate et necessitate exhibetur cognitio.

1. Passio Christi est salutis nostræ causa maxime universalis et sufficientissima. Sapientissima tamen voluntate statuit Deus, ut secundum legem ordinariæ providentiæ, hæc causa universalis effectum suum non produceret, nisi singulis per causas particulares, sacramenta videlicet, applicetur. *(S. Th., q. 49, a. 1, ad 2; q. 61, a. 1, ad 3; De Verit., q. 29, a. 7, ad 8).* — Qui igitur passionem Christi per sacramenta *re* vel *voto* suscepta sibi appropriare recusaverit, salutiferum passionis effectum haud consequi potest. Exinde sacramentorum absoluta necessitas. *(N. 1436 et 1525).*

2. Passio Christi est omnium peccatorum omniumque defectuum, qui ex peccato profluunt, universalis medicina. *(Q. 69, a. 1, ad 3).* Hæc autem per diversorum sacramentorum efficientiam ita diversificatur variisque nostris indigentiis accommodatur, ut cuilibet vulneri speciale exhibeatur medicamentum. Sic, v. gr., per Baptismum ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis, per Confirmationem, contra infirmitatem animi modo genitis propriam; per Eucharistiam, contra fragilitatem animi ad peccandum, etc. *(Cf. q. 65, a, 1).*

3. Passio Christi est fons universalis, in quo reconditur thesaurus omnium gratiarum omniumque auxiliorum ad omnes vitæ christianæ effectus necessariorum. Hic autem fons unicus et universalis per rivulos septem sacramentorum in animam hominis deductus ita diversificatur, ut modo gratiam præstet ad vitam, modo robur det ad pugnam; hic animam ad cibi instar nutriat, ibi lapsam restituat, etc. *(Q. 65, a. 1)*,

4. Per sacramenta passio Christi omnia tempora et loca efficienter et realiter attingit, ita ut sacramenta recte vocari possint *Extensio Incarnationis et passionis* ad omnia loca et tempora. — Passio quoad suum esse physicum non amplius existit; unde nec amplius potest per modum causæ efficientis immediatæ peccatum in nobis remittere et causare gratiam. Remanet vero in terris quoad suam virtutem in sacramentis, quæ totam suam efficaciam ex passione trahunt: et ideo etiam nunc, et usque ad mundi finem, et usque ad terræ limites, mediantibus sacramentis, passio Christi per modum cujusdam efficientiæ effectus suos producere valet. « Christus, *inquit S. Th., q. 49, a. 1, ad 3,* sua passione nos liberavit causaliter, id est, instituens causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata quandoque dimitti, vel præsentia, vel præterita, vel futura; sicut si medicus faciat medicinam ex qua possent quicumque morbi sanari etiam in futurum. »

ARTICULUS II.

DE GRATIA A SACRAMENTIS PRODUCTA.

Duplex a sacramentis confertur gratia, *sanctificans* scilicet, quæ nos Deo gratos reddit, et *sacramentalis*, quæ ad proprium cujuslibet sacramenti finem obtinendum ordinatur.

§ 1. *De Gratia Sanctificante.*

1485. — Sacramenta Novæ Legis gratiam sanctificantem conferre, qua amici Dei constituimur, ex iis manifestum est, quæ supra contra protestantes disputata sunt. — Cum autem gratia sanctificans distinguatur in primam et secundam, quæritur quamnam gratiam diversa sacramenta producant. — Gratia *prima* vocatur, quæ ex non justis justos facit; *secunda*, quæ est justitiæ in anima jam existentis augmentum.

1486. — Prop. I. *Sacramenta mortuorum per se et primo gratiam primam; sacramenta vero vivorum per se et primo gratiam secundam causant.* — Certa.

Prob. Sacramenta per se, primo et directe, eam causant gratiam, ad quam conferendam a Christo Domino sunt instituta. Atqui sacramenta mortuorum instituta sunt in remissionem peccatorum, secundum illud (Act. II, 38): *Baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum.* — (Joan. XX, 23): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* — Sacramenta autem vivorum instituta sunt sive ad vitam corroborandam, ut Confirmatio, sive ad alendam, ut Eucharistia, etc., unde et vitam natura sua jam præsupponunt. Sacramenta igitur mortuorum primo et per se, primam producunt gratiam; sacramenta vero vivorum primo et per se, gratiam secundam.

1487. — Prop. II. *Per accidens sacramenta mortuorum gratiam secundam, et sacramenta vivorum gratiam primam causant.*

Certa, quoad primam partem; *communis* quoad alteram.

Prob. I. Pars. *De fide* est ex Trident., Sess. VII, can. 6, sacramenta suscipienti et obicem non ponenti semper conferre gratiam. Atqui peccati mortalis absentia non est obex gratiæ. Ergo quotiescumque sacramentum mortuorum suscipitur ab homine, qui nullo mortali inquinatur, gratiam causat; sed non potest producere primam, quia jam adest; ergo secundam.

Prob. II. Pars. « Sacramenta vivorum, *inquit S. Alph.*, aliquando primam gratiam conferre possunt, scilicet cum quis putans se non esse in statu peccati mortalis, vel existimans se contritum accedit cum attritione ad sacramentum, ut expresse docet S. Thomas *(De Eucharistia, P. III, q. 79, a. 3)*... Et idem communiter docent doctores de aliis sacramentis, ut Gonet, Concina, etc... Ratio, quia in Trid. dicitur: *Si quis dixerit sacramenta Novæ Legis... gratiam non ponentibus obicem, non conferre,... anathema sit.* Nota verbum *ponentibus obicem;* ergo qui accedit ad sacramentum vivorum cum attritione, quæ excludit peccati affectum tam actualem quam habitualem, jam obicem non ponit, et ideo gratiam recipit, modo habeat votum pœnitentiæ. » *(Mor., l. VI, n. 6).*

§ 2. *De Gratia sacramentali*[1].

1488. — Gratia sacramentalis definitur: *Jus ad habenda auxilia actualia, quæ necessaria sunt ad consequendum cujusque sacramenti finem.* (Gotti)[2].

Gratia sacramentalis est *jus quoddam morale* ex divina ordinatione annexum gratiæ sanctificanti in sacramento receptæ; seu, ut alii malunt, est ipsa gratia habitualis cum jure annexo ad auxilia actualia tempore opportuno recipienda, quibus homo finem sacramenti consequi possit. Ipsa vero au-

[1] Cf. Isamb., In q. 62, Disp. 2; Gonet, Disp. III, a. 6; Gibbon, Disp. 28, dub. 2. — [2] *De Sacr.*, q. IV, dub. 2.

xilia actualia tempore opportuno concessa, largo sensu dicuntur etiam gratiæ sacramentales, quia conceduntur vi sacramenti; ast sensu pressiori et strictiori non sunt gratia sacramentalis; gratia enim sacramentalis datur in ipsa susceptione sacramenti; sed in ipsa susceptione sacramenti præter gratiam sanctificantem non datur nisi jus quoddam ad auxilia ista tempore opportuno obtinenda. Unde gratia actualis *formaliter* sumpta recte dicitur esse jus illud gratiæ habituali annexum, vel ipsamet gratia habitualis cum jure superaddito.

1489. — Prop. *Quodlibet Novæ Legis sacramentum præter gratiam sanctificantem confert gratiam sacramentalem.*— Certa.

Prob. I. **Ex Concilio Florent.** Docet Florentinum, decr. pro Arm., quodlibet sacramentum ad specialem finem ordinari; et ubi singillatim agit de sacramentis, effectus speciales cujuslibet sacramenti enumerat. Porro, ubi sunt speciales effectus in vita christiana, specialia etiam requiruntur auxilia ad eos obtinendos. Sacramenta igitur nos ad fines speciales ordinando, dant etiam auxilia eisdem accommodata.

« Gratia virtutum et donorum (id est, gratia sanctificans), *inquit S. Th.*, sufficienter perficit essentiam et potentias animæ quantum ad generalem ordinationem actuum animæ; sed quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita christiana, requiritur sacramentalis gratia. » *(Q. 62, a. 2, ad 1).*

II. **Ex Auctoritate.** « Sicut investitur canonicus per librum, *inquit S. Bernard.*, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum diversæ traditæ sunt a sacramentis. » *(Sermo de cœna Dom.).* — Sed diversæ divisiones gratiarum in sacramentis non sunt nisi gratiæ sacramentales.

III. **Ex Ratione.** Cum gratia habitualis, qua amici Dei constituimur, eadem sit in omnibus sacramentis, si præter gratiam sanctificantem nulla alia produceretur, sequeretur nihil produci in uno sacramento, quod non produceretur in alio; et sic satis esset unum adesse, præsertim si talis esset naturæ, ut sæpius recipi posset. Sed in operibus Dei nihil

est supervacaneum. Ergo concedendum est præter gratiam communem, aliam etiam in sacramentis conferri, quæ sacramentalis dicitur.

1490. — Corollarium. — Cum gratia sacramentalis sit jus annexum gratiæ habituali, qui per peccatum gratiam habitualem amittit, amittit etiam jus ad auxilia actualia fini sacramenti obtinendo necessaria. Recuperata vero gratia per pœnitentiam, restituitur etiam jus ad illa auxilia, *teste S. Cypriano:* « Deus, *ait*, reversis dat, ut iterum possint eis sacramenta prodesse; quorum, si pœnitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possint effectum. » *(De ablutione pedum)* [1].

1491. - **Quæritur I.** *Quænam est gratia sacramentalis cuilibet sacramento propria.*

Resp. Cum gratia sacramentalis ordinetur ad finem sacramenti consequendum, pro finium diversitate, diversæ conceduntur gratiæ.

Baptismus homini suppeditat auxilium speciale, quo possit concupiscentiam vincere, mundi oblectamenta contemnere, vitam instituere novam, seque Christo, cujus factus est filius, conformare.

Confirmatio, ut data occasione fidem intrepide profiteatur, et eam cum vitæ etiam discrimine fortiter defendat.

Eucharistia, ut Deo Christoque adunatus maneat, et quotidie crescat in novitate vitæ.

Pœnitentia, ut commissa delicta perfectius detestetur, peccatorum devitet occasiones, in gratia perseveret, et præteritas culpas expiet.

Extrema Unctio, ut a peccatorum reliquiis purgetur, in infirmitate allevietur, et insidiis diaboli facilius resistat.

Ordo sacris ministris auxilia confert, quibus sacra munera digne peragere valeant.

Matrimonium conjugibus auxilium tribuit ad inordinatam concupiscentiam refrænandam, fidem conjugalem servandam, prolem pie educandam, et omnes status conjugalis obligationes constanter implendas.

1492. Quæritur II. *An gratiæ sacramentales etiam sine sacramentis conferantur* [2].

Resp. Cum in necessariis nemini unquam desit suavis Dei providentia, iis etiam, qui sacramenta non receperunt, aut per subsequens peccatum jus ad specialia auxilia amiserunt, non denegatur,

[1] Cf. Lugo *De Sacr.*, Disp. IV, sect. 4, n. 29. — [2] Cf. Isamb., In q. 62, disp. 2, a. 9 et 10.

urgente necessitate, auxilium sufficiens ad specialem sacramenti finem obtinendum. Sic, v. gr., si baptizatus nondum confirmatus rapitur coram tyranno, auxilium, quo pro fide fortiter pugnet, ei non denegatur. Ast, cum juxta providentiam ordinariam Deus gratiam sacramentis alligaverit, auxilia eisdem concessa *ordinarie* parciora sunt et minus selecta, quam quæ illis conferuntur, qui per dignam sacramentorum susceptionem ad ea jus habent. — Dixi *ordinarie;* quia aliquando uberrima etiam et selectissima eisdem Deus elargitur auxilia, quæ tunc conferuntur ex superabundanti Dei liberalitate, non autem ratione officii vel status, sicut iis, qui per sacramenti susceptionem jus habent ad gratias.

1493. — Quæritur III. *An sacramenta cum obice recepta, eo sublato, reviviscant.*

NB. Reviviscentia sacramenti vocatur collatio gratiæ sacramentalis alicujus sacramenti antea valide, sed propter obicem infructuose recepti *(cf. n. 1477, 5)*. Cum enim sacramentum ad conferendam gratiam præcipue sit institutum, si gratiæ productio in homine vi obicis impeditur, sacramentum quasi mortuum remanet: unde recte dicitur reviviscere quando producit effectum suum. *(Quid sit obex, cf. n. 1477, 5).*

Resp. 1. *Baptismum*, sublato obice, reviviscere, communiter docent auctores, cum S. Thoma, *q. 69, a. 10.* « Ratio, *ait S. Alph.*, quia peccatum ante Baptismum, vel in ipsa perceptione Baptismi consummatum non subjicitur Ecclesiæ clavibus, unde necesse est remitti per solam virtutem Baptismi, qui sublato obice habet effectum prius suspensum ratione fictionis. » *(Mor., l. VI, 87).*

2. *Confirmationem* et *Ordinem* reviviscere, multi etiam docent auctores, et quidem cum solidissimo fundamento, Ratio, « quia cum hæc sacramenta nequeant iterari, videtur consentaneum divinæ bonitati, ne tales suscipientes relinquantur destituti gratia sacramentali, tam proficua in confirmatis ad resistendum tentationibus, et in ordinatis ad obeunda munia clericalia. » *(S. Alph., loc. cit.)*

3. *Extremam Unctionem* et *Matrimonium* reviviscere, multi etiam docent, « quia (ut aiunt) etiam congruum videtur quod, cum Extrema Unctio non possit iterari eodem mortis articulo, nec matrimonium vivente eodem conjuge, interim fideles non careant gratia sacramenti. » *(S. Alph., loc. cit.)*

4. *Eucharistiam,* cum obice sive formali sive materiali receptam, revivisceré, communiter docent doctores, si obex tollitur antequam sacræ species consummentur.

Si vero obex tollitur postquam sacræ species fuerint consummatæ, distinguendum: si fuerit tantum materialis, *probabilius* est Eucharistiam non reviviscere, quia Eucharistia « ex sua institutione frequenter potest iterari: ideireo non fuit opus hanc tribuere efficа-

ciam tali sacramento, ut subveniatur fragilitati hominum. » *(S. Alph.)* — Si vero obex fuerit formalis, *certum* est sacramentum non reviviscere, alioquin illud sequeretur absurdum « quod sacerdos qui pluries in sua vita sacrilege celebrasset, si in morte cum remissa attritione confiteretur, reciperet totum cumulum gratiarum tot sacrilegarum communionum; imo quo sæpius indigne celebrasset, eo uberius gratiis ditaretur. » *(S. Alph., loc. cit.)*

5. *Pœnitentia* [1] cum obice formali recepta nunquam reviviscit, etenim, cum actus pœnitentis sint materia essentialis sacramenti, obex formalis sacramentum semper invalidat.

Si vero agitur de Pœnitentia recepta cum obice materiali, major occurrit difficultas; responsio enim dependet a quæstione: *an Pœnitentia possit dari valida sed informis.*

Scotistæ communiter negant hoc sacramentum posse esse validum sed informe: quocirca ejus reviviscentiam absolute negant. Alii ex eis Pœnitentiam cum obice materiali receptam validam esse dicunt et formatam; alii vero invalidam.

Thomistæ vero, quorum opinionem S. Alphonsus vocat *probabiliorem, veriorem, communissimam*, docent. Pœnitentiam dari posse validam simul et informem. Casus accidere potest, v. gr., quando aliquis habens duo mortalia, furtum et sacrilegium, in confessione furtum tacet ex inculpabili oblivione, et de eo non dolet ne implicite quidem per attritionem generalem; sed solum confitetur sacrilegium cum attritione concepta ex sola turpitudine supernaturali sacrilegii. Hoc in casu, sacramentum non producit gratiam: unum enim peccatum nunquam remittitur sine alio; erit tamen validum, quia « cum concurrant partes essentiales, quæ sunt dolor, confessio et absolutio, non potest invalidum dici sacramentum; unde libenter adhæremus sententiæ affirmativæ et communissimæ Thomistarum cum Suarez, Lugo, et S. Thoma, et dicimus talem confessionem semper esse validam, sed gratiæ expertem. » *S. Alph. (Hom. Ap., Tr. XVI, n. 18).* — Quapropter, sublato obice, sacramentum reviviscit.

ARTICULUS III.

DE CHARACTERE [2].

1494. — Character, vi etymologiæ significans *figuram* seu *notam* alicui impressam, est signum quoddam vel sigillum, quo res aliqua insignitur, vel ut appareat cujus sit domini,

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, l. VI, n. 87 et 444. — [2] Cf. S. Th., q. 63; 4. *Sent.*, D. 4.

et ab aliis dignoscatur: vel ut ad aliquod peculiare munus deputetur: sicut antiquitus milites signo ducis, cujus militiæ adscribebantur, signari solebant.

Character ex S. Th. definiri potest: *Signum spirituale animæ indelebiliter impressum, per quod homo ad cultum Dei deputatur, Christo configuratur, et ab aliis distinguitur. (Q. 63, a. 3).*

Dicitur: *signum spirituale*. nota scilicet seu tessera per sacramentum impressa, non corporalis, exterius apparens in corpore, sed invisibilis et interna, qua coram Deo, Angelis ac beatis insigniuntur qui Christo nomen dederunt, et ab eo ad spiritualia munia deputati sunt. — *Animæ*. ad indicandum subjectum characteris; — *indelebiliter impressum*. ad manifestandam præcipuam characteris dotem, quæ est indelebilitas; — *per quod homo, etc.*, quibus exhibentur finis et effectus characteris.

Characteris existentiam negaverunt protestantes; circa ipsius naturam disputant doctores catholici. Dicendum est igitur breviter 1. de existentia characteris; 2. de ejus natura; 3. de effectibus; 4. de subjecto; 5. de dotibus.

§ 1. *De Existentia Characteris.*

Characterem in quibusdam sacramentis imprimi, primus negavit Wicleff [1], quem secutus est Calvinus et alii passim reformatores sæc. XVI.

1495. — Prop. *Tria Novæ Legis sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio et Ordo, characterem imprimunt* [2].

De fide, ex Florent., decr. pro Arm; et ex Trident., Sess. VII, can. 9: « Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; A. S. »

NB. In S. Scripturis nullum invenitur argumentum, quod per se solum characteris existentiam apodictice probet; leguntur tamen textus, quibus ejus existentia innuitur, et ex quibus, accedente tradi-

[1] Cf. Valdensis, c. 109 — [2] Cf. Franzelin, Th. 12.

tione, non obscure eruitur. Unicum igitur fundamentum ad characteris existentiam invicte probandam, est Ecclesiæ traditio, quæ ab Apostolis accepta, decursu temporis perfectius est evoluta, et tandem in Tridentino solemniter proclamata.

Prob. prop. I. **Characteris existentia innuitur in Scripturis.** Legimus (II Cor. I, 21, 22): *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* His in verbis, quæ de Confirmatione verisimiliter intelliguntur, præter unctionem et inhabitationem Spiritus S., quæ fiunt per gratiam, Apostolus alium effectum commemorat, *obsignationem* scilicet; quam et in Baptismo etiam fieri affirmat (Eph. I, 13): *In quo* (Christo) *credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* Sed professio fidei, in qua fideles signati sunt credendo, in Baptismo emittitur.

II. **Ex Traditione manifeste et invicte eruitur.** Longe ante exortam hæresim Wicleffi Ecclesia erat in possessione tranquilla doctrinæ de charactere in quibusdam sacramentis impresso.

Sæculo XIII, de charactere loquitur *Innocentius III*, tanquam de re omnibus nota *(Cap. Majores, Decret., l. III, tit. 42, c. 3);* et *S. Thomas* testatur: « Characterem in sacramentis quibusdam imprimi omnes moderni confitentur. » *(4. Sent., D. 4, q. 1, a. 1).*

A *sæculo XIII ad sæculum V* frequentius apud Patres et Scriptores ecclesiasticos mentio occurrit de charactere in Baptismo, Confirmatione et Ordine impresso.

Sæculo V, celebris est disputatio S. Augustini contra Donatistas, in qua characteris existentiam strenue propugnavit. « Ovis es, *inquit ad Donatistas*, de grege Domini mei, cum signo errasti; ideo quæro magis, quia ipsum signum habes... Nescis quia desertor de charactere damnatur, de quo militans honoratur. » *(Or. ad pleb. Cæs., n. 4).* — « Vos oves Christi estis, quia characterem dominicum portatis, quem accepistis in sacramento, sed erratis et peritis. » *(Ep. 44, ad Donatum.)*

Sæculo IV, de charactere loquuntur *S. Basilius, S. Gregorius Naz., S. Cyrillus Hier., S. Ephrem*, etc. — « Spiritus

Sanctus per oleum imprimit signum suum ovibus suis, *ait S. Ephrem.* Sicut annulus in cera imprimit suum sigillum, ita etiam signum occultum Spiritus per oleum imprimitur personis, quando unguntur in Baptismo. » *(Biblioth. Or. Assemani, T. I, p. 94; cf. Franzelin, p. 152).*

Sæculo III, II, et I, rariora sunt testimonia, non desunt tamen omnino. Clemens Rom., *(Ep. ad Corinth., c. 7 et 8),* et Hermas Baptismum exhibent *ut sigillum impressum, (Pastor, l. III).* — Constitutiones Apostolicæ, *ut sigillum infragile, (l. III, c. 16).* — Acta S. Teclæ, *ut signaculum in Christo muniens contra tentationes.*

III. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia Baptismum, Confirmationem, et Ordinem iterari nunquam permisit, quia ut aiunt S. Patres, ista sacramenta *hærent, insunt, manent, permanent* « ad salutem bene utentium, ad perniciem male utentium », ut ait S. August. *(De Bapt., l. III, n. 15).* — Atqui non permanent in malis, nec quoad gratiam sanctificantem, quæ per peccatum tollitur; nec quoad ritum externum, qui cito transit. Ergo per aliquid aliud in homine remanere debent; quod vocatur character.

IV. **Ex Ratione.** *a)* Ratio a priori, cur in tribus hisce sacramentis, non autem in cæteris, imprimatur character, est sola Dei et Christi voluntas, quæ nobis per traditionem apostolicam et Ecclesiæ auctoritatem innotescit.

b) Rationem convenientiæ tradit S. Th., *q. 63, a. 1 et 6.* Sicut in humanis, qui ad aliquid deputatur, signo quodam corporali insigniri consuevit, ita etiam conveniens est eum, qui ad cultum christianæ religionis deputatur, aliquo signo spirituali insigniri. Atqui tria sunt sacramenta, per quæ homo ad divinum cultum deputatur, videlicet: Baptismus, per quem homo capax efficitur alia recipiendi sacramenta; Confirmatio, per quam majorem accipit aptitudinem ad alia recipienda sacramenta, et miles constituitur ad fidem strenue et fortiter defendendam; Ordo, per quem ad sacramenta aliis ministranda et ad exercendos actus sacramentales deputatur.

In aliis vero sacramentis recipitur gratia ad propriam sanctificationem, non autem deputatio ad cultum divinum.

Conveniens igitur est, in tribus illis sacramentis, non autem in cæteris, characterem imprimi.

§ 2. *De Natura Characteris* [1].

1496. — Docuerunt quidam antiquiores theologi, characterem nihil aliud esse quam externam quamdam denominationem consequentem ex divina ordinatione, qua quis ad actiones sacras deputatur, non secus, v. gr., ac minister deputatur a rege ad res publicas gerendas.

Hæc autem opinio hodie communiter tanquam erronea rejicitur. Docent enim Concilia et S. Patres: *characterem esse signaculum spirituale et indelebile animæ impressum:* tale vero signum nequit esse denominatio pure externa. Præterea, character est principium agendi vel recipiendi, et veram confert potestatem physicam. Porro denominatio non confert potestatem physicam, sed eam præsupponit in eo, quem ad aliquod opus deputat, ut patet in ministro, quem rex ad publica negotia gerenda deputat. Ergo character nequit esse denominatio pure externa.

1497. — Proinde, innixi definitione Tridentini *(Sess. VII, can. 9):* characterem nempe esse *signaculum spirituale et indelebile animæ impressum*, omnes theologi docent, characterem esse ens quoddam *reale* et *physicum*, pertinens ad categoriam qualitatis.

Sed cum quatuor enumerentur species qualitatis, videlicet: habitus et dispositio, potentia et impotentia, passio et patibilis qualitas, forma et figura, disputant theologi ad quamnam speciem qualitatis pertineat character. Verum, ut *ait Soto*, « quæstio est in visceribus metaphysices abstrusa, et ideo cunctis molestior, quam theologis necessaria. » *(Loc. cit.)* Quam ob causam, communiorem et probabiliorem S. Thomæ sententiam solam proferemus.

[1] Cf. Gibbon, Disp. 29, dub. 2 et 3; Soto, 4. *Sent.*, D. 1, q. 4, a. 2; Salmantic., Disp. V, dub. 2.

1498. — Docet *Angelicus*, characterem sacramentalem reduci ad secundam speciem qualitatis, atque esse *potentiam seu potestatem spiritualem instrumentalem physicam a Christo sacerdote homini indelebiliter communicatam.*

Dicitur I: *Characterem esse spiritualem potestatem.* — « Sacramenta Novæ Legis. *ait S. Th.*, characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei secundum ritum christianæ religionis... Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quædam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis requiritur quædam potentia activa: ad accipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quamdam potentiam spiritualem ordinatam ad ea quæ sunt divini cultus. — Sciendum tamen quod hæc spiritualis potentia est instrumentalis, sicut etiam supra dictum est de virtute quæ est in sacramentis. Habere enim sacramenti characterem competit ministris Dei: minister autem habet se per modum instrumenti. » *(Q. 63, a. 2; cf. S. Alph., Exam. Ord., n. 24).*

Accedit ratio: Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quotiescumque valide recipiuntur, quamvis adsit obex gratiæ, potestatem tamen spiritualem veram, realem, inamissibilem homini conferunt. Atqui, hæc sacramenta cum obice recepta, nihil nisi characterem producunt. Character igitur est ipsa spiritualis potestas ab eis collata.

Dicitur II: *Characterem esse potestatem physicam*, non autem moralem tantum. Etenim: potestas moralis est pura denominatio extrinseca, quæ nihil physice et indelebiliter in anima imprimit; præterea, potestas moralis præsupponit in agente potestatem physicam, sed eam non confert. Character vero est quid physice et indelebiliter in anima impressum, ut constat ex Tridentino; præterea, ipse in homine non præsupponit, sed confert potestatem physicam; ut patet de sacerdote, qui physice instrumentaliter concurrit ad transsubstantiationem et absolutionem. Character igitur nequit esse sola potestas moralis.

Dicitur III. Characterem sacramentalem esse *potentiam a sacerdotio Christi derivatam.* — Potestas instrumentalis est

potestas derivata a potestate principali. Jamvero potestatis plenitudo in ordine ad cultum divinum residet in Christo, qui vi unionis hypostaticæ unctus est in sacerdotem, et possidet potestatem excellentiæ. Cum igitur character sit potestas instrumentalis ad cultum divinum ordinata, a potestate sacerdotali Christi derivatur.

« Deputatur quisque fidelis, *inquit Angelicus*, ad recipiendum vel tradendum aliis ea quæ pertinent ad cultum Dei; et ad hoc proprie deputatur character sacramentalis. Totus autem ritus christianæ religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum est quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cujus sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quædam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatæ. » *(Q. 63, a. 3; cf. Cajetan. in hunc art.).*

1499. — Corollaria. — Ex dictis datur intelligi quid sit proprius cujuslibet sacramenti character.

Character Baptismi est potentia passiva, realis et physica, a potestate sacerdotali Christi derivata, qua homo capax constituitur alia recipiendi sacramenta. *(Cf. n. 1552).*

Character Confirmationis est potentia passiva simul et activa, realis et physica, a potestate sacerdotali Christi derivata, qua homo et ad sacramentum ordinis recipiendum aptior redditur, et ex officio ad fidem publice coram tyranno profitendam, deputatur.

Character Ordinis est potestas activa, realis et physica, a potestate sacerdotali Christi derivata, qua homo ad Eucharistiam conficiendam et ad sacramenta aliis administranda potens constituitur.

§ 3. *De Effectibus Characteris.*

1500. — Qui sint effectus characteris, ex dictis jam manifestum est. Character est *signum*, — est *spiritualis potestas*, — est *potestas a sacerdotio Christi derivata.*

Quatenus signum, character Baptismi distinguit fideles a servis diaboli in ordine ad cultum militantis Ecclesiæ; character Confirmationis distinguit spiritualiter provectos ab iis, qui spiritualiter sunt adhuc in statu infantilis ætatis; character Ordinis duces et pastores ab ovibus distinguit. — Exemplo sit exercitus temporalis militiæ: signantur omnes milites signo discernente eos ab hostibus; signantur speciali signo equites et turmæ quædam selectiores ad difficiliora certamina deputatæ; signantur signo specialissimo duces et rectores exercitus.

Quatenus potestas spiritualis, character hominem ad cultum divinum deputat, ut supra abunde dictum est.

Quatenus potestas a Christo participata, character Christo sacerdoti nos configurat. « Character, *inquit S. Th.*, est signum configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas ejus ad quod aliquis deputatur; sicut milites, qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur. Et hoc modo illi, qui deputantur ad cultum christianum, cujus auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur; unde est proprie character Christi. » *(Q. 63, a. 3, ad 2).*

§ 4. *De Subjecto Characteris.*

1501. — Character, cum sit signum spirituale, nequit esse in corpore tanquam in subjecto, sed solum in anima. Utrum autem sit in essentia animæ, an in aliqua facultate, disputatur.

Scotistæ docent characterem esse in voluntate. — *Bellarminus, Suarez, Isambertus*, etc., in ipsa essentia animæ. — *Thomistæ*, cum S. Thoma, in intellectu; quorum sententiæ propter D. Thomæ auctoritatem adhærendum est. Unde:

I. *Character non est in ipsa essentia animæ, sed in aliqua ejus facultate.*

Prob. Quod ad operationem directe et immediate ordinatur, non in essentia animæ, sed in operativa potentia immediate subjectari debet. Atqui characteres Confirmationis et Ordinis ordinantur ad operationes, ut ex dictis patet. Ergo

in aliqua potentia immediate subjectari debent. — Idem dicendum est de charactere Baptismi: hic enim, quamvis non sit qualitas operativa, attamen se habet respectu aliorum ut potentia receptiva; ac proinde in eodem subjecto ac alii characteres esse debet.

II. *Character subjectatur in intellectu.* — « Character, *ait S. Th.*, ordinatur ad ea quæ sunt divini cultus, qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa. » *(Q. 63, a. 4, ad 3).* Jamvero signa exteriora potissima, quibus fidem profitemur, sunt sacramentorum susceptio et administratio, atque fidei confessio coram tyranno. Ergo characteres in ea debent subjectari potentia, cujus est fidem interius profiteri, et in qua residet habitus fidei. Sed hæc est potentia intellectiva. Ergo.

§ 5. *De Dotibus Characteris.*

1502. — Duæ dotes characteris assignantur: *indivisibilitas* et *indelebilitas.* — *Indivisibilitas* est ea characteris proprietas qua fit, ut non suscipiat majus et minus, sed in omnibus sit æqualis. — *Indelebilitas* est ea characteris proprietas qua fit, ut semel impressus, non possit amplius deleri.

I. *Character est indivisibilis.* — Ratio, ob quam a sacramentis inæqualis producitur gratia, est diversitas dispositionum in suscipientibus. Sed character vi solius sacramenti, independenter ab omni suscipientis dispositione, imprimitur. Qua de causa idem sacramentum omnibus ipsum suscipientibus, æqualem imprimit characterem, et æqualem confert potestatem ad sacra vel suscipienda vel peragenda; sic, v. gr., character sacerdotalis omnibus eamdem potestatem ordinis tribuit.

II. *Character est indelebilis.* — Characterem esse indelebilem in præsenti vita, est *de fide,* ex Trident., Sess. VII, can. 9. — Ipsum remanere etiam post mortem, est sententia *communis* et *certa.*

Prob. 1. « Character sacramentalis, *inquit S. Th.*, est quædam participatio sacerdotii Christi in fidelibus ejus... Sa-

cerdotium autem Christi est æternum. Et inde est quod omnis sanctificatio quæ fit per sacerdotium ejus, est perpetua, re consecrata manente... Cum igitur anima sit subjectum characteris secundum intellectivam partem, in qua est fides, manifestum est quod sicut intellectus perpetuus est et incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima. » *(Q. 63, a. 5).*

2. Aliqua forma corrumpitur vel per sui contrarium, vel demeritorie per peccatum, vel per accidens propter corruptionem subjecti cui inhæret, aut propter corruptionem formæ principalis, a qua esse participat. Porro, character, cum sit qualitas spiritualis, sui contrarium non habet; nec demeritorie corrumpitur propter peccatum, cum etiam peccatoribus imprimatur; nec per accidens corrumpi potest, aut propter corruptionem subjecti: intellectus enim est incorruptibilis: aut propter corruptionem formæ principalis, a qua derivatur: sacerdotium enim Christi, cujus character est participatio, est æternum. Character igitur corrumpi nequit; sed etiam post mortem remanebit, non quidem ad recipienda vel exsequenda quæ ad cultum pertinent, « sed in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post acceptam victoriam, et in his qui vicerunt ad gloriam, et in his qui sunt victi, ad pœnam. » *(S. Th., loc. cit., ad 3).*

APPENDIX.

DE SACRAMENTALIBUS [1].

1503. — Sacramentalia vocantur res quædam aut actiones ab Ecclesia institutæ ejusque precibus sanctificatæ, ad effectus quosdam spirituales producendos, et quandoque ad effectum temporalem obtinendum.

Vocantur *sacramentalia*, non præcise quia in sacramentorum administratione usurpantur; sed ob quamdam analogiam, quam habent cum sacramentis. Sunt enim, non secus ac sacramenta, salvo tamen debito discrimine, signa sensibilia gratiam significantia, et ad spirituales quosdam effectus instituta.

Sacramentalia ad quatuor species reducuntur, quæ sunt: 1. *Ritus* et *cæremoniæ*, quibus Ecclesia in sacramentorum administratione utitur. — 2. *Benedictiones* et *exorcismi*, extra sacramentorum dispensationem adhibita. — 3. *Res sacræ*, quibus ex Ecclesiæ benedictione vis quædam salutifera annexa est, ut aqua benedicta, cerei agni (agnus Dei), luminaria benedicta, vinum S. Joannis, etc. — 4. *Pia quædam exercitia*, ut signum crucis, oratio dominica, oratio in ecclesia consecrata, tunsio pectoris, *confiteor*, eleemosyna ab Ecclesia præscripta; etc. — Præcipua hoc versiculo exprimi solent:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

De sacramentalibus duo sunt investiganda: ipsorum scilicet efficacia, et operandi modus.

1504. — **I. De Efficacia sacramentalium.** — Salutares quosdam effectus a sacramentalibus produci, citra temeritatem negari non potest: alioquin vana et superstitiosa foret eorum institutio, sicuti effutiunt protestantes. — Quinque eorumdem

[1] Cf. Salmant., Disp. X.

enumerantur effectus. « *Primus* est, *ait Polman, (Breviar.)* excitatio piorum motuum per gratias prævenientes. — *Secundus* est remissio peccatorum venialium, mediantibus ejusdem motibus; pœnitentia expressa vel implicita. — *Tertius* est remissio pœnæ temporalis debitæ peccatis. — *Quartus* est effugatio vel remissio dæmonis. — *Quintus* est sanitas corporalis, simileve beneficium temporale. »

Non omnes autem isti effectus, præsertim temporales, a sacramentalibus indiscriminatim producuntur; sed alii ab aliis, juxta finem, ad quem ab Ecclesia fuerunt instituta. Quisnam autem sit cujuslibet effectus proprius, judicandum est ex precibus, quæ in eorum confectione aut usu dicendæ sunt ex præscripto Ecclesiæ.

1505. — II. De modo operandi sacramentalium.

1. *Quoad collationem gratiarum actualium:* Sacramentalia hominibus, iisdem pie utentibus, gratias actuales ex opere operato non conferunt: solius enim Dei est gratiam alicui signo sensibili adnectere; — nec unice ex opere operantis, propter devotionem scilicet illius, qui eis utitur; sed eas præcipue propter Ecclesiæ preces conferunt.

« Causant sacramentalia, *aiunt Salmantic.*, prædicta auxilia per viam impetrationis, deferendo scilicet, et repræsentando in conspectu Dei orationes, quas Ecclesia fudit in eorum consecratione. » *(Disp. X, dub. I, n. 7).* — Quem modum operandi alii vocant *ex opere operantis,* alii vero *quasi ex opere operato.*

2. *Quoad remissionem venialium:* Sacramentalia peccatum veniale non ex opere operato, sed ex opere operantis remittunt, per pios scilicet motus doloris aut caritatis, quos homo producit sub influxu gratiæ actualis vi sacramentalium modo supra indicato receptæ [1].

3. *Quoad remissionem pœnæ temporalis:* Pœnam temporalem peccatis debitam sacramentalia dupliciter remittunt: *a) ex opere operantis,* per actus scilicet satisfactorios et me-

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, l. VI, n. 92; S. Th., P. III, q. 87, a. 3.

ritorios, quos homo sub motione gratiæ propter sacramentalia receptæ producit; *b) per modum indulgentiarum,* quæ a S. Pontifice aliquibus sacramentalibus annexæ sunt, ut rosariis, numismatibus, etc.

4. *Quoad repressionem et effugationem dæmonis:* Exorcismi dæmones quasi ex opere operato expellunt aut saltem reprimunt, ob peculiarem potestatem a Christo Domino Ecclesiæ concessam imperandi dæmonibus. Alia sacramentalia ipsos reprimunt, partim ob objectivam sanctitatem suam, quam diabolus naturaliter abhorret: quod elucet præsertim in signo crucis, in invocatione nominis Jesu, et in usu aquæ benedictæ; partim per viam impetrationis, fundatæ non tantum in ministro, sed multo magis in Ecclesiæ id petentis sanctitate, in cujus persona minister agit: hujus enim intercessionis ratione Deus dæmones abigit, et compescit.

5. *Quod effectus temporales:* Effectus temporales, ut sanitatem, remotionem alicujus calamitatis, etc., sacramentalia efficiunt vel per viam impetrationis, offerendo scilicet Deo orationes Ecclesiæ, quibus fuerunt sacrata; vel per viam adjurationis, quando contra dæmones diriguntur, per quos tempestates, vel aliæ publicæ aut privatæ calamitates, sæpe excitari solent.

Hos suos effectus, ut patet, sacramentalia producunt præsertim per viam impetrationis, ob preces Ecclesiæ. Quamvis autem Ecclesiæ preces a Deo semper exaudiantur, sacramentalia tamen speciales suos effectus non semper producunt infallibiliter: nulla enim adest divina promissio ipsis adnexa quoad hunc specialem effectum; præterea, qui sacramentalibus utuntur, impedimentum habere possunt ne effectum consequantur; et si agitur de effectu temporali, sicut de expulsione dæmonis, de sanitate recuperanda, de tempestate sedanda, propter bonum superioris ordinis sæpe expedire potest, ut effectus non concedatur.

Sæpius tamen quam credimus, sacramentalia suos producunt effectus. Unde « non sunt hæc contemnenda, *ait Paludanus,* licet non sint sacramenta, nec per modum sacramenti habeant effectum ex opere operato; quia effectum habent per

modum meriti et fidei ex opere operante; et non ex solo fervore et devotione utentium, sed totius Ecclesiæ. Unde sicut non est parvipendenda fides totius Ecclesiæ, meritum ejus et preces ejus, sic nec ista. Et quanto plus valet meritum et fides et oratio totius Ecclesiæ quam unius personæ, tanto præcellunt istæ generales cæremoniæ totius Ecclesiæ, quæ non sine inspiratione Dei sunt inventæ, singularibus devotionibus singulorum. » *(4. Sent., D. II, q. 1, a. 2).*

EXPLICIT TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TRACTATUS NONUS.

DE BAPTISMO.[1]

Conspectus generalis.

CAP. I. Notio et existentia.
- A. 1. Notio.
- A. 2. Existentia.

CAP. II. Natura et Proprietates.
- A. 1. Materia.
- A. 2. Forma.
- A. 3. Proprietates.
  - § 1. Unita
  - § 2. Necessitas.

CAP. III. Minister et subjectum.
- A. 1. Minister.
- A. 2. Subjectum.

CAP. IV. Effectus.

JOSEPHUS CHURCH,

[1] **Auctores consulendi:** *S. Thomas,* P. III, q. 66 et seq. — *S. Alphons.,* Mor., l. VI, n. 95 et seq.; Cont. hær., Sess. VII. Art. 2. — *Bellarminus.* — *Gibbon.* — *Isambert.* — *Tournely.* — *De Augustinis.* — Catech. Rom., P. II, c. 2. — *Marc.,* Instit., De Bapt.

INTRODUCTIO.

1506. — Explanatis, quæ ad sacramenta in genere spectant, de singulis in specie dicendum est, et primo quidem de Baptismo, quia, ut ait Florentinum, *(decr. pro Arm.)*, « primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. »

De Baptismo, non secus ac de sacramentis in genere, quatuor sunt in totidem capitibus examinanda. In cap. I. agendum est de Baptismi notione et existentia; in II. de ejus natura; in III. de ejus ministro et subjecto; in IV. de ejus effectibus.

CAPUT I.

DE BAPTISMI NOTIONE ET EXISTENTIA.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE BAPTISMI.

1507. — Vocabuli significatio. — Nomen *Baptismus* (a voce græca βαπτίζω vel βάπτω derivatum) sensu *litterali* et *proprio* corporalem ablutionem, tinctionem, aut immersionem significat; quo sensu de Judith legimus (Judith. XII, 7): *Baptizabat se in fonte aquæ.*

Sensu *translato* et *metaphorico* significat vel abundantem afflictionum copiam, vel superefluentem gratiarum et donorum Spiritus Sancti effusionem: quo sensu Christus aiebat ad Apostolos (Marc. X, 38): *Potestis bibere calicem quem ego bibo: aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* — (Act. I, 5): *Vos baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.*

Sensu *ecclesiastico*, ex antiquissima Ecclesiæ traditione et ipsius Scripturæ testimonio, ritum sacrum indicat, quo per

lavacrum aquæ in verbo vitæ homo in vitam gratiæ renascitur: quo in sensu de Baptismo in hocce tractatu sermo instituitur.

1508. — Definitio Baptismi. — Baptismus a Catechismo rom. *(c. 2, n. 5)* definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ:* vel explicatius a theologis: *Sacramentum Novæ Legis a Christo institutum ad spiritualem hominis regenerationem, per ablutionem corporis externam, sub præscripta forma verborum.*

Dicitur: *Sacramentum a Christo institutum*, quæ verba genus indicant; — *ad spiritualem hominis regenerationem*, quæ verba finem et effectum principalem Baptismi referunt, et differentiam specificam exhibent, qua Baptismus ab aliis sacramentis, et speciatim a Pœnitentia, distinguitur; Pœnitentia enim, licet peccata remittat, et conferat gratiam, tamen *non regenerare*, sed *resuscitare* dicitur. — *Per ablutionem externam corporis*, quibus verbis materia proxima Baptismi indicatur; — forma vero indicatur verbis: *sub præscripta forma verborum.*

1509. — Baptismi nomina. — Baptismus pluribus insignitur nominibus.

A MATERIA vocatur *lavacrum aquæ, unda genitalis, fluvius aquæ vitalis.*

A FORMA dicitur *sacramentum Trinitatis, sacramentum fidei*, tum quia in nomine S. Trinitatis confertur, tum quia homines in ejus susceptione fidem profitentur.

A FINE et EFFECTIBUS nominatur *regeneratio et renovatio*, quia novam vitam gratiæ tribuit. (Tit. III, 5): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti:* — *expurgatio*, quia vetus fermentum peccati expellit; *illuminatio*, quia in eo habitus fidei infunditur; *sigillum, signatio*, quia per characteris impressionem baptizatos a non baptizatis discriminat et Christo configurat; *custodia, præsidium*, quia qui per Baptismum familiæ Christi adscripti sunt, specialiori divini Numinis providentia, tanquam cives Sanctorum et domestici Dei, gubernantur.

1510. — Figuræ Baptismi. — Multis figuris præsignatus fuit Baptismus. Præcipuæ sunt: *diluvium*, quo mundus a cri-

minibus fuit purgatus (I Petr. III, 21); *transitus maris rubri* (I Cor. X, 2); *ablutio Naaman Syri* (IV Reg. V, 14); *probatica piscina* (Joan. V, 2); *transitus Jordanis, diversæ lotiones legales Judæorum.* Præcipua figura in Lege Veteri fuit *circumcisio*, qua et auferebatur peccatum originale et homo populo Dei adscribebatur; — et tempore Christi, *Baptismus Joannis*, quo ipse Salvator baptizari voluit, ut aquas sanctificaret.

1511. — Tria baptismata. — Tria solent distingui Baptismata: *fluminis, flaminis,* et *sanguinis.*

Baptisma *fluminis* est illud, quod modo definivimus, quodque solum est Novæ Legis sacramentum.

Baptisma *flaminis* « est perfecta conversio ad Deum per contritionem vel amorem Dei super omnia cum voto explicito vel implicito veri Baptismi fluminis, cujus vicem supplet quoad culpæ remissionem. » *(S. Alph., Mor., l. VI, n. 96).*

Baptisma *sanguinis* est sanguinis effusio, seu mors tolerata pro fide, aliave christiana virtute. *(De quibus infra n. 1526 et seq.)*

ARTICULUS II.

DE BAPTISMI EXISTENTIA.

1512. — Sacramentum regenerationis fuisse a Christo Domino in Lege evangelica institutum, in sacris codicibus aperte declaratur: ipse enim Salvator Apostolis mandatum dedit baptizandi omnes gentes, omnibusque hominibus imposuit Baptismum suscipiendi obligationem, (Matth. XXVIII, 19): *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* — (Marc. XVI, 16): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* — (Joan. III, 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Hujus sacramenti existentiam nullus unquam negavit hæreticus; quare in ea asserenda et probanda non immorandum est. Duo tantum inquirere juvat: quandonam scilicet

Baptismus fuerit institutus; et quomodo Baptismus Christi a baptismate Joannis differat.

1513. — I. **De Tempore institutionis** [1]. — Baptismi materiam designatam fuisse quando Jesus baptizatus est in Jordane a Joanne, formam vero quando Jesus assensurus in cœlum dixit Apostolis: *baptizantes eos in nomine Patris*, etc., docuerunt Alex. Alensis [2], Albertus Magn. [3], et alii, quibus favere videntur S. Joan. Chrysost. [4] et Tertullianus [5].

Communis tamen S. Patrum et theologorum sententia docet. Baptismum quoad materiam et formam institutum esse ante Christi passionem, licet obligare non cœperit nisi post solemnem ejus promulgationem die Pentecostes. Cui sententiæ magnum ex ipsis Scripturis accedit robur: constat nimirum ex Scripturis Apostolos in ultima cœna S. Eucharistiam et Ordinem accepisse. Ast, ut in superiori tractatu notatum est *(n. 1469)*, ex divina ordinatione soli baptizati aliorum sacramentorum sunt capaces; nequaquam autem credendum est Christum pro Apostolis hanc ordinationem prætermisisse. Inde, Apostolos ante ultimam cœnam jam fuisse baptizatos, recte infertur.

Præterea, legimus Apostolos baptizasse *(Joan. III, 22; IV, 1 et 2)*; sed non baptizabant baptismate Joannis, alioquin invidiam discipulorum Joannis non commovissent; et nullibi legitur, quos baptizabant, fuisse rebaptizatos, sicut de baptizatis baptismo Joannis legimus Act. XIX. — Idem constat ex auctoritate *S. Augustini*. « Christus, *inquit*, baptizatus baptizabat, non eo baptismo baptizabat, quo baptizatus est. » *(Tr. 13 in Joan.)* — Testatur *Evodius*, apud Nicephorum [6], Christum B. Petro solummodo Baptismum contulisse, et Petrum alios Apostolos baptizasse. — Item, testatur *Euthymius* Christum B. V. Mariam et B. Petrum tantummodo baptizasse [7]. — Sed non credibile est Christum alieno Baptismo baptizasse.

[1] Cf. Bellarm., *De Bapt.*, c. 5; Gibbon, *De Bapt.*, disp. I, dub. 1 et 2. — [2] *Sum.*, P. IV, q. 8, m. 2, a. 3. — [3] 4. *Sent.*, D. 3. — [4] *Hom. 28 in Joan.* — [5] *De Bapt.*, c. 11. — [6] *Hist.*, l. II, c. 3. — [7] In Joan. III.

Sed adhuc controvertitur, quonam præcise tempore ante passionem institutus sit Baptismus? Docent nonnulli, ipsum institutum fuisse quando Christus dixit Nicodemo (Joan. III, 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* — Sed *valde probabiliter*, ait *S. Alphonsus* [1], cum *S. Thoma* [2], institutus est quando Jesus fuit baptizatus in Jordane. « Tunc a Domino, *inquit Catech. Rom.*, hoc sacramentum institutum esse perspicitur, cum ipse a Joanne baptizatus sanctificandi virtutem aquæ tribuit. Testantur enim S. Gregorius Naz., et Augustinus eo tempore aquæ vim generandi in spiritualem scilicet vitam datam esse. » *(C. II, n. 20).* Sed, ut ait *S. Th.*, « tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum. » *(Q. 66, a. 2).*

Ex dictis sequitur, Baptismum ab Apostolis vivente Christo collatum, et verum fuisse Novæ Legis sacramentum, et ex passione Christi virtutem habuisse sanctificandi ex opere operato. In hoc solum differebat a Baptismo post Christi mortem exhibito, quod ante passionem, *præfigurativus*, post passionem vero, *rememorativus* erat passionis Christi.

1514. — II. **De discrimine inter Baptismum Christi et Joannis** [3]. — *Melanchton, Zwinglius, Calvinus,* sua innixi doctrina de fide justificante, docuerunt, Baptismum Joannis ejusdem fuisse virtutis ac Christi Baptismum: uterque enim eamdem vim habuit excitandi fidem, per quam, ut aiunt, homo justificatur. — Condemnati sunt a Trident., *Sess. VII, can. 1 de bapt.:* « Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi; A. S. »

Baptismus Joannis fuit quidem a Deo, per interiorem Spiritus Sancti inspirationem, secundum illud (Luc. III, 2, 3): *Factum est verbum Domini super Joannem... Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* — In multis tamen a Salvatoris Baptismate differebat.

1. Baptismus Joannis non erat sacramentum: non erat enim signum permanens; sed vix uno alterove anno duravit. Erat autem, *ut ait S. Th.* [4], quasi quoddam sacramentale, disponens ad Baptismum Christi.

[1] *Mor.*, VI, n. 96. — [2] Q. 66, a. 2. — [3] Cf. Isamb., In q. 66, disp. 5; Gibbon, disp. I, dub. 3; Bellarm., *De bapt.*, c. 19 et seq. — [4] P. III, q. 38, a. 1, ad. 1.

2. Baptismus Joannis ex opere operato nec gratiam infundebat, nec animam a peccatis mundabat; sed solam exteriorem emundationem per se operabatur: unde ipse Joannes, conferens suum Baptismum cum Christi Baptismate, ait (Luc. III, 16): *Ego quidem aqua baptizo vos... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni.*

Quæ autem de Joanne dicuntur (Luc. III, 3); *prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, intelligi debent vel de remissione peccatorum ex opere operantis, per contritionem scilicet, quam Judæi ex prædicatione Joannis concipiebant; vel de consequenda remissione peccatorum per Baptismum Christi, ad quem suscipiendum Joannes suo Baptismo Judæos præparabat [1]. « Non renascebantur, *inquit S. August.*, qui baptismate Joannis baptizabantur, sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat: *parate viam Domino*, huic uni, in quo solo renasci poterant, parabantur. » *(Enchir., c. 49).*

3. Baptismus Joannis nullum characterem imprimebat, quamobrem eos, qui solo Joannis baptismate abluti erant, Baptismo Christi iterum baptizari necesse fuit, ut legitur Act. XIX.

4. Nulla verborum forma Joannes in suo baptismate utebatur. Illud præterea solis adultis conferebat: erat enim nuda exhortatio ad pœnitentiam, cujus parvuli incapaces erant.

CAPUT II.

DE BAPTISMI NATURA ET PROPRIETATIBUS.

Baptismus, non secus ac alia sacramenta, materia constat et forma, et quibusdam donatur proprietatibus, quæ ex divina institutione ipsi inhærent. Disserendum est ergo in art. I. de Baptismi materia; in II. de ejus forma; in III. de ejus proprietatibus.

ARTICULUS I.

DE MATERIA BAPTISMI.

1515. — Materia Baptismi alia est *remota:* aqua scilicet vera et naturalis; alia est *proxima*, quæ in usu aquæ, seu in ejus applicatione ad corpus, consistit.

[1] Bellarm., *loc. cit.*, c. 21.

Circa materiam *remotam* errarunt antiquiores quidam hæretici [1], quorum alii aquam omnino rejiciebant, alii aquam cum oleo mixtam ad validitatem Baptismi requirebant. — *Flagellantes* quemlibet proprio sanguine baptizandum esse arbitrati sunt, quare sese ad sanguinem usque flagellabant. — *Lutherus* [2] et *Beza* docuerunt in casu necessitatis « quidquid balnei loco esse potest, illud aptum esse ad baptizandum. » — *Calvinus* demum illud Christi (Joan. III, 5) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* metaphorice de aqua intelligendum esse contendebat, de gratia scilicet Spiritus Sancti.

Circa materiam *proximam* errant *Græci schismatici,* qui solam immersionem tanquam validam agnoscunt; ablutionem vero per affusionem aut per aspersionem invalidam tenent. Quidam tamen ex eis affusionem et aspersionem ut materiam validam habent, ast illicitam, casu necessitatis excepto.

1516. — Prop. I. *Materia remota Baptismi est sola aqua vera et naturalis.*

De fide, ex Trident., Sess. VII, can. 2: « Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,* ad metaphoram aliquam detorserit; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Præter verba Christi (Joan. III, 5), pluries jam citata, multa inveniuntur hac de re testimonia. Legimus (Eph. V, 26): *Ut illam* (Ecclesiam) *sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* — (Act. VIII, 36, 38), Ait Eunuchus ad Philippum: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?... et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum.* (Cf. etiam Act. X, 47).

His in textibus sensu proprio et obvio, aqua vera et naturalis, tanquam materia Baptismi, exhibetur. Porro, juxta regulas hermeneuticæ, textus Scripturæ sumendi sunt in sensu obvio, nisi quid obstet, quod rationi aut traditioni repugnat.

II. **Ex Traditione et constanti Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia, tum latina tum græca, præter aquam veram et naturalem, nullam aliam in baptizando unquam adhibuit ma-

[1] Cf. Bellarm., *De bapt.,* c. 2. — [2] *Colloq. symposiac.,* c. 17.

teriam; et Baptismum in quacumque alia materia collatum nunquam ratum habuit, ut constat ex antiquioribus ritualibus Latinorum et euchologiis Græcorum, necnon ex monumentis historicis.

Accedunt Patrum testimonia. « Quid est Baptismus Christi? *inquit S. Augustinus.* Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est Baptismus; tolle verbum, non est Baptismus. » *(In Joan., Tr. 15).* — Et *Tertullianus :* « Felix sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur. » *(De Bapt., 1).*

III. **Ex Ratione congruentiæ.** Ratio a priori alia non est quam sola Christi voluntas.

Rationes *convenientiæ* plures assignat *S. Thomas, q. 66, a. 3.* Etenim effectus aquæ effectus Baptismi apprime repræsentant. Aqua, *inquit,* « sua humiditate lavat; ex quo conveniens est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum: sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris, et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis; sua diaphaneitate est luminis susceptiva, unde competit Baptismo, in quantum est fidei sacramentum;... ratione suæ communitatis et abundantiæ est conveniens materia necessitatis hujus sacramenti; potest enim ubique de facili haberi. »

1517. — Prop. II. *Baptismus sive per immersionem, sive per affusionem, sive per aspersionem, valide confertur*[1].

Ad fidem pertinet, ex Trident., Sess. VII, can. 3: « Si quis dixerit in Ecclesia Romana non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam; A. S. » Sed Ecclesia Romana tenet, quemlibet ex tribus prædictis modis esse validam materiam proximam Baptismi.

Prob. I. **Ex Script. S.** *Ex institutione Christi:* Vox *baptizantes,* qua Christus usus est, etsi vi derivationis immersionem indicat, communi tamen usu loquendi quamcumque lotionem significat. Christus autem communi usui loquendi sese accommodavit.

[1] Cf. Tournely, *De Bapt.*, q. I, a. 3; Isamb., In q. 66, disp. 2.

Apostolus (Eph. V, 26) ait: *Mundans lavacro aquæ;* sed lavacrum aquæ tam per immersionem, quam per affusionem et aspersionem fieri potest.

Legimus etiam *(Act. II, 41; XVI, 33)*, Apostolos una die tria millia, altera vero die quinque millia hominum baptizasse. Verum, ad tantam multitudinem baptizandam per immersionem, spatium unius diei sufficere nequaquam potuisset; unde recte colligimus, Apostolos vel per affusionem vel per aspersionem baptizasse.

Denique *(Act. XVI, 33)* refertur, B. Paulum in carcere custodem cum tota sua familia baptizasse. Non autem credibile est sufficientem aquarum copiam præsto fuisse in carcere, ut Baptismus per immersionem conferri potuerit.

II. **Ex Praxi Ecclesiæ.** A primis temporibus ad sæculum XIII usque, mos fuit in Ecclesia baptizandi per immersionem; labente sæculo XIII, in Ecclesia Romana mos paulatim invaluit conferendi Baptismum per affusionem. Ast constat ex ecclesiasticis monumentis, Ecclesiam Baptismum per affusionem aut aspersionem collatum nunquam invalidum habuisse, sicut patet de Baptismo clinicorum, id est ægrotantium in lecto decumbentium.

Interrogatus a Magno, an ægroti *habendi sint legitimi christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi*, respondit *S. Cyprianus, Epist. 76:* « Æstimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina... Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur ægri, cum gratiam dominicam consequuntur. » Et adductis quibusdam locis S. Scripturæ, addit: « Unde apparet aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere; et quando hæc in Ecclesia fiunt, ubi sit et dantis et accipientis fides integra, stare omnia et consummari ac perfici posse majestate Domini et fidei veritate. »

Et *Walafridus*, sæculo IX, ait: « Notandum, non solum mergendo, sed etiam desuper fundendo multos baptizatos fuisse, et adhuc posse baptizari... sicut in passione B. Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum. » *(De rebus Eccl., c. 26. Biblioth. Patr., T. 15, p. 197).* — Hunc modum baptizandi

per affusionem in primitiva Ecclesia testantur etiam monumenta in Catacumbis reperta [1].

III. **Ex Ratione.** *a)* « Aqua, *inquit S. Th.*, assumitur in Sacramento Baptismi ad usum ablutionis corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per aquam, non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis vel effusionis. Et ideo... potest fieri Baptismus per modum aspersionis vel etiam per modum effusionis. » *(Q. 66, a. 7).*

b) Propter necessitatem. — Fieri potest ut quandoque non adsit sufficiens copia aquarum ad immersionem, præsertim si multi sunt baptizandi; vel imminere potest periculum mortis ex immersione. Deus autem non censendus est sacramentum necessitatis ita instituisse, ut omnibus exhiberi non possit.

c) Ex modo significandi. — Figura sepulturæ Christi etiam repræsentatur in Baptismo per effusionem aut aspersionem, licet minus perfecte quam in immersione. « Nam quocumque modo fiat ablutio, *ait S. Th.*, corpus hominis vel aliqua pars ejus aquæ supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum. » *(Loc. cit., ad 2).*

1518. — Scholium. — *De trina immersione vel de trina affusione.* — Validus est Baptismus sive conferatur una vel trina immersione aut affusione; *teste S. Gregorio scribente ad Leandrum (l. I, Ep. 41):* « Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in Baptismate vel ter vel semel immergere; quoniam et in tribus immersionibus personarum Trinitas, et in una potest Divinitatis singularitas designari. » Et *S. Th.:* « Ad Baptismum per se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessitate sacramenti, modus autem ablutionis per accidens se habet ad sacramentum. Et ideo quantum est de se, utrumque licite fieri potest, scilicet et semel et ter immergere... Sed diversis ex causis secundum ordinationem Ecclesiæ quandoque institutus est unus modus, quandoque alius. » *(Q. 66, a. 8).*

Qua de causa, in praxi, pro liceitate, quilibet præscriptionibus suæ Ecclesiæ sese conformare tenetur, tum quoad modum abluendi per immersionem aut affusionem, tum quoad numerum affusionum. In Ecclesia Latina præscriptus est Baptismus per trinam affusionem. *(Cf. partem moralem).*

[1] Cf. Katschthaler, *Dogm.*, l. III, P. II, n. 196.

ARTICULUS II.

DE FORMA BAPTISMI [1].

1519. — In Ecclesia Latina forma Baptismi est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* — In Ecclesia Græca: *Baptizatur servus Christi N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Formam Baptismi adulterarunt antiquiores quidam hæretici [2]. In ea errarunt reformatores sæculi XVI, qui, licet generatim debitam formam servaverint, eam tamen non esse necessariam docuerunt. Cum enim, juxta ipsos, verba in sacramentis ad excitandam fidem unice inserviant, quæcumque verba fidem excitare valent, tanquam valida Baptismi forma assumi possunt. Quam ob causam protestantes de Baptismi forma non multum curant; et inde est quod baptismata ab eis collata semper caute sunt examinanda.

1520. — **Prop.** *Ea sola est valida Baptismi forma, in qua præter actionem baptizantis et personam baptizati, exprimitur distincta invocatio trium personarum divinarum.*

Validam esse hujusmodi formam, *definitum est* in Florent., decr. pro Arm., in quo legimus: « Forma autem est hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Non tamen negamus quin et per verba illa: *Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris,* etc., verum perficiatur sacramentum. »

Ipsam solam esse validam, certum est ex constanti Ecclesiæ praxi et traditione.

Probatur *prop. per partes:*

Prob. I. Pars: *Necessaria est distincta invocatio trium divinarum personarum.*

I. **Ex verbis Christi.** Christus expresse mandavit, ut Baptismus sub distincta invocatione trium divinarum personarum conferretur. *Euntes,* inquit,... *baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* (Matth. XXVIII, 19).

[1] Cf. Tournely, *De Bapt.,* q. I, a. 4. — [2] Cf. Bellarm., *De Bapt.,* c. 3.

Licet ex his verbis, si sola sumantur, invicte non probetur, Christum Apostolis mandasse, ut in baptizando eadem usurparent, ex Ecclesiæ tamen traditione didicimus, ipsa verum continere mandatum.

Ait *Tertullianus:* « Lex tingendi imposita est, et forma præscripta: Ite, inquit, docete nationes, tingentes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. » *(De Bapt., c. 13).*

S. Cyprianus: « Post resurrectionem a Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizare gentiles jubentur. » *(Ep. 73, ad Jubajan.).*

S. Th.: « Christus autem instituit Sacramentum Baptismi dari cum invocatione Trinitatis. Et ideo quidquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptismi. » *(Q. 66, a. 6).*

II. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia, quæ in re tanti momenti errare nequit, Baptismum absque distincta divinarum personarum invocatione collatum, prioribus jam sæculis invalidum tenuit.

Legimus in Conc. Arelatensi I, an. 314, can. 8: « Placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; et si perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. »

Prob. II. Pars: *Exprimi debent actio baptizantis et persona baptizati.*

I. **Ex constanti Praxi Ecclesiæ,** quæ illam necessitatem deduxit ex verbis Christi: *baptizantes eos.*

II. **Ex Definitione Alexandri III:** « Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen; et non dixerit: *Ego baptizo te,* non est puer baptizatus. » *(Denzing., n. 331).* — Quam definitionem renovavit Alexander VIII, an. 1690, sequentem damnando propositionem: « Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, etc. prætermissis illis: Ego te baptizo. » *(Denz., n. 1184).*

III. **Ex Ratione.** 1. « Quia ablutio hominis in aqua, *inquit S. Th.*, propter multa fieri potest, opertet quod determinetur in verbis formæ ad quid fiat; quod quidem non fit per hoc quod dicitur: *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* quia omnia in tali nomine facere debemus. Et ideo si non exprimatur actus Baptismi vel per modum Latinorum vel per modum Græcorum, non perficitur sacramentum. » *(Q. 66, a. 5, ad 2).*

2. Cum forma debeat significare quod efficitur, Baptismusque applicetur subjecto determinato, subjectum in ipsa forma exprimi debet. Jamvero non exprimitur verbulo *baptizo* aut *baptizatur;* ergo requiritur aliud verbum subjectum determinans, scilicet *te;* aut *servus Christi;* vel quid æquivalens.

1521. — **Quæritur.** *An Apostoli Baptismum aliquando tantum in nomine Christi administraverint* [1].

Resp. Dubium oritur ex verbis, quæ leguntur Act. II, 38: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi;* et Act. VIII, 12: *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri et mulieres.*

Prima sententia probabilis affirmat, cum S. Thoma, Alberto Magno, Alense, Scoto, etc. — « Ex speciali Christi revelatione, *ait S. Th.*, Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis et Gentilibus, honorabile redderetur per hoc quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo. » *(Q. 66, a. 6, ad 1).*

Secunda sententia communior inter recentiores, et *probabilior*, negat. « Alii vero, *inquit S. Alph.*, communius et probabilius respondent, ibi pro nomine Christi intelligi Baptismum a Christo institutum ad differentiam Baptismi Joannis; sed tunc etiam Apostolos baptizasse, sicut et nunc: idque probant ex Act. (XIX, 2), ubi, cum quidam interrogati essent, an Spiritum Sanctum accepissent, responderunt se neque si Spiritus Sanctus est, audivisse. Hinc subjunxit Apostolus: *In quo ergo baptizati estis?* supponens solitum fuisse in Baptismo exprimi nomina trium personarum, alioquin incongrua fuisset illa Apostoli admiratio. » *(Mor., VI, 112)* [2].

[1] Cf. *Catech. Rom.*, n. 15 et 16. — [2] Cf. Tourn., *loc. cit.*, ult. concl.

ARTICULUS III.

DE PROPRIETATIBUS BAPTISMI.

Duæ enumerantur Baptismi præcipuæ proprietates: *unitas* et *necessitas.*

§ 1. *De Unitate Baptismi.*

1522. — *Unitas* est ea Baptismi proprietas, qua fit ut semel collatus, iterari nequeat. Circa unitatem Baptismi erraverunt olim Marcionitæ, qui, teste S. Epiphanio *(Hær. 42)*, docebant eumdem hominem *ter* baptizari posse, primo in infantia, et bis in adulta ætate, si in peccata lapsus fuerit.

Baptismum iterari non posse, ex dictis in superiori tractatu jam constat. Sat igitur erit sequentem propositionem breviter probasse.

1523. — **Prop.** *Baptismus iterari nequit*[1].

De fide, ex Trid., Sess. VII, can. 9. *(Cf. n. 1495).*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Eph. IV, 5): *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* — Licet hæc verba a Patribus *de unitate specifica* Baptismi intelligantur, intelliguntur tamen etiam ab eis de unitate numerica. Ait S. Leo P. *(Ep. 79, cap. 7).* — « Hanc regulam servandam omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* »

(Hebr. VI, 4, 6): *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* — Quæ verba Patres intelligunt de Baptismo, ita ut sensus sit: Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, id est baptizati, rursus renovari per pœnitentiam baptismalem, de qua loquitur B. Petrus

[1] Cf. Gibbon, Disp. II, dub. 3.

(Act. II, 38): *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum.*

II. **Ex Ratione.** Ratio a priori est sola Christi voluntas. — Rationes congruentiæ plures affert S. Thomas *(q. 66, a. 9).*

1. Baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Unius autem hominis non est nisi una generatio. Et ideo non potest Baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio.

2. Baptismus est quædam repræsentatio mortis et resurrectionis Christi, secundum illud (Rom. VI, 4): *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem,* etc. Christus autem semel tantum mortuus est.

3. Baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis, et cum quadam consecratione datur *(cf. n. 1495).* Unde, sicut aliæ consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec Baptismus.

4. Baptismus principaliter datur contra originale peccatum. Et ideo, sicut originale peccatum non iteratur, ita nec Baptismus iterari potest.

§ 2. *De Necessitate Baptismi* [1].

1524. — Necessitas est ea Baptismi proprietas, qua fit ut, nisi *re* vel *voto* suscipiatur, salus sit impossibilis.

Necessarium aliud est de necessitate medii, aliud de necessitate præcepti. *(Cf. n. 237).*

Circa Baptismi necessitatem erraverunt *Pelagiani,* qui, cum peccatum originale non admiserint in parvulis, nec Baptismi necessitatem agnoverunt. Urgente vero S. Augustino, Baptismi necessitatem deinceps admiserunt, non quidem ad consequendam vitam æternam, sed ad intrandum in regnum cœlorum. — *Wicleff,* et *Zwinglius* ejusdem necessitatem etiam rejiciunt. *Calvinus* negat ipsum esse necessarium necessitate medii ad delendum peccatum originale in infantibus fidelium, sed solam agnoscit necessitatem præcepti. *Sociniani* pariter docent, ipsum non esse necessarium iis, qui nati sunt a parentibus fidelibus, aut qui fuerunt in fide christiana educati [2].

[1] Cf. Tournely, q. II. — [2] Cf. Tourn., *loc. cit.;* Bellarm. *De Bapt.*, c. 4.

Ex ipsis catholicis quidam, ut *Gabriel* [1], *Gerson* [2], existimarunt parvulos sine Baptismo decedentes, *interdum salvari*, vel propter specialem Dei misericordiam, vel propter vota parentum pro salute infantium. — *Cajetanus* [3] docuit, parvulos qui sine Baptismo decedunt, *ex lege Dei communi et ordinaria* salvari posse votis et orationibus parentum. Cujus opinio, notata ut censura digna, jussu Pii V ab operibus ejus fuit expuncta.

1525. — Prop. I. *Post Christi adventum Baptismus est omnibus hominibus ad salutem necessarius necessitate medii.*

De fide, ex Trid., Sess. VII, can. 5: « Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: A. S. » Et in Sess. VI, cap. 4, dicitur: « Quæ quidem translatio (a peccato ad justitiam) post evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Joan. III, 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Jamvero his in verbis: 1.° agitur de Baptismo: loquitur enim Christus de nova nativitate per aquam, quæ fit in solo Baptismo; et tota Patrum traditio eadem de Baptismo intellexit; — 2.° clare indicatur omnimoda Baptismi necessitas: *non potest introire in regnum Dei;* — 3.° statuitur necessitas *pro omnibus: nisi quis.* « Utique nullum excipit, *inquit S. Ambrosius*, non infantem, non aliqua præventum necessitate. » *(De Abraham, l. II, cap. ult.)* — Idem erui potest ex Matth. XXVIII, 19, et Marc. XVI, 16.

II. **Ex Traditione.** « Præscribitur, *ait Tertullianus*, nemini sine Baptismo competere salutem. » *(De Bapt., c. 2).*

S. August.: « Noli credere, nec dicere, nec docere infantes, antequam baptizentur, morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus. » *(De orig. animæ, l. III, c. 9, n. 12).*

S. Ambrosius: « Non est fas credere, eos parvulos, qui regenerationis non sunt adepti sacramentum, ad ullum per-

[1] In 4. *Sent.*, D. 4, q. 2, a. 3, dub. 2. — [2] Sermo *de Nativ. B. Virg.* — [3] Q. 68, a 2 et 11.

tinere beatorum consortium, cum Dominus dixerit: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. » *(De vocat. gent., c. 8).*

III. **Ex Ecclesiæ sollicitudine.** Ecclesia summa semper cura invigilavit, ne ullus ante susceptum Baptismum e vivis migraret. Quapropter, quamvis pro catechumenis baptizandis olim statuta determinata forent tempora, semper tamen sanxit ut, urgente necessitate, tam adultis quam parvulis conferretur Baptismus. « Propterea, *ait S. August.*, cum baptizandis pueris festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse. » *(Ep. 166, c. 7. n. 21).*

1526. — Prop. II. *In adultis Baptismus flaminis Baptismum fluminis supplere potest*[1].

De fide, ex Trid., Sess. VI, cap. 4, in prop. I. relato.

NB. *Baptismus flaminis* est perfecta conversio ad Deum per contritionem aut caritatem perfectam, cum voto explicito vel implicito Baptismi fluminis. Votum dicitur *explicitum*, quando in homine adest formale desiderium recipiendi Baptismum, cujus cognitionem habet. Dicitur *implicitum*, quando quis, nesciens Baptismi existentiam, habet propositum efficax servandi omnia, quæ ad salutem sunt necessaria; in quo proposito includitur etiam voluntas recipiendi Baptismum, licet sit ignotus. — Baptismus flaminis dicitur supplere Baptismum fluminis, scilicet quoad infusionem gratiæ et deletionem peccati, non autem quoad impresssionem characteris, nec quoad totius pœnæ temporalis condonationem.

Prob. I. **Ex Script. S.** Constat ex Script. perfectam contritionem aut caritatem peccatum delere et gratiam conferre. Legimus (Ps. L, 19): *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* — (Ezech. XVIII, 21): *Si impius egerit pœnitentiam... vita vivet, et non morietur.* — (Joan. XIV, 21, 23): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum... et mansionem apud eum faciemus.* Atqui Baptismus flaminis est perfecta contritio aut caritas perfecta. Ergo.

II. **Ex Traditione.** Loquens de imperatore Valentiniano ante susceptum Baptismum mortuo, ait *S. Ambrosius:*

[1] Cf. S. Th., q. 68, a. 2.

« Non habet ergo gratiam, quam desideravit; non habet, quam poposcit? Certe quia poposcit, accepit... Quodsi (martyres) suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas. » *(De obitu Valent., n. 53).*

Et *S. August.:* « Invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. » *(De Bapt., l. IV, c. 22, n. 29).*

1527. — Prop. III. *In adultis et in infantibus Baptismus sanguinis Baptismum fluminis, quoad remissionem culpæ et totius pœnæ, supplere potest* [1].

Ad fidem pertinet ex unanimi consensu Patrum et theologorum.

NB. Martyriam definitur: *Voluntaria perpessio mortis aut cruciatus lethalis pro Christi fide aut virtute aliqua christiana.* Ad martyrium tria requiruntur: 1. perpessio *mortis* a persecutore inflictæ, aut *cruciatus lethalis,* ex quo mors naturaliter sequi debet, licet miraculose impediatur: sicut, v. gr., S. Joannes dicitur *martyr,* ob pœnas ante Portam latinam ei illatas, quamvis mortuus non sit. — 2. Perpessio *voluntaria;* necesse est ut homo, si est adultus, morti consentiat ex motivo supernaturali, atque eam non reluctans amplectatur. In infantibus hæc conditio non requiritur. — 3. Perpessio mortis *pro fide* aut *aliqua virtute christiana;* necesse est ut mors inferatur in odium Christi, vel in odium ipsius religionis, aut virtutis vel alicujus operis ab ejus religione præscripti; sic, v. gr., S. Joannes Nepomucenus martyr dicitur, ob custoditum sigillum confessionis.

Prob. prop. I. *Quoad remissionem culpæ.*

I. **Ex Script. S.** Legimus (Matth. X, 39): *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* — (Matth. X, 32): *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Sed omnes, tum adulti tum infantes, qui pro Christo sanguinem fundunt, pro eo animam his in terris perdunt, et eum coram hominibus confitentur. Ergo et

[1] Cf. S. Th., 4. *Sent.*, D. 4, q. 3, a. 3; Gibbon, Disp. II, dub. 5.

omnes animam suam in altera vita invenient. Baptismus igitur sanguinis Baptismum fluminis supplet.

II. **Ex Traditione.** « Si quis, *inquit S. Cyrillus Hier.*, Baptisma non recipiat, salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum recipiunt. » *(Catech. 3, n. 10).*

Et *S. August.:* « Quicumque, etiam non recepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: *Si quis non renatus fuerit...* non minus generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit...* » *(De Civit. D., l. XIII, c. 7).*

III. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia tanquam martyres colit eos, qui ante susceptum Baptismum, sanguinem pro Christo fuderunt, ut, v. gr., S. Emerentianam. Colit etiam S. Innocentes, qui Christum, non loquendo, sed moriendo confessi sunt; inter quos plures sine dubio exstiterunt, qui circumcisionem nondum receperant, cum Herodes jusserit occidi omnes pueros a bimatu et infra. Unde *S. Augustinus*, loquens de SS. Innocentibus, ait: « Præstitit eis Christus ut pro Christo morerentur: præstitit ut suo sanguine ab originali peccato dilucrentur: nati sunt ad mortem: sed continuo eos mors reddidit vitæ. » *(De Symb. ad Catech., S. 3, n. 4).*

IV. **Ex Ratione** [1]. Baptismus aquæ ex passione Christi virtutem habet producendi gratiam, propter quamdam figuralem repræsentationem dominicæ passionis. Atqui in martyrio habetur non solum quædam configuratio cum Christo patiente, sed realis ejus imitatio. Conveniens igitur est, ut, qui realiter moritur pro Christo, realiter etiam Christo per gratiæ susceptionem incorporetur.

Prob. prop. II. *Quoad condonationem totius pœnæ.*

I. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia nunquam consuevit pro martyribus orare, *teste S. August.:* « Injuria est pro martyre orare, cujus nos debémus orationibus commendari. » *(Serm. 159, c. 1).* Porro si martyrium totam pœnam non tolleret,

[1] Cf. S. Th., q. 66, a. 11 et 12.

Ecclesia erga martyres crudelis foret, eos in purgatorio detentos suis suffragiis non adjuvando.

1528. — Quæritur I. *Quomodo martyrium producat effectum suum.*

Resp. Martyrium producit gratiam et delet pœnam non unice ex opere operantis, sed « quasi ex opere operato ad instar Baptismi, *ait S. Alphonsus:* dicitur *quasi,* quia martyrium non ita stricte operatur sicut sacramenta, sed ex quodam privilegio ratione imitationis passionis Christi. » *(Mor., VI, 97).*

Dicitur *non unice ex opere operantis,* quia si effectum suum produceret unice ex opere operantis, totam pœnam non semper auferret: contingere enim potest aliquem, magnis criminibus oneratum, cum caritate remissa mortem subire; quo in casu martyrium partem pœnæ pro gradu intensionis caritatis, non autem totam pœnam, tolleret.

Sed quasi ex opere operato ad instar Baptismi: Baptismus aquæ est signum practicum gratiæ, quod vi suæ institutionis hominem passioni et morti Christi incorporat; qua de causa passio Christi perfecte per Baptismum communicatur homini ad remedium, ut ait *S. Th. (q. 69, a. 2).* — Martyrium nec est signum practicum aut instrumentum physicum gratiæ, nec est a Christo ad gratiam causandam institutum. Sed ratione perfectæ imitationis, quam martyrium habet cum passione Christi, cujus homo fit socius per propriam passionem, martyrium ex speciali privilegio hoc habet, ut hominem passioni et morti Christi incorporet, non secus ac Baptismus aquæ; ac proinde etiam efficit, ut passio Christi perfecte communicetur homini ad remedium. « Baptismus sanguinis, *inquit S. Th.,* non habet hoc (remissionem peccati) tantum ex opere operantis... Sed hoc habet ex imitatione passionis Christi, unde de martyribus dicitur (Apocal. VII, 14): *Laverunt stolas suas in sanguine agni.* » *(4. Sent., D. 4, q. 3, a. 3, sol. 3, ad 1).*

1529. — Quæritur II. *Quænam requiritur conditio ut martyrium peccatum remittat.*

Resp. *In infantibus* nulla requiritur conditio, sicut nec pro Baptismo. Nam, *ait Soto:* « sicut Ecclesia fidem suam parvulis applicat per Baptismum, ita et suam Christus caritatem per martyrium. » *(4. Sent., D. 3, a. 11).*

In adultis requiritur quidam motus pœnitentiæ; sine pœnitentia enim nulla fieri potest peccatorum condonatio.

Sed disputatur, utrum requiratur contritio aut caritas perfecta, an sufficiat attritio.

Prima sententia probabilis docet, *speculative loquendo* sufficere attritionem, quia Baptismus sanguinis ex speciali privilegio non minus

est efficax quam Baptismus aquæ; sed in Baptismo aquæ sufficit attritio; ergo et in Baptismo sanguinis.

Sed, addunt patroni hujus sententiæ, *practice* per se aliquid aliud requiritur, nempe: adultus nondum baptizatus tenetur Baptismum equæ suscipere, si potest; adultus baptizatus per se tenetur sacramentum Pœnitentiæ recipere, si potest, aut saltem conteri. — Ratio est: quia, cum martyrium non sit medium per se institutum ad delenda peccata, non tollit obligationem adhibendi, cum ita fieri potest, alia media certa ad salutem necessaria. — Præterea, cum opinio quod sufficiat attritio, sit tantum probabilis, homo, cum agitur de negotio æternæ salutis, tutiorem eligere viam tenetur [1].

Secunda sententia probabilior docet cum S. Thoma, S. Alphonso [2], et aliis, in peccatore ad consequendam remissionem peccatorum per martyrium, nullatenus sufficere attritionem, sed requiri contritionem, aut actum perfectæ caritatis. « Effusio sanguinis, *ait S. Th.*, non habet rationem Baptismi, si sit sine caritate. Ex quo patet quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis. » *(Q. 66, a. 12. ad 2).* — Et: « Quod autem (martyrium) sit meritorium, hoc habet ex caritate, sicut et quilibet virtutis actus. Et ideo sine caritate non valet. » *(2. 2, q. 124, a. 2, ad 2).* — Fundatur hæc sententia in verbis Apostoli (I Cor. XIII, 3): *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Nec ideo tamen martyrium dici potest causare remissionem peccati *tantum ex opere operantis*; quia ex speciali privilegio, virtute passionis Christi, majorem confert gratiam et perfectius delet pœnam, quam meritum patientis exigeret.

CAPUT III.

DE MINISTRO ET SUBJECTO BAPTISMI.

ARTICULUS I.

DE MINISTRO BAPTISMI.

1530. — Duplex in Ecclesia distinguitur minister Baptismi: *unus necessitatis, alter solemnitatis.* — Minister *necessitatis* dicitur, qui, urgente mortis periculo, Baptismum absque

[1] Cf. Suarez, disp. 29, sect. 2 et 3. — [2] *Mor.*, VI, 98; *Hom. Ap.*, Tr. XIV, n. 7.

cæremoniis ab Ecclesia institutis confert. — Minister *solemnitatis* est, qui illum cum consuetis Ecclesiæ cæremoniis confert.

Minister solemnitatis duplex etiam existit: *ordinarius* et *extraordinarius*. — *Ordinarius* est, qui vi muneris ad Baptismum conferendum deputatus est; — *extraordinarius*, qui non vi muneris, sed vi specialis delegationis, Baptismum solemniter conferre valet.

Circa doctrinam de ministro erravit *Calvinus* [1], qui docuit Baptismum a nemine, nequidem in casu necessitatis, valide conferri posse nisi a ministris Ecclesiæ.

1531. — Prop. I. *Quilibet homo ratione utens, valide semper; et, in casu necessitatis, licite, baptizare potest* [2].

De fide, ex Lateran. IV, in quo legimus: « Sacramentum Baptismi a quocumque rite collatum, proficit ad salutem. » *(Denz., n. 357)*. — Et ex Florent., decr. pro Arm., in quo dicitur: « In casu necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus vel hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ et facere intendat quod facit Ecclesia. » — Cf. etiam Trid., Sess. VII, can. 4, in quo Baptismum ab hæretico collatum validum esse definitur.

Prob. Propositio ex S. Scriptura invicte probari non potest; constat autem ex constanti Ecclesiæ praxi et doctrina,

I. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Legimus in Rituali rom: « Quoties infans aut adultus versatur in vitæ periculo, potest sine solemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua. » — Et *Nicolaus I.* Baptismum a Judæo collatum validum esse declaravit. *(Denz., n. 264)*.

II. **Ex Ecclesiæ doctrina.** *Urbanus Papa II* declaravit, Baptismum valere « si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit. »

In professione fidei Orientalibus ab *Urbano VIII* præscripta, legimus: « Baptismum a quocumque et quandocumque

[1] *Institut.*, l. IV, c. 15. — [2] Cf. S. Th., q. 67, a. 3, 4 et 5; Tournely, q. II, a. 2, concl. 3.

sub debita materia et forma et intentione collatum, esse validum. » *(Denz., n. 878).*

« Si necessitas cogit, *inquit S. Hieronymus*, scimus etiam licere laicis baptizare. » *(Adv. Lucifer.)*

III. **Ex Ratione convenientiæ.** Ad Dei misericordiam, qui omnes vult salvos fieri, pertinet, ut in his, quæ sunt de necessitate salutis, homo facilè remedium inveniat. Atqui Baptismus est pro parvulis unicum salutis medium. Consentaneum igitur est divinæ misericordiæ, ut quilibet homo Baptismum ministrare possit, ne aliqui propter defectum Baptismi salutis suæ dispendium patiantur [1].

1532. — Prop. II. *Minister ordinarius Baptismi solemnis est solus sacerdos* [2].

De fide, Ex Florent., decr. pro Arm.: « Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit ministrare. »

NB. Dicitur *solus sacerdos,* id est, tum Episcopus tum simplex sacerdos; *est minister ordinarius:* jure divino quilibet sacerdos est minister ordinarius Baptismi solemnis; jure tamen ecclesiastico hoc officium solis Episcopis in suis diœcesibus, et parochis in suis parochiis, conceditur.

Prob. *Quoad Episcopos,* propositio est evidens ex S. Scriptura, cum ipsi sint successores Apostolorum, quibus dictum est (Matth. XXVIII, 19): *Euntes... baptizantes eos in nomine Patris,* etc.

Quoad alios sacerdotes, eorum potestas solemniter baptizandi ex traditione et Ecclesiæ praxi invicte constat.

Ex *canonibus Apostolicis,* quinquagesimus hæc habet: « Si quis Episcopus vel *presbyter* non trinam mersionem unius mysterii celebret... deponatur. »

S. Clemens Rom. [3], hoc decretum tulit: « Neque reliquis clericis potestatem baptizandi facimus,... nisi tantum Episcopis et *presbyteris,* ministrantibus diaconis. »

[1] Cf. S. Th., q. 67, a. 3. — [2] Cf. S. Alph., *Mor.,* VI, 113. — [3] *Constit.,* l. III, c. 11.

Accedit ratio convenientiæ: « Quum ad Eucharistiam consecrandam (sacerdotes) instituti sunt, *ait Catech. rom.* [1], quæ est pacis et unitatis sacramentum: consentaneum fuit, potestatem iis dari omnia illa administrandi, per quæ necessario hujus pacis et unitatis quilibet particeps fieri posset. » Sed Baptismus est omnino necessarius ut quis Eucharistiæ possit esse particeps. Ergo.

1533. — Scholium. Primis Ecclesiæ temporibus, ad majorem Baptismi solemnitatem, consuetudo viguit Baptismum certis tantum diebus, præsertim in vigilia Paschæ et Pentecostes, solemniter conferre, qua de causa baptisteria in majoribus tantum ecclesiis exstabant. In his solemnioribus Baptismis, solus Episcopus jure ecclesiastico erat minister ordinarius; aliquando tamen simplex sacerdos ex licentia Episcopi ministrabat. Ast, labente sæculo V vel VI, mutata est hæc consuetudo; ex tunc baptisteria erigi solebant non solum in urbibus, sed et in vicis; et potestas data est indiscriminatim omnibus presbyteris Baptismum solemniter conferendi, non exspectata speciali Episcopi licentia [2]; « quia statim ac ab Episcopo parochus approbatur, accipit ab eo licentiam baptizandi, quæ jure communi ita est stabilis, ut sine justa causa non possit ea privari. » *(S. Alph., Mor., VI, 113).*

1534. — Prop. III. *Minister extraordinarius Baptismi solemnis est diaconus.* — Certa.

Prob. I. Diaconos *baptizare posse,* clare eruitur ex Scripturis. Legimus (Act. VIII), Philippum diaconum multos Samariæ viros et mulieres, et eunuchum reginæ Candacis, baptizasse. — Præterea, in ordinatione diaconi, Episcopus eum alloquens ait: « Diaconum oportet ministrare ad altare, *baptizare* et prædicare. »

II. « Diaconis sine Episcopi aut sacerdotis concessu non licere hoc sacramentum administrare, plurima SS. Patrum decreta testantur », ait Catech. rom. *(c. II, n. 23).*

Decrevit *S. Gelasius:* « Diaconi absque Episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat. » *(Ep. 9, In cap. Diaconos, dist. 93).*

[1] P. II, c. II, n. 23; cf. S. Th., q. 67, a. 2. — [2] Cf. Tournely, *loc. cit.*, concl. 1.

1535. — Quæritur I. *An aliquis possit seipsum baptizare.*

Resp. *Negative.* Baptismus est spiritualis generatio. Jamvero, sicut nullus generatione carnali seipsum generare potest, ita etiam ex Christi institutione nullus seipsum in vitam gratiæ regenerare valet. « Cum inter baptizantem et baptizatum, *ait Innocentius III,* debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis: *Ite, baptizate omnes gentes,* etc., memoratus Judæus (qui seipsum baptizaverat) est denuo ab alio baptizandus. » *(L. III, Decr., tit. 42, c. 4).*

1536. — Quæritur II. *An duo possint simul unum baptizare* [1].

Resp. 1. Si unus formam pronuntiat, et alter materiam applicat, invalidus est Baptismus; sic enim verba pronuntians, falsam formam profert, cum dicat se abluere, dum non abluit.

2. Si ambo simul abluunt et formam proferunt, distinguendum est.

a) Si quilibet intendit per se baptizare independenter ab alio, validus est Baptismus, sed illicitus: *illicitus,* quia prohibitus; *validus* autem, quia sic baptizans omnia requisita ponit; sicuti patet a simili in missa ordinationis, in qua sacerdotes noviter ordinati simul consecrant cum Episcopo, dummodo eodem instanti formam simul absolvant; sin autem formam non simul absolvant, is tantum consecrat, qui formam prius absolvit.

b) Si quilibet intendit baptizare ut *concausa*, id est, dependenter ab alio, Baptismus est nullus, quia « quod plures conveniant ad unum baptismum conferendum... videtur esse contra rationem ministri: homo enim non baptizat nisi ut minister Christi, et vicem ejus gerens; unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repræsentet. » *(S. Th., q. 67, a. 6).*

1537. Quæritur III. *An unus possit plures simul baptizare.*

Resp. *Affirmative;* si quis tamen plures extra casum necessitatis simul baptizaret, illicite ageret. « In casu necessitatis, *ait S. Th.,* unus posset simul plures baptizare sub hac forma: *Ego vos baptizo,* puta si immineret ruina aut gladius... Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi singulare geminatum, præsertim cum pluraliter dicatur (Matth. ult.) *Baptizantes eos,* etc. » *(Loc. cit. ad 2).*

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, VI, 119 et 120.

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

1538. — Ex iis, quæ de Baptismi necessitate prolata sunt *(n. 1525)* jam constat quodnam sit subjectum Baptismi: est scilicet omnis creatura humana in via existens; quilibet enim homo est a Deo ad æternam felicitatem vocatus, ad quam, post Christum natum, aditus patet per solum Baptismum. — De dispositionibus etiam, quæ tum ad validam tum ad fructuosam Baptismi receptionem in subjecto requiruntur, sufficienter actum est in superiori tractatu *(n. 1470 et seq.)*

De subjecto igitur Baptismi nihil addendum foret, nisi hæretici quidam circa Baptismum parvulorum et officia ex eo effluentia, errores sparsissent.

Anabaptistæ, sæculo XVI, auctore Nicolao Storkio, innixi principiis Lutheri de sola fide justificante, affirmabant infantes, in quibus nulla fides per Sacramenta excitari potest, valide baptizari non posse; ideirco eorumdem Baptismum usque ad adultam ætatem differebant; et adultos, qui in infantili ætate baptizati, suæ sectæ nomen dabant, iterum baptizabant.

Alii, *Erasmo* ductore [1], Baptismum infantibus conferunt illumque validum habent; ast innixi principio quod nemo debeat invitus obligari ad quod ipse per se non promiserit sed alii pro ipso sponderunt, docent quemlibet, cum ad annos discretionis pervenerit, interrogandum esse an ratas habere velit promissiones suo nomine in Baptismo factas; quas si confirmare noluerit, sibi esse relinquendum, et legibus Ecclesiæ adstringi non posse.

Contra quos duplici propositione probandum est: parvulos valide baptizari posse, eosque vi illius Baptismi, cum usum rationis acceperint, absque propria confirmatione, ad legem Christi et Ecclesiæ obligari.

1539. — **Prop. I.** *Parvuli valide baptizari possunt.*

De fide, ex Trid., Sess. V, can. 4: « Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat;... A. S. » — Et

[1] *In præf. ad paraphrasim Ev. Matth.*

Sess. VII, can. 13: « Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Thesis in S. Scriptura expressis verbis non traditur; sat clare tamen innuitur. Legimus Act. XVI, Lydiam fuisse baptizatam et domum ejus; et ibidem de custode carceris dicitur: *Baptizatus est ipse, et omnis domus ejus.* — Et Apostolus (I Cor. I, 16) ait: *Baptizavi Stephanæ domum.* Ast non est credibile in hisce familiis nullos adfuisse parvulos.

Præterea, Baptismus est necessarius ad introeundum in regnum cœlorum *(cf. n. 1525)*. Porro parvuli a Domino declarantur capaces regni cœlorum, juxta illud (Matth. XIX, 14): *Sinite parvulos... talium est enim regnum cœlorum.* Ergo et Baptismus eis exhiberi potest.

II. **Ex Traditione.** Plura Concilia hanc doctrinam definierunt. Legimus in Milevitano, (an. 416), can. 2: « Quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat; A. S. » *(Denz., n. 65)*. — Similia leguntur in Gerundensi, an. 517; in Bracarensi, an. 578; in Later. IV, an. 1215 *(Denz., n. 357)*; in Viennensi, an. 1311 *(Denz., n. 410)*.

Praxim Ecclesiæ baptizandi parvulos commendant S. Patres, eamque ab apostolica traditione repetunt.

Ait *S. Irenæus:* « Christus venit omnes per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos, et pueros et juvenes et seniores. » *(Adv. hær., l. II, c. 22)*.

Origenes scribit: « Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis dare Baptismum. » *(In Ep. ad Rom., l. V, c. 9)*. — Idem etiam affirmat S. Augustinus. *(De Genes., l. X, c. 23)*.

III. **Ex Analogia cum Vet. Test.** Infantes in lege gratiæ non sunt deterioris conditionis quam in lege scripta. Sed in Lege Veteri circumcisio, quæ erat figura Baptismi, infan-

tibus in remedium contra peccatum originale exhiberi potuit: ergo et in Lege Nova Baptismus ad idem peccatum delendum exhiberi potest parvulis.

IV. **Ex Ratione.** Deus omnes homines vult salvos fieri, etiam parvulos: ergo medium salutis ei præparare debuit, quod in lege gratiæ non est nisi Baptismus. « Absit, *inquit Innocentius III*, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem. » *(L. III Decr., tit. 42, c. 3; Denz., n. 341).*

1540. — Prop. II. *Parvulis baptizatis, cum ad usum rationis pervenerint, jus non competit rejiciendi quod patrini eorum nomine in Baptismo polliciti sunt; sed lege Christi et Ecclesiæ simpliciter et stricte obstricti sunt.*

De fide, ex Trid., Sess. VII, can. 14: « Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; A. S. » — Can. 7: « Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; A. S. » — Et in can. 8, idem definitur pro præceptis Ecclesiæ.

Prob. I. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia a primis jam sæculis Baptismum parvulis contulit; et nullibi ne minimum quidem indicium occurrit de examine, an ratum habere voluerint quod eorum patrini promiserunt. E contra. Patribus semper intime persuasum fuit, istos parvulos ad vitam christianam instituendam stricte obligari; et Ecclesia eos ad suarum legum observationem obligandi jus sibi semper vindicavit.

II. **Ex Ratione.** 1. Per Baptismum homo fit membrum Ecclesiæ. Atqui, quicumque societatem aliquam, sive libera voluntate sive vi nativitatis, ingreditur, jure naturali ad ipsius leges observandas, velit, nolit, adstringitur. Sicut igitur ille, qui per nativitatem factus est membrum societatis ci-

vilis, ad ejus leges observandas stricte tenetur, cum adoleverit; ita a pari, qui per Baptismum adscriptus est Ecclesiæ, ejus legibus vi spiritualis nativitatis stricte adstringitur.

2. Vi legis naturalis parentes et tutores tenentur in necessariis consulere infantibus, quoad bona corporis et animæ, quamdiu ipsi sibi sufficere nequeunt; et quidquid a parentibus aut tutoribus in bonum infantium initum est eorum nomine, ad hoc ipsi stricte tenentur cum adoleverint. Porro, maximum bonum animæ est Baptismus, quo æternæ felicitati infantium consulitur. Si igitur in rebus civilibus infantes stricte tenentur rata habere pacta, quæ eorum nomine tutores inierunt, pari ratione tenentur ad servandas obligationes, quas patrini, tutores spirituales, eorum nomine in Baptismo susceperunt.

3. Lege divina omnibus, antecedenter ad eorum voluntatem, imposita est necessitas Ecclesiam ingrediendi ejusque legibus sese subjiciendi, statim ac ejus existentiam noverint. Ubi ergo infantulus usum rationis adeptus est et Ecclesiæ existentiam cognovit, tenetur Ecclesiam ingredi et ejus legem amplecti. Ergo a fortiori, si per Baptismum jam est aggregatus Ecclesiæ, in ea remanere et ejus leges observare tenetur.

Ex quibus manifestum est, insanum et irrationale esse omnino examen illud dubitativum, vi cujus nonnulli protestantes infantibus baptizatis jus concedunt, religionem, cum adoleverint, ad libitum amplectendi aut repudiandi.

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

1541. — Omnibus, qui Baptismum valide suscipiunt, indelebilis imprimitur character, quo fideles ab illis, qui regenerati non sunt, distinguuntur. De quo charactere in superiori tractatu satis dictum est. *(Cf. n. 1494 et seq.)*

Præter characterem, Baptismus in omnibus ipsum fructuose recipientibus, insignes et miros producit effectus, qui omnes in hoc uno conveniunt, scilicet quod homo per Baptismum incorporatur Christo, et fit membrum corporis mystici Ecclesiæ, cujus Christus Caput existit.

1542. — Hominem per Baptismum *induere Christum, Christo incorporari, membrum fieri Christi et Ecclesiæ*, ab Apostolo et a Conciliis aperte declaratur. *Quicumque enim in Christo baptizati estis*, inquit Apostolus, *Christum induistis.* (Gal. III, 27). — Et (I Cor. XII, 13): *Omnes nos in unum corpus baptizati sumus;* id est in corpus mysticum Christi. — Et Tridentinum, Sess. VI. cap. 7, docet, hominem per justificationem, quæ fit in Baptismo, *Christo inseri;* et Florentinum, decr. pro Arm., dicit quod Baptismus « vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim *membra Christi*, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. »

Hæc perfecta hominis incorporatio in Christum duos præcipuos complectitur effectus Baptismi, videlicet: *a) infusionem gratiæ sanctificantis*, per quam homo in novam regeneratur vitam, et quocirca Baptismus ab Apostolo (Tit. III, 5) *lavacrum regenerationis* vocatur; *b) perfectam peccatorum condonationem.* — Præter hos præcipuos effectus, alii quidam Baptismo etiam adscribuntur.

Agemus proinde: in art. I. de gratiæ infusione; in art. II. de peccatorum condonatione; et in art. III. de aliis Baptismi effectibus.

ARTICULUS I.

DE INFUSIONE GRATIÆ.

1543. — Gratia, quam Deus homini per Baptismum impertitur, alia est *sanctificans*, qua homo in vitam spiritualem nascitur, atque formaliter justus et Dei amicus constituitur; alia *sacramentalis*, quæ est jus ad auxilia actualia tempore opportuno accipienda, quibus homo in novitate vitæ in Baptismo acceptæ, fideliter et firmiter stare, et cætera sacra-

menta, ad quæ recipienda potestatem accepit, digne suscipere valeat. De qua gratia sacramentali in superiori tractatu satis dictum est. *(Cf. n. 1489 et seq.)*. De gratia habituali quædam sunt addenda.

1544. — Prop. *Per Baptismum infunduntur homini gratia sanctificans ac dona eidem annexa.*

Gratiam conferri, est *de fide*, ex Trident., Sess. VII, can. 6, 7, 8. *(Cf. dicta n. 1485 et seq.)*. — Et Sess. V, can. 5, de Baptismo Concil. ita loquitur: « Veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes; innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt... Si quis autem contrarium senserit; A. S. »

Virtutes et dona conferri, est etiam *de fide*, ex Trident., Sess. VI, cap. 7, in quo legimus: « In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et caritatem. » Et initio ejusdem capitis statuitur, justificationem, quæ infunditur per Baptismum, esse sanctificationem et renovationem interioris hominis « per voluntariam susceptionem gratiæ et *donorum.* »

Prob. I. **Ex Script. S.** Per Baptismum homo renascitur (Joan. III, 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc.; — regeneratur, renovatur, justificatur (Tit. III, 5, 7): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti... ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ;* — abluitur et sanctificatur (I Cor. VI, 11): *Abluti estis, sanctificati estis:* — Christum induit (Gal. III, 27): *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Sed spiritualis nativitas et regeneratio, interioris hominis renovatio et ablutio, justificatio et sanctificatio, absque gratiæ habitualis infusione concipi nequeunt. In Baptismo igitur infunditur gratia habitualis, et consequenter etiam virtutes omnes, ab ea inseparabililes.

II. **Ex Ratione.** « Ad hoc Baptismus valet, *inquit S. Th.*, ut baptizati Christo incorporentur, ut membra ejus. A capite autem Christo in omnia membra ejus gratiæ et virtutis plenitudo derivatur secundum illud (Joan. I, 16): *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Unde manifestum est quod

per Baptismum aliquis consequitur gratiam et virtutes. » *(Q. 69, a. 4).*

1545. — Scholium. — *De gratia et virtutibus in parvulis.* — Quidam antiquiores, nescientes inter habitum et actum distinguere, videntes præterea pueros inhabiles ad actus, « posuerunt quod pueris in Baptismo non dantur gratia et virtutes; sed imprimitur eis character Christi, cujus virtute, cum ad perfectam ætatem venerint, consequuntur gratiam et virtutes. Sed hoc patet esse falsum dupliciter: primo quidem quia pueri, sicut et adulti, in Baptismo efficiuntur membra Christi; unde necesse est quod a capite recipiant influxum gratiæ et virtutum. Secundo quia secundum hoc pueri decedentes post Baptismum non pervenirent ad vitam æternam, quia, ut dicitur (Rom. VI, 23), *gratia Dei est vita æterna;* et ita non profuisset eis ad salutem baptizatos fuisse. » *(S. Th., q. 69, a. 6).*

ARTICULUS II.

DE PECCATORUM REMISSIONE.

1546. — Peccatum distinguitur duplex: *originale,* quod generatione contrahitur, et *actuale,* quod propria voluntate committitur. In utroque duo est considerare, scilicet: *reatum culpæ,* in quo ratio peccati essentialiter consistit; et *reatum pœnæ,* qui est obligatio subeundæ punitionis, quæ pro peccatis irrogatur.

Docuerunt Lutherus et Calvinus, in Baptismo peccata non vere tolli aut deleri, sed tantum tegi, aut non imputari. *(Cf. n. 1252).*

1547. — Prop. I. *Per Baptismum remittitur tum peccatum originale, tum omne peccatum actuale ante Baptismum commissum.*

De fide, ex Florent., *decr. pro Arm.:* « Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis. » — Et ex Trid., Sess. V, can. 5: « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Perfectam peccatorum remissionem per aquas Baptismatis vaticinatus est Ezechiel (XXXVI, 25): *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quæ verba S. Patres, ut S. Cyprianus, *l. IV, Ep. 7;* S. Hieronymus, *in illum locum;* S. Athanasius, *Ep. ad Serapionem,* etc.; de Baptismo intelligunt.

Legimus (Act. II, 38): *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* — Et (I Cor. VI, 11): *Et hæc* (sceleribus variis dediti) *quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Quibus manifestum est, in Baptismo omnia peccata condonari.

II. **Ex Traditione.** « Omnia prorsus delicta, *inquit S. August.*, delet S. Baptisma, et originalia et propria, dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. » *(De Symb. ad Catech., Serm. 3, c. 10).* — Et *Origenes:* « Amputantur et exsecantur ab hominibus peccata, cum in Baptismo donatur remissio peccatorum. » *(In Cant. Cant., l. IV, n. 75).*

III. **Ex Ratione.** In Baptismo infunditur gratia sanctificans. Atqui, peccatum mortale existere nequit cum gratia. Ergo in Baptismo omnia peccata remittuntur. *(Cf. S. Th., q. 69, a. 1).*

1548. — **Prop. II.** *Per Baptismum remittitur reatus totius pœnæ peccatis debitæ.*

De fide, ex Florent., *decr. pro Arm.:* « Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur. » — Et ex Trid., Sess. V, can. 5, in quo definitur, renatos ita esse innocentes et puros, « ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. »

Prob. I. **Ex Traditione.** « Si continuo (post Baptismum) consequatur ab hac vita emigratio, *inquit S. August.*, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant. » *(De Peccat. mer. et remiss., l. II, c. 28, n. 46).*

Innocentius III: « Sacramentum Baptismi, si digne sumatur, liberat omnino a culpa pariter et a pœna. » *(In quartum Ps. pœnit.).*

II. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia baptizatis nulla unquam opera satisfactoria in remissionem pœnæ peccatis debitæ imposuit; et nullam imponendam esse docet Florent., *decr. pro Arm.:* « Baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio: sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum et Dei visionem perveniunt.

III. **Ex Ratione.** Ratio a priori est sola voluntas Christi, quæ per revelationem nobis innotescit. — Rationes *convenientiæ* variæ a variis assignantur.

Prima assignatur a Tridentino, quod, loquens de satisfactione in Pœnitentia injungenda, ait, *Sess. XIV, cap. 8:* « Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum *per ignorantiam* deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scienter templum Dei violare... non formidaverint. »

Altera refertur a S. Thoma. — In Baptismo homo Christo commoritur et cum illo consepelitur, secundum illud Apostoli (Rom. VI, 3, 4): *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Propter quod « omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus et mortuus esset. Passio autem Christi est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille qui baptizatur, liberatur a reatu totius pœnæ sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis. » *(Q. 68, a. 5; q. 69, a. 1).*

Tertiam addit S. Doctor (loc. cit.). — Per Baptismum homo incorporatur Christo, et fit membrum corporis illius mystici, cujus Christus est Caput, et pro quo ipse semetipsum morti tradidit. Sed in corpore pœna unius membri potest esse satisfactoria pro peccato alterius membri. Quocirca per suam in corpus Christi incorporationem « pœna passionis Christi communicatur baptizato, in quantum fit membrum Christi, ac si ipse pœnam illam sustinuisset. »

1549. — Objicitur. Concupiscentia, mors, sitis, fames, et aliæ hujus vitæ miseriæ sunt pœna peccati, et tamen in Baptismate non auferuntur. Ergo non omnis pœna per Baptismum tollitur.

Resp. Ex speciali Dei ordinatione Baptismus in præsenti vita reparat personam, non naturam; quamvis ejus reparandæ virtutem habeat, non reparabit tamen nisi in resurrectione generali. Concupiscentia autem, mors, et aliæ miseriæ, sunt defectus fluentes ex principiis naturæ justitia originali destitutæ; qua de causa in præsenti vita non auferuntur. Attamen, condonata culpa in baptizatis, non re-

tinent proprie rationem pœnæ, sed relinquuntur ad agonem et ad exercitium virtutis. Et hoc quidem rationabiliter: « *primo* quidem, *inquit S. Th.*, quia per Baptismum homo incorporatur Christo. et efficitur membrum ejus. Et ideo conveniens est ut id agatur in membro incorporato quod est actum in capite. Christus autem a principio suæ conceptionis fuit plenus gratia et veritate; habuit tamen corpus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde et christianus in Baptismo gratiam consequitur quantum ad animam; habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati; sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam... *Secundo* hoc est conveniens propter spirituale exercitium, ut videlicet contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans, victoriæ coronam acciperet... *Tertio* hoc fuit conveniens, ne homines ad Baptismum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, et non propter gloriam vitæ æternæ. » *(Q. 69, a. 3)*.

ARTICULUS III.

DE ALIIS BAPTISMI EFFECTIBUS.

Præter spiritualem hominis regenerationem atque peccatorum perfectam condonationem, alii effectus. qui ex præcedentibus effluunt, aut cum eis connectuntur, Baptismo adscribuntur, nimirum:

1550. — Apertio januæ cœli. — « Aperire januam regni cœlestis, *ait S. Th.*, est removere impedimentum quo quis impeditur regnum cœleste introire. Hoc autem impedimentum est culpa et reatus pœnæ. Sed per Baptismum omnis culpa et omnis reatus pœnæ tollitur. Unde consequens est quod effectus Baptismi sit apertio januæ regni cœlestis. » *(Q. 69, a. 7)*.

1551. — Illuminatio et fecundatio. — Per Baptismum homo regeneratur in spiritualem vitam, quæ est per fidem Christi. « Vita autem, *inquit S. Th.*, non est nisi membrorum capiti unitorum, a quo sensum et motum suscipiunt. Et ideo necesse est quod per Baptismum aliquis incorporetur Christo quasi membrum ipsius. Sicut autem a capite naturali derivatur ad membra sensus et motus: ita a capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra ejus sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, et motus spiritua-

lis, qui est per gratiæ influxum... Et ideo consequens est quod baptizati illuminentur a Christo circa cognitionem veritatis, et fecundentur ab eo fecunditate bonorum operum per gratiæ infusionem. » *(Q. 69, a. 5).*

Ad rem *Alensis:* « Fecundatio, *inquit*, nihil aliud est quam virtutum et donorum, quæ sunt semina spiritualia, susceptio; et hoc modo bene potest esse fecundatio in Baptismo, cum in Baptismo conferantur virtutes ex quibus postea fructus spirituales possunt facere. » *(Sum. P. VIII, M. 8, a. 3, § 5).*

1552. — Capacitas alia recipiendi sacramenta. — Ratione characteris, qui in Baptismo imprimitur, homo alia recipiendi sacramenta capax efficitur. *(Cf. n. 1499).*

Hominem ante susceptum Baptismum fluminis, etiamsi jam sit de anima Ecclesiæ per Baptismum flaminis, incapacitate laborare alia recipiendi sacramenta, hoc ex sola Dei voluntate pendet, quæ nobis per Ecclesiæ magisterium innotescit.

Ratio autem congruentiæ est, quia sacramenta pertinent ad cultum Dei secundum christianæ religionis ritum, prout in visibili societate ecclesiastica exercetur. Sicut autem nullus potest alicujus societatis civilis juribus uti, aut muneribus publicis fungi, nisi prius eidem incorporetur, ita etiam conveniens est, ut nullus per sacramentorum receptionem cultum Deo secundum ritum christianæ religionis deferre possit, nisi prius factus sit membrum corporis Ecclesiæ. Visibili autem Ecclesiæ, nemo, nisi per susceptionem Baptismi fluminis, incorporari potest, quia Baptismus est *veluti janua qua in christianæ vitæ societatem ingredimur. (Catech. Rom., n. 4).*

1553. — Subjectio legibus Ecclesiæ. — Character Baptismatis est character Christi, quo homo ejus servitio mancipatur, et ad ejus leges servandas adstringitur; non secus ac miles servitio ducis, cujus militiæ nomen dedit, adstringitur. Christus autem potestatem suam legislativam Ecclesiæ commisit; quapropter omnis baptizatus, Christo subjectus tan-

quam membrum capiti, legibus etiam Ecclesiæ adstringitur. Cum vero character Baptismi sit perpetuus et indelebilis, qui semel eum recepit, Christo semper manet subjectus, et consequenter etiam Ecclesiæ; ac proinde per se Ecclesiæ leges servare semper tenetur, licet forsan a corpore Ecclesiæ per hæresim aut schisma sit separatus.

EXPLICIT TRACTATUS DE BAPTISMO.

TRACTATUS DECIMUS.

DE CONFIRMATIONE.[1]

Conspectus generalis.

CAP. I. Notio et existentia.

CAP. II. Natura.
- A. 1. Materia remota.
- A. 2. Materia proxima et forma.

CAP. III. Minister et Subjectum.
- A. 1. Minister.
- A. 2. Subjectum.

CAP. IV. Effectus.

[1] **Auctores consulendi:** *S. Thomas,* P. III, q. 72. — *S. Alphons.,* Mor., l. VI, n. 161 et seq.; Cont. hær., sess. VII, a. 3. — *Witasse,* De Confirm. — *Bellarmin.,* De Confirm. — *De Augustinis,* De Confirm. — *Marc,* Instit., De Confirm. —Catechismus Rom., P. II, c. 3, De Confirm.

INTRODUCTIO.

1554. — In vitam spiritualem per Baptismum regeneratus, indiget homo in perfectam spiritualis vitæ ætatem promoveri; quod præstatur per Confirmationem, qua « augemur in gratia et roboramur in fide », ut ait Florent., *decr. pro Arm.* — Considerationem igitur Baptismi apte suscipit consideratio de Confirmatione. — Quatuor sunt investiganda: I. ejus notio et existentia; II. ejus natura; III. ejus minister et subjectum; IV. ejusdem effectus.

—

CAPUT I.

DE CONFIRMATIONIS NOTIONE ET EXISTENTIA.

1555. — **Definitio.** — Confirmatio definitur: *Novæ Legis sacramentum, quo per manuum impositionem et chrismatis unctionem, sub certa verborum forma, confertur baptizatis gratia roborans ad fidem firmiter profitendam.*

Dicitur *Novæ Legis sacramentum,* quibus refertur genus proximum Confirmationis; — *quo per manuum impositionem,* etc., his indicatur differentia specifica, materia scilicet tam proxima quam remota, necnon et forma propria; — *baptizatis,* quæ vox subjectum Confirmationis exhibet, quod est solus et omnis baptizatus; — *gratia roborans,* etc., his indicantur Confirmationis effectus.

1556. — **Nomina** [1]. — Sacra Confirmatio a SS. Patribus multiplici designatur vocabulo. A *materia remota* vocatur chrisma salutis, sacramentum chrismatis, unguenti mysterium. — A *materia proxima* vocatur manus impositio, sacramentum unctionis. — *Ab effectu, ratione characteris,* vo-

[1] Cf. Witasse, *Introd.*

catur signaculum dominicum, sigillum regium. — *Ab effectu, ratione gratiæ*, vocatur perfectio, consummatio, sacramentum plenitudinis, sacramentum Spiritus Sancti.

1557. — **Errores** [1]. — In controversia est an ante protestantes aliqui sacramentum Confirmationis negaverint, ut Novatiani, Albigenses, Waldenses et Hussitæ. — Negavit *Lutherus* [2] Confirmationem esse sacramentum; sed eam docet esse cæremoniam pure ecclesiasticam. — *Melanchton*, aliique protestantes post colloquium Ratisbonense, an. 1541, et *Calvinus* [3], docent, Confirmationem apud veteres nihil aliud fuisse quam catechesim seu fidei professionem. Aiunt enim, catechumenos post susceptum Baptismum, et infantes in pueritia baptizatos, cum ad adolescentiam pervenissent, ductos fuisse ante episcopum, ut ab eo de fide examinarentur secundum communem formulam catechismi; quo autem solemnior redderetur actio illa, addita est et cæremonia manuum impositionis: finito examine, dimittebantur cum solemni episcopi benedictione. — Confirmationem vero, quam Ecclesia Romana veneratur ut Novæ Legis sacramentum, Calvinus vocat *otiosam cæremoniam. et exitiales Satanæ prestigias* [4].

1558. — **Prop.** *Confirmatio est verum et proprie dictum Novæ Legis sacramentum.*

De fide, ex Trid., Sess. VII, can. 1: « Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; A. S. — Et ex Florent., *decr. pro Armenis.*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Act. VIII, 14 et seq.): *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem; qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* — Et (Act. XIX, 5, 6): *Baptizati sunt in nomine*

[1] Cf. Witasse, P. I, q. I, a. 1. — [2] *In Captiv. babylon.* — [3] *Instit.*, l. IV, c. 19, § 4. — [4] *Antidot. Concilii Trid.*, ad sess. VII, can. 1 *De Confirm.*

Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.

Jamvero, his in verbis Confirmatio exhibetur *ut verum sacramentum*, et non ut cæremonia Baptismo conjuncta. Et quidem:

a) Ut verum sacramentum; enumerantur omnia quæ ad sacramentum sunt necessaria: *ritus exterior*, preces scilicet cum manuum impositione; *collatio gratiæ*, adventus scilicet Spiritus Sancti, qui non datur separatim a gratia habituali; *institutio Christi*, quæ innuitur tum ex effectu, quia solius Dei est sensibilibus rebus adnectere virtutem producendi gratiam; tum ex modo agendi Apostolorum, qui ad certam dationem Spiritus Sancti impositionem manuum adhibere non potuissent, nisi hunc ritum a Christo fuissent edocti.

b) Et non ut nuda cæremonia Baptismo adjuncta: si illa manuum impositio nuda fuisset Baptismi cæremonia, idem minister, qui Baptismum contulit, manus etiam imponere potuissèt, cum minus sit nudam cæremoniam peragere, quam sacramentum conferre. Sed contra, patet Philippum diaconum Baptismum dare potuisse; manuum autem impositionem Apostolis fuisse reservatam.

Præterea, datio Spiritus Sancti, seu gratiæ, non cæremoniis, sed sacramento alligatur. Si igitur manuum impositio fuisset nuda Baptismi cæremonia, Spiritus Sanctus in Baptismo potius datus fuisset, quam in manuum impositione: cujus tamen contrarium apparet.

II. **Ex Traditione et præscriptione.** Quando exorti sunt protestantes, Ecclesia erat in tranquilla possessione Confirmationis, quam constans et antiquissima traditio exhibet non ut nudam Baptismi cæremoniam, aut simplicem catechesim vel fidei professionem, sed ut verum et proprium sacramentum, quo gratia confertur.

a) Non ut nudam Baptismi cæremoniam: quod inde apparet, quod a Patribus alius minister pro Baptismo, alius autem pro Confirmatione requiritur; et quod sæpe non statim post Baptismum conferebatur chrismatis unctio.

« Presbyteris, *ait Innocentius I*,... cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet... non tamen frontem ex eodem oleo signare,

quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Sanctum Paracletum.»

Patres Concil. Illiberitani. (an. 305) aiunt, can. 77: «Si quis diaconus regens plebem, sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debet.»

S. Hieronymus: «Hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a majoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat.» *(Adv. Lucif., n. 9).*

b) Non catechesim aut fidei professionem: quod inde manifestatur quod pueris, qui erant incapaces emittendi professionem fidei, exhibebatur Confirmatio: «De consignandis vero infantibus, *ait Innocentius I.* manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere.» *(Loc. cit.).*

Præterea, agendo de datione Spiritus Sancti per manuum impositionem, ad hunc effectum obtinendum Patres loquuntur de *unctione chrismatis, de manuum impositione,* nullatenus autem de catechesi aut professione fidei.

c) Sed ut verum et proprium sacramentum, quo gratia confertur. — «Omnibus, *inquit S. Clemens rom.,* festinandum est sine mora renasci Deo, et demum ab episcopo consignari, id est, septiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, quum alioqui perfectus christianus nequaquam esse possit is, qui injuria et voluntate, non autem necessitate compulsus, hoc sacramentum prætermiserit, ut a B. Petro accepimus, et cæteri Apostoli præcipiente Domino docuerunt.» *(Ep. 1 ad Jul.)*

S. Cyprianus, postquam retulit factum Apostolorum, Act. VIII, 14, ait: «Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, ut per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur.» *(Ep. 73, n. 9).*

S. August.: «Sacramentum chrismatis... in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.» *(Cont. litt. Petil., l. II, c. 104, n. 239).*

III. **Ex Ratione.** Sacramenta ordinantur ad speciales effectus gratiæ; et ideo ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale sacramentum. Sed, sicut in vita corporali acquisitio ætatis adultæ est specialis effectus distinctus a generatione, qua accipitur vita; ita promotio

ad perfectam ætatem vitæ spiritualis est specialis gratiæ effectus, distinctus a spirituali nativitate. Et ideo conveniens fuit, ut ad perfectam ætatem spiritualem acquirendam speciale institueretur sacramentum. *(Cf. S. Th., q. 72, a. 1).*

1559. — Scholium. *De tempore institutionis hujus sacramenti* [1].

Quonam tempore a Christo instituta sit Confirmatio, plane incertum est. Plures exstant opiniones, duas communiores referemus.

Prima docet, Confirmationem institutam fuisse tempore, quod inter Christi resurrectionem et ejus ascensionem effluxit; quo tempore, *ut ait S. Leo*, « magna sunt confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria. » *(Serm. 73, de Ascens. I, c. 2)*,

Altera, probabilior docet, Confirmationem in ultima cœna fuisse institutam. Tunc enim, secundum antiquam traditionem, quæ refertur in Epist. II, c. 1, quæ attribuitur S. Fabiano P., Christus hujus sacramenti determinavit formam et materiam, Apostolosque edocuit modum conficiendi sanctum chrisma. Hanc tenent *Isambert* [2], *Suarez* [3], *Gibbon* [4], *S. Alphonsus* [5], etc.

—

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONIS NATURA.

De elementis constitutivis Confirmationis magna olim inter doctos viguit controversia, speciatim quoad materiam proximam et formam. Agemus igitur in art. I. de materia remota Confirmationis; in II. de materia proxima et forma. Materiam

[1] Cf. Witasse, P. II, q. I, a. 3. — [2] In q. 72, disp. I, a. 3. — [3] In q. 72, disp. 32, sect. 2. — [4] *De Confirm.*, dub. I, n. 17. — [5] *Mor.*, VI, 161.

proximam et formam, brevitatis causa, conjungimus; quia de utraque eadem viguit controversia, et pro utraque eadem militant argumenta.

ARTICULUS I.

DE REMOTA CONFIRMATIONIS MATERIA.

1560. — Materia remota Confirmationis est « chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per episcopum benedicto. » *(Conc. Florent., decr. pro Arm.)*

Chrisma esse Confirmationis materiam, « sancta Ecclesia et Concilia perpetuo docuerunt, *ait Catech. rom., n. 7*, tum a S. Dionysio et complurimis aliis gravibus Patribus traditum est, imprimisque a Fabiano Pontifice, qui Apostolos chrismatis confectionem a Domino accepisse, nobisque reliquisse testatus est. »

Convenientiam chrismatis pro Confirmationis materia explicat Catech. rom. *(n. 8 et 9)*: « Oleum, *inquit,* quod pingue sit, et natura sua manet ac diffluat, gratiæ plenitudinem exprimit, quæ per Spiritum Sanctum a Christo capite in alios redundat atque effunditur... Balsamum vero, cujus odoratus jucundissimus est, quid aliud significat, quam fideles, quum sacramento Confirmationis perficiuntur, eam virtutum omnium suavitatem effundere, ut illud Apostoli queant dicere: *Christi bonus odor sumus Deo?* (II Cor. II, 15.) » *(Cf. S. Th., q. 72, a. 2).*

Oleum olivarum pro confectione chrismatis esse necessarium necessitate sacramenti, extra dubium positum est. Ut enim *ait S. Th.:* « Hoc oleum proprie dicitur oleum, et maxime habetur in usu ubi haberi potest; quilibet autem alius liquor ex similitudine hujus oleum nominatur; nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos quibus deest oleum olivarum. Et ideo hoc oleum solum assumitur in usum hujus, et quorumdam aliorum sacramentorum. » *(Q. 72, a. 2, ad 3).* — Sed circa necessitatem balsami et benedictionis ab episcopo movetur quæstio. Unde:

1561. — **Quæritur I.** *An in confectione chrismatis balsamum admiscendum sit oleo ad validitatem sacramenti.*

Resp. Certum est, balsamum admiscendum esse *de necessitate præcepti;* an autem hæc admixtio sit *de necessitate sacramenti,* ita ut, deficiente balsamo, materia sit invalida, controvertitur [1].

Prima sententia probabilis docet, balsamum non esse de necessitate sacramenti. — *Secunda sententia communior et probabilior* affirmat esse de necessitate sacramenti: probatur ex Florentino supra citato, in quo dicitur *chrisma confectum ex oleo et balsamo;* — et ex constanti Ecclesiæ praxi [2].

Sufficit autem balsamum cujusque regionis, sicut declaravit Benedictus XIV *(Const. Ex quo, 1756, § 52):* « Ut ad conficiendum chrisma liceret uti certo quodam fraganti succo liquore, qui communiter pro vero balsamo accipitur. » — Et sufficit in ea quantitate, ut det sui odorem, quamvis non misceatur cum singulis olei partibus.

1562. — **Quæritur II.** *An chrisma debeat esse ab episcopo benedictum* [3].

Resp. 1. Requiri de necessitate sacramenti *ut chrisma sit benedictum,* communiter affirmant doctores cum S. Thoma [4]. Ratio « ex eo repetenda est, quod Confirmationis sacramenti materiam Christus usu suo non consecraverit, sicut et Baptismi aquam contactu corporis sui consecravit,... ac proinde convenientissimum sit, ut sanctis ac religiosis precationibus chrisma consecretur. » *(Catech. rom., n. 9).*

2. Certum est, benedictionem chrismatis factam ab episcopo requiri *de necessitate præcepti.* Clare enim enuntiatur in Florentino, materiam Confirmationis esse *chrisma per episcopum benedictum;* constat etiam ex universali praxi Ecclesiæ, quæ nunquam indulsit, ut in chrismate benedicto a simplice sacerdote Confirmatio exhiberetur.

3. Certum est etiam, chrisma a simplici sacerdote benedictum absque licentia S. Pontificis, esse Confirmationis materiam invalidam. — Sed controvertitur an posset simplex sacerdos ex delegatione S. Pontificis chrisma conficere, ita ut sit valida sacramenti materia. *Prima sententia communior negat:* nititur præsertim verbis Florentini supra relatis, et constanti praxi Ecclesiæ, quæ nunquam simplici sacerdoti

[1] Cf. S. Alph., *Mor.,* VI, n. 162. — [2] Cf. Bellarm., *De Confirm.,* c. 8. — [3] Cf. S. Alph., *Mor.,* VI, n. 163. — [4] Q. 73, a. 3.

permisit conficere chrisma, licet pluribus dederit facultatem confirmandi. — *Altera sententia speculative probabilior affirmat:* ratio, quia eadem auctoritate, qua S. Pontifex simplici sacerdoti concedere potest ut confirmet, posset eidem etiam chrismatis benedictionem committere, cum non majus sit chrisma conficere, quam sacramentum conferre.

ARTICULUS II.

DE MATERIA PROXIMA ET FORMA [1].

1563. — De Confirmationis materia proxima et forma olim plures exstiterunt sententiæ: tres celebratiores referemus.

Prima docet, unicam materiam essentialem Confirmationis esse illam manuum impositionem, quam indicat pontificale romanum in principio ritus, ubi episcopus, antequam ad chrismatis unctionem accedat, extendit manus versus confirmandos proferens orationem: *Omnipotens sempiterne Deus*, etc.; formam vero esse prædictam orationem *Omnipotens*, etc. « Sed hæc sententia est omnino falsa ». *ait S. Alph.* [2], contradicit enim Florentino, et universali Ecclesiæ praxi.

Secunda duas materias et duas formas partiales admittit. Docet, materiam essentialem componi tam ex impositione manuum quæ fit in principio, quam ex unctione quæ deinceps ab episcopo adhibetur; formam vero componi tam ex oratione *Omnipotens sempiterne Deus*, quæ primam manuum impositionem comitatur, quam ex verbis: *Signo te signo crucis*, etc., quæ episcopus chrismando adhibet. Quæ sententia, olim probabilis, hodie probabilitate carere videtur, ob rationes mox citandas.

Tertia sententia, hodie *communis et certa*, tenet materiam adæquatam et totalem Confirmationis esse chrismatis unctionem, quæ confirmandis per impositionem manus episcopi adhibetur; formam vero totalem et adæquatam esse verba, quæ episcopus ungendo profert, scilicet: *Signo te si-*

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, VI, n. 164-170; *Cont. hær.*, sess. VII. a. 3, n. 12-17. — [2] *Mor.*, VI, n. 167.

gno crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Dicitur: materiam esse *unctionem per impositionem manuum*, quia unctio et manuum impositio non sunt duæ actiones diversæ, sed una et eadem actio, episcopus enim ungendo manum imponit, ut testatur *Innocentius III:* « Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio »[1]. — Et: « Sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent episcopi per manus impositionem conferre »[2].

1564. — Prop. *Totalis et adæquata materia proxima Confirmationis est frontis inunctio per manus impositionem; totalis vero et adæquata forma essentialis est:* SIGNO TE SIGNO CRUCIS, etc. — Certa.

PROB. I. **Ex Concil. Florent.,** *decr. pro Arm.*, in quo unica materia, chrisma scilicet, ac proinde sola inunctio indicatur; et unica etiam forma profertur: Forma autem est: *Signo te signo crucis*, etc. « Loquens de sacramento Confirmationis, *inquit S. Alph.*, expressam facit mentionem tam de chrismate, quam de impositione, quæ ab Apostolis in hoc sacramento adhibebatur. Idcirco si Pontifex putasset impositionem esse materiam ab unctione distinctam, omnino debuisset, non tantum unctionem, sed etiam impositionem designare pro materia, et utriusque materiæ formas describere; alias non recta, quia non integra, sed mutilata esset ejus doctrina; ac proinde, cum Eugenius reticuit impositionem distinctam ab unctione, omnino dicendum quod eam excluserit. » *(Diss. de mat. et form. Conf.).*

II. **Ex Declaratione Benedicti XIV,** Constit. *Ex quo primum*, 1 Mart. 1756, § 52: « Quod itaque extra controversiam est, *inquit*, hoc dicatur: nimirum in Ecclesia Latina, Confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro chrismate,

[1] Cap. *Cum venisset*, § 7, *De Sacr. Unct.* — [2] In c. IV, *Quanto, De Consuet.*; cf. S. Alph., *Mor.*, VI, n. 167, et dissert. *de Mat. et forma confirm.*

sive oleo olivarum, balsamo commixto, et ab episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formæ verba pronuntiat. » — « Ibi igitur, *addit S. Alphonsus*, extra controversiam esse docet valide sacramentum conferri cum sola chrismatis unctione adhibita per manum episcopi, et unicam esse formam eam quæ unctionem comitatur. » *(Loc. cit.)*.

III. **Ex Decisione Congr. de Prop. fide,** data in congreg. plenaria, die 6 Aug. 1840. Ad quæsitum: An iteranda sit confirmatio, in qua, omissa prima manuum impositione, minister frontem inunxit, dicendo: *Signo te*, etc., respondit: *Non esse repetendam Confirmationem sub conditione*[1].

IV. **Ex Catech. Rom.,** qui n. 7, unam materiam Confirmationis indicat: chrisma scilicet; deinde, agens de forma, ait, n. 11: « His igitur verbis Confirmationis forma absolvitur: *Signo te signo crucis*, etc. »; deinde, n. 12, addit: « hanc esse hujus sacramenti veram et absolutam formam, Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, cujus magisterio ita semper edocti fuimus, non patitur, nos ea de re quidquam dubitare. »

V. **Ex Traditione.** Certum est, ex Scripturis (Act. VIII), et ex Patrum traditione, ad Confirmationem requiri manuum impositionem. Certum est etiam unctionem chrismatis esse de necessitate istius sacramenti: semper enim in Ecclesia tam latina quam græca, unctio fuit in usu, ut ex scriptis Patrum constat; ex quo inferimus eam ab Apostolis traditam esse, secundum illud *S. Augustini:* « Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur. » *(De Bapt., l. IV, c. 24)*.

« Cum ergo, *inquit S. Alph.*, legitur Actor. VIII, quod Apostoli dabant Spiritum Sanctum imponendo manus, et una tantum ibi, non duplex impositio nominatur; siquidem si ipsi sacramentum Confirmationis ministrabant, ea impositio erat ab unctione indistincta. » *(Loc. cit.)*.

[1] Cf. *Collect. Congr. de prop. fide,* n. 663.

Totalis igitur et adæquata Confirmationis essentia consistit in unctione et manuum impositione quæ in unctione includitur, et in verbis quæ minister chrismando frontem profert.

1565. — Scholium I. — *De materia proxima.*

Juxta communem sententiam, de necessitate sacramenti est:

1. *Ut unctio fiat in fronte.* — Constat ex antiqua Ecclesiæ praxi, et habetur in decreto pro Arm., in Florentino. — Ratio convenientiæ est, quia in Confirmatione homo accipit Spiritum Sanctum ad robur spiritualis pugnæ, ut fortiter Christi fidem confiteatur; quocirca insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis. Sed signum debet esse evidens et manifestum; unde convenienter fit in fronte, quæ est corporis pars omnium manifestior.

Præterea, homo a confessione nominis Christi ordinarie impeditur propter timorem et propter verecundiam; quæ maxime in fronte manifestantur. Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat. *(S. Th., q. 72, a. 9).*

2. *Ut unctio fiat per modum crucis;* alioquin forma non verificaretur: *Signo te signo crucis.* — Ratio congruentiæ est, quia per Confirmationem homo deputatur, tamquam miles Christi, ad spirituales pugnas subeundas. Sed sicut miles insignitur signo ducis, ita etiam christianus signo Christi, quod est signum crucis, insigniri debet.

3. *Ut unctio fiat immediate per manum episcopi,* et non mediante aliquo instrumento; secus non adesset manuum impositio, quæ probabilius ad essentiam sacramenti requiritur.

Ex præcepto ecclesiastico unctio fieri debet pollice manus dexteræ; id tamen non est de necessitate sacramenti.

1566. — Scholium II. — *De forma.*

Formam: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris,* etc., esse *validam,* constat ex auctoritate Florentini supra citati.

Eamdem esse *convenientissimam*, exponit *S. Thomas, q. 72*, a. 4. Forma sacramenti continere debet quidquid ad speciem sacramenti pertinet. Cum vero Confirmatio detur ad robur spiritualis pugnæ, tria in ejus forma exprimi debent: 1. *Causa* conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est Sancta Trinitas; exprimitur cum dicitur: *In nomine Patris*, etc. — 2. *Ipsum robur* spirituale, quod homini confertur; exprimitur per verba: *Confirmo te chrismate salutis.* — 3. *Signum*, quod pugnatori datur: exprimitur per: *Signo te signo crucis* [1].

In Ecclesia Græca forma Confirmationis est: *Signaculum doni Spiritus Sancti* [2]; quam Græci retinuerunt ex Concil. Constantinopolitano I, can. 7, in quo habetur: *eos signantes dicimus: Signaculum doni Spiritus Sancti.* — Validam esse hanc formam constat ex declaratione Benedicti XIV, Const. *Ex quo primum*, § 51, dum ait: « Nemini fas est asserere in Ecclesia Græca non adesse sacramentum Confirmationis. » — In hac forma, juxta indolem linguæ græcæ, subintelligitur *ecce* vel *datur tibi.*

—

CAPUT III.

DE MINISTRO ET SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

ARTICULUS I.

DE MINISTRO.

1567. — Minister Confirmationis alius est ordinarius, alius extraordinarius. — *Ordinarius* est episcopus, qui jure divino, vi suæ ordinationis, completam et expeditam habet potestatem ministrandi Confirmationem; unde valide eam confert, etiamsi sit excommunicatus, suspensus, aut degradatus. — *Extraordinarius* est simplex sacerdos ex speciali S. Pontificis delegatione.

[1] Cf. *Catech. Rom.*, n. 12. — [2] Cf. S. Alph., *Mor.*, VI, n. 169.

Quoad ministrum Confirmationis erravit Photius, qui presbyteris parem ac episcopis tribuit confirmandi potestatem; in quo errore adhuc hodie græci schismatici communiter perstant.

1568. — Prop. I. *Minister ordinarius Confirmationis est solus episcopus.*

De fide, ex Trident., Sess. VII, can. 3: « Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; A. S. » — Et ex Sess. XXIII, can. 7; et ex Florent., *decr. pro Arm.*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Act. VIII) Apostolos misisse Petrum et Joannem ad eos confirmandum, quos Philippus baptizaverat. Ad quæ alludens *Innocentius I*, ait: « Hæc pontificibus solis deberi ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, etc. *(Ep. 25 ad Decent., c. 3; Denz., n. 60).*

II. **Ex Traditione.** Legimus in Conc. *Hispalensi II*, cap. 7 (an. 619): « Non licere eis (presbyteris) ecclesiam vel altaria consecrare, nec per impositionem manus fidelibus Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare. »

Innocentius IV scribit: « Soli episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos: quia hujus unctio non debet nisi per episcopos exhiberi. » *(Ep. ad Ottonem, cardin. Tusculan.).*

Eusebius papa: « Manus impositionis sacramentum... ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus; nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse... Nam si aliter præsumptum fuerit irritum habeatur et vacuum. » *(Ep. 3 ad Episc. Tusciæ).*

III. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia Confirmationem a presbyteris collatam absque concessione SS. Pontificis, invalidam tenet, sicut constat ex Constit. Benedicti XIV, *Etsi pastoralis*, § 3, ubi legimus: « Episcopi latini infantes, seu alios in suis diœcesibus baptizatos a presbyteris græcis absolute chrismate in fronte consignatos confirment; cum neque per prædecessores

nostros, neque per nos græcis presbyteris in Italia, ut infantibus baptizatis sacramentum conferant, facultas concessa sit.» — Et ex responsione Congr. S. Officii, 3 Julii 1853[1].

IV. **Ex Ratione.** Ratio a priori est sola Dei voluntas. — Ratio convenientiæ a *S. Th., q. 72, a. 11,* assignatur, scilicet: « In quolibet opere ultima consummatio superiori arti aut virtuti reservatur... Hoc autem Confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti Baptismi, ita scilicet quod per Baptismum ædificatur homo in domum spiritualem:... sed per sacramentum Confirmationis, quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus Sancti... Et ideo collatio hujus sacramenti episcopis reservatur. »

1569. — Prop. II. *Minister extraordinarius Confirmationis potest esse simplex sacerdos ex concessione S. Pontificis*[2]. — Certa.

Prob. I. **Ex Concil. Florent.,** *decr. pro Arm.,* in quo dicitur: « Legitur tamen aliquando, per apostolicæ sedis dispensationem, et rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem, chrismate per episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis sacramentum. »

II. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Urgente necessitate, Ecclesia jam antiquitus hanc facultatem presbyteris indulsit. « Ubi episcopi desunt, *ait S. Gregor. M.,* ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus. » *(Epist., l. IV, ep. 26).* — Eamdem facultatem deinceps concesserunt plures alii Pontifices, ut Nicolaus IV, B. Urbanus V, Benedictus XIV, in bulla: *Eo quamvis tempore.* Et hodie plures exstant sacerdotes, præsertim in regionibus orientalibus, qui eadem gaudent facultate, uti videre est in Collectaneis Congreg. de propaganda fide, P. II, Tit. I, c. 3.

1570. — Quæritur. *Quomodo possit simplex sacerdos, per S. Pontificis delegationem, potestatem accipere dandi Confirmationem.*

Resp. Hujus potestatis acceptatio difficultate non vacat: potestas enim confirmandi est potestas ordinis, quæ non ex delegatione, sed

[1] *Collect. Congr. de prop. fide,* n. 674. — [2] Cf. S. Alph., *Mor.,* VI, n. 170.

ex ordinatione acquiritur. — Docent communiter recentiores theologi, simplicem sacerdotem vi suæ ordinationis accipere potestatem confirmandi *inchoative* vel *incomplete*, eamque per S. Pontificis delegationem fieri completam et expeditam. — Sed hac responsione non omnis tollitur obscuritas; quæri enim posset, quomodo *delegatio* vel *potestas jurisdictionis* potestatem ordinis perficere et complere possit?

Unde ulterius progreditur *Gasparri*[1] et docet, sacerdotem vi ordinationis recipere potestatem confirmandi, sed conditionate, videlicet: *si S. Pontifici ita placuerit*. Unde S. Pontifex sua delegatione potestatem non complet, sed solvit, eamque reddit expeditam, ut valide sese exercere valeat.

1571. — Scholium. — *De Confirmatione Græcorum.*

Mos viget apud Græcos exhibendi Confirmationem baptizatis statim post Baptismum; quare idem sacerdos qui baptizat, semper etiam confirmat. Invaluit illa consuetudo longe ante tempora Photii, *tolerante*, ac proinde *tacite approbante Ecclesia*. Unde valida reputanda est eorum Confirmatio, si facta sit in regione, in qua illa facultas non fuit a S. Pontifice retractata, prout docet Benedictus XIV, *De Synodo, l. VII, c. 9.*

Interrogata an schismatici græci redeuntes ad unitatem, sint denuo confirmandi sub conditione, respondit S. Congr. S. Officii, die 3 Julii 1853: «Non expedire quod confirmati a sacerdotibus schismaticis denuo liniantur post reditum ad unitatem.»

In responsione tamen 1 April. 1879, loquendo de familia catholica latina, cujus infantes a sacerdote schismatico fuerant baptizati et confirmati, addit: «Non expedire ut iterum ab episcopo inungantur, nisi adsit inter eos qui ad tonsuram et ordines promovendus sit, aut ipsi vel eorum parentes id petant: quo in casu Confirmationis sacramentum secreto et sub conditione esse conferendum.»

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

1572. — Subjectum Confirmationis dicitur, qui illam valide recipere potest: est *quilibet homo baptizatus nondum confirmatus*. — Dicitur: *baptizatus*, quia solus Baptismus dat capacitatem alia recipiendi sacramenta; *nondum confirmatus*, quia propter characteris impressionem Confirmatio valide iterari nequit; *quilibet homo*, sive sit vir, sive mulier, sive adul-

[1] *De Sacr. ordinat.*, T. 2, n. 779.

tus, sive infans; licet hodie ex præscripto Ecclesiæ infantibus *licite* dari nequeat ante usum rationis, excepto casu necessitatis, prout statuit Benedictus XIV, Constit. *Eo quamvis*, § 6, an. 1745 [1].

1573. — Prop. *Omnes baptizati nondum confirmati valide confirmari possunt.* — Certa.

Prob. I. **Ex Script. S.** Ex Actibus Apost., VIII, et alibi passim, manifestum est, Apostolos omnibus, quos baptizaverant, indiscriminatim manus imposuisse, ut Spiritum Sanctum acciperent.

II. **Ex Praxi primitivæ Ecclesiæ.** Mos fuit in primitiva Ecclesia usque ad sæc. XII, non solum adultis, sed et infantibus ante usum rationis Confirmationem conferre. « De consignandis infantibus manifestum est, *ait Innocentius I*, non ab alio quam ab episcopo fieri licere. » *(Denz., n. 60).* — Quæ consuetudo in Ecclesia Græca perseverat, cujus Confirmationem Ecclesia Romana ratam habet.

III. **Ex Ratione** [2]. — 1. *Argumento generali:* Confirmatio instituta est ad hominem in perfectam spiritualem ætatem promovendum. Porro, sicut intentio naturæ est, ut qui nati sunt in vitam corporalem, perducantur in ætatem adultam, ita etiam Dei intentio est, ut qui in vitam spiritualem renati sunt, ad perfectam ætatem hujus vitæ promoveantur. Unde omnibus baptizatis exhiberi debet Confirmatio.

2. *Speciatim pro pueris:* « Ætas corporalis, *ait S. Th.*, non præjudicat animæ; unde etiam in puerili ætate homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis. » *(Q. 72, a. 8, ad 2).* Potest igitur pueris Confirmatio valide conferri, quandoquidem capaces existunt illius effectum recipiendi.

3. *Speciatim pro mulieribus:* In confirmatione datur Spiritus Sanctus ad robur, ad pugnandum scilicet pro fide. Sed « apud Deum femineus etiam militat sexus. Multæ namque feminæ animo virili spiritualem militiam gesserunt. »

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, VI, n. 178; *Hom. Ap.*, Tr. XIV, n. 49. — [2] Cf. S. Th., q. 72, a. 8; Isamb., q. 72, Disp. V, a. 1,

S. Chrysost., (Hom. de Machabæis). — Et ideo etiam mulieribus danda est confirmatio.

4. *Speciatim pro moribundis:* « Anima, *inquit S. Th.*, ad quam pertinet spiritualis ætas, immortalis est. Et ideo etiam morituris hoc sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant... Unde etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, sicut et hic majorem obtinent gratiam. » *(Loc. cit., ad 4).*

1574. — Quæritur. *An Confirmatio sit necessaria* [1].

Resp. 1. *Certum est* Confirmationem non esse ad salutem necessariam *de necessitate medii,* ita ut salus absque ea nullatenus obtineri possit. Sequitur ex dictis de effectibus Baptismi *(n. 1547 et seq.),* ubi vidimus eos, qui post Baptismum ante novum commissum peccatum moriuntur, in cœlum statim intrare. — Constat etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ non satagit ut omnibus parvulis, qui ante usum rationis decedunt, Confirmatio conferatur. — Docuit præterea Conc. *Illiberitanum,* can. 77: « quod si (baptizatus) ante (Confirmationem) de sæculo recesserit, sub fide, qua quis crediderit, poterit esse justus. »

2. Certum est, sicut hodie docent communiter doctores, Confirmationem esse necessariam *de necessitate præcepti ecclesiastici,* ut constat ex Constit. *Etsi pastoralis,* Benedicti XIV. *(Cf. S. Alph., Mor., l. VI, n. 182).*

3. An autem Confirmatio sit necessaria *de necessitate præcepti divini naturalis, aut positivi,* controvertitur.

Affirmant alii necessariam esse, saltem ex præcepto divino naturali; ratio: quia quilibet iis tenetur uti mediis, quæ a Deo sunt instituta, ut securitati suæ consulat, et pericula contra fidem constanter superare valeat. Porro hujusmodi medium est Confirmatio.

Alii negant adesse præceptum divinum. Enimvero: non adest *præceptum positivum,* « quia nullibi tale præceptum reperitur expressum. *Non naturale,* quia licet Christus Dominus hoc sacramentum instituerit tanquam peculiare medium ad vincendas hostium insidias, tamen alia sunt generalia media, prout frequens Eucharistiæ perceptio, oratio, pœnitentia, etc., quibus robur animæ etiam obtineri potest. » *S. Alph. (Mor., l. VI, n. 181).*

---

[1] Cf. S. Alph., *Mor.,* VI, n. 181 et 182.

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS CONFIRMATIONIS.

1575. — Duo enumerantur effectus Confirmationis, scilicet: *character* et *gratia*. — Imprimi characterem, cujus ratione Confirmatio iterari nequeat; et produci gratiam habitualem, per se secundam. aliquando primam per accidens, ex iis sufficienter constat, quæ in tractatu *De sacramentis in genere* prolata sunt. *(Cf. n. 1495).*

Agendum est igitur unice de proprio effectu Confirmationis, in quantum est sacramentum ab aliis distinctum, et ad specialem finem in vita christiana ordinatum.

1576. — **Prop.** *Specialis effectus Confirmationis est gratia perficiens vitam spiritualem in Baptismo acceptam, et corroborans ad fidem fortiter propugnandam.*

Fide certa, ex Florent., *decr. pro Arm.:* « Per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide... Effectus autem hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Teste Florentino, in Confirmatione datur Spiritus Sanctus, sicut datus est Apostolis. Atqui, Spiritus Sanctus datus est Apostolis ad perficiendam et corroborandam gratiam in ordine ad spirituale luctamen, secundum promissionem Christi (Act. I, 8): *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.*

Quem effectum Apostoli sua commonstrant agendi ratione. Timidi fugam in Christi passione arripuerunt, nec fidem confiteri ausi sunt: post descensum Spiritus Sancti audacter ubique prædicant, et læti a concilio seniorum discedunt *quoniam*

digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. (Act. V, 41). Ergo et in Confirmatione Spiritus Sanctus datur ad perficiendum et corroborandum. *(Cf. Catech. Rom., n. 22).*

II. **Ex Traditione.** Docent S. Patres, Confirmationem baptizatis conferri, ut *perficiantur, consummentur, roborentur, muniantur, ut sint pleni et perfecti christiani, ut accipiant plenitudinem sanctitatis.*

« Sequitur spirituale signaculum, *inquit S. Ambrosius,...* quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur. » *(De Sacr., l. III, c. 2, n. 8).*

Innocentius III: « Per frontis chrismationem, manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio: quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur. » *(In cap. unico de Sacr. Unct.)*

Rabanus M.: « Baptizatum signari... in fronte, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis et scientiæ et veritatis venire in hominem declaretur. » *(De Instit. cler., l. I, c. 30; cf. etiam auctoritates citatas, n. 1558).*

III. **Ex nominis Significatione.** « Ab eo nomen rei impositum est, *inquit Catech. rom., n. 21,* quod hujus sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod Baptismo operari cœpit, nosque ad christianæ soliditatis perfectionem adducit. Nec vero confirmat solum, sed auget etiam. »

1577. — **Quæritur.** *An robur in Confirmatione collatum ordinetur tantum contra visibiles hostes fidei.*

Resp. 1. Ad hoc *primo* et *principaliter* ordinatur, ut christiani, milites Christi effecti, fidem coram persecutoribus publice defendant, secundum verba Christi ad Apostolos (Act. I, 8): *Accipietis virtutem superrenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes,* etc. — « Pugna spiritualis contra hostes invisibiles, *inquit S. Th.,* omnibus competit; sed contra hostes visibiles, id est, contra persecutores fidei, pugnare, nomen Christi publice confitendo, est confirmatorum, qui jam sunt perducti spiritualiter ad virilem ætatem. » *(Q. 72, a. 5, ad 1).*

2. Ordinatur etiam ad tentationes carnis, mundi et dæmonis superandas. Per hoc enim quod gratiam Baptismi perficit, majores etiam tribuit vires ad resistendum tentationibus.

Confirmatio, *ait Catech. rom., n. 20*, « Baptismi gratiam perficit. Qui enim per Baptismum christiani effecti sunt, quasi infantes modo geniti, teneritatem adhuc et mollitiem quamdam habent, ac deinde chrismatis sacramento adversus omnes carnis, mundi et diaboli impetus robustiores fiunt. »

Et in homilia *Eusebii ep. Lugd.* legimus [1]: « Quia in hoc mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est: in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Ac si continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia. »

1578. — Corollarium. — Ex dictis intelligere licet *quænam adsit differentia baptizatum inter et confirmatum.*

Baptizatus est in vita spirituali sicut modo genitus infans; confirmatus sicut vir in adultam ætatem perductus, *plenus* et *perfectus* christianus.

Per Baptismum Christo incorporamur ut membra; per Confirmationem militiæ Christi adscribimur ut athletæ.

Per Baptismum nascimur ad vitam et accipimus potestatem ea peragendi, quæ ad propriam salutem pertinent; per Confirmationem armamur ad pugnam, et ad fidem publice et quasi ex officio propugnandam deputamur.

Per Baptismum conceditur plenitudo sufficientiæ gratiarum et virtutum, ordinata directe ad vitam spiritualem conservandam et fovendam: per Confirmationem conceditur plenitudo abundantiæ gratiarum et virtutum, ordinata directe ad pugnandum contra hostes fidei tam visibiles quam invisibiles.

In Baptismo homo signatur charactere, quo distinguitur ab infidelibus; in Confirmatione, signo militari, quo a spiritualiter infantibus distinguitur. *(Cf. S. Th., q. 72, a. 5 et 7).*

Et quamvis simpliciter baptizatus possit, data occasione, fidem etiam fortiter profiteri coram tyranno, hoc tamen ipse non habet nisi ex superabundanti Dei bonitate, qui nemini deest in necessariis: confirmatus autem hoc facit *quasi ex officio*, et ratione suscepti sacramenti jus habet ad specialia auxilia pugnæ necessaria.

Si vero confirmatos quandoque videmus christiane non vivere, et Christi fidem erubescere, hoc evenit, vel quia jus ad specialia auxilia per peccatum amiserunt, vel quia ex abusu libertatis gratiis collatis resistunt, et dona Spiritus Sancti irrita reddunt.

[1] In *biblioth. Patr.*, T. 6, p. 649; quæ verba etiam Papæ S. Melchiadi tribuuntur, in *epist. ad Ep. Hisp.*

EXPLICIT TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

TRACTATUS UNDECIMUS.

DE SS. EUCHARISTIA.

Conspectus generalis.

- **Pars I.** De SS. Euch., quatenus est Sacramentum.
  - SECTIO I. *De reali Christi præsentia.*
    - CAP. I. Errores.
    - CAP. II. De veritate realis præsentiæ.
    - CAP. III. De Transsubstantiatione.
    - CAP. IV. De modo, quo Christus est in Eucharistia.
      - **A. 1.** Permanentia Christi in Eucharistia.
      - **A. 2.** Præsentia totius Christi sub utraque specie.
      - **A. 3.** Status Christi sub speciebus eucharisticis.
      - **A. 4.** Cultus Eucharistiæ.
    - CAP. V. De speciebus eucharisticis.
      - **A. 1.** Objectiva specierum realitas.
      - **A. 2.** Modus existendi specierum.
    - CAP. VI. De Relatione Eucharistiæ ad rationem.
  - SECTIO II. *De Sacramento Eucharistiæ.*
    - CAP. I. De Existentia Sacramenti Eucharistiæ.
    - CAP. II. Natura Euch.
      - **A. 1.** in facto esse.
      - **A. 2.** in fieri.
        - § 1. Materia.
        - § 2. Forma.
    - CAP. III. De Usu Euch.
      - **A. 1.** Necessitas suscipiendi Eucharistiam.
      - **A. 2.** Indigna Eucharistiæ susceptio.
    - CAP. IV. De Effectibus Eucharistiæ.
- **Pars II.** De SS. Euch., quatenus est Sacrificium.
  - CAP. I. De Existentia Sacrificii Missæ.
  - CAP. II. De Essentia Sacrificii Missæ.
  - CAP. III. De Relatione Missæ.
    - **A. 1.** cum sacrificio Crucis.
    - **A. 2.** cum ultima cœna.
  - CAP. IV. De Celebratione Missæ.
  - CAP. V. De Effectibus Missæ.
    - **A. 1.** De effectibus.
    - **A. 2.** De modo producendi effectus.

INTRODUCTIO [1].

1579. — Natus in spiritualem vitam per Baptismum, et provectus in adultam ætatem per Confirmationem, homo spirituali indiget cibo, ut in accepta vita perstare, et intimius quotidie cum Capite suo Christo, cui per Baptismum insertus est, conjungi valeat: quod ei per Eucharistiam præstatur.

Agendum est igitur de augustissimo Eucharistiæ sacramento, in quo Christus Dominus, memoriam faciens suorum mirabilium, *divitias divini sui erga homines amoris velut effudit*, ut loquitur Trident. *(Sess. XIII, cap. 2)*, et in quo ipse Salvator, verus Deus et verus homo, vere, realiter et substantialiter continetur, ut sit nobis in cibum vitæ et in potum aquæ vivæ salientis in vitam æternam.

Eucharistia est altum et ineffabile mysterium, et, ut ita dicam, mysteriorum compendium, quod « nec humanus valet explicare sensus, *ut ait S. Laurent. Justin.*, neque angelicus intellectus; sed ille novit, qui solus voluit et potuit facere in eo tanta ac talia, ubique omnipotens, ubique gloriosus. » *(De casto connubio, c. 24)*. — Unde canit Ecclesia: *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.* — Et ideo, monente *Alberto Magno:* « in materia ista et in materia de Trinitate, non sunt sufficientia verba quæ exprimant modum divinæ operationis: sed balbutiendo in quantum possumus, excelsa Dei resonamus. » *(4. Sent., D. 11. a. 2, sol.)*

[1] **Auctores consulendi:** *S. Thomas*, P. 3. q. 73 et seq.; 4. Sent., D. 8 et seq.; Opusc. 51 (alias 58), De Sacr. Altaris; Opusc. 52 (alias 59) De Sacr. Euch. ad modum prædicamentorum. — *S. Alph.*, Mor., l. VI, n. 189 et seq.; Cont. hær., sess. XIII et XXII; Hist. hær., Confut. X et Opusc. De Sacrificio Jesu Christi. — *Isambert*, In q. 72 et seq. — *De Lugo*, De Euch. — *Tolet.* In P. 3, q. 72 et seq. — *Bellarm.*, De Sacr. Euch. — *Contenson*, Theol. mentis et cordis, De Euch. — *Gibbon* Speculum Theol., Tr. III, De Euch. — *Maderni*, In P. 3. De Th., De Euch. — *Rosset*, De SS. Euch. mysterio. — *De Augustinis*, De Euch. — *Marc*, Instit., De Euch. — Catech. Rom., P. II, c. 4.

1580. — Definitio. — Eucharistia definitur: *Sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, ad spiritualem animæ refectionem divinitus institutum. (S. Alph., Mor., l. VI, n. 189).*

Dicitur: *Sacramentum*, signum scilicet sensibile gratiam significans et producens. His refertur Eucharistiæ genus proximum. — *Corporis et sanguinis Christi*, ad indicandum in hoc sacramento corpus et sanguinem Christi vere, realiter et substantialiter contineri. His exprimitur Eucharistiæ differentia specifica: in aliis sacramentis adest virtus a Christo derivata; in Eucharistia adest ipse Christus, Deus et homo: alia « sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. » *(Trid., Sess. XIII, cap. 3).* — *Sub speciebus panis et vini*, quibus tum indicatur id, quod est *sacramentum tantum*, seu signum sensibile gratiæ manifestativum; tum innuitur materia Eucharistiæ remota. — *Ad spiritualem animæ refectionem*, quibus effectus Eucharistiæ exhibetur.

1581. — Nomina. — Hujus sacramenti plura sunt nomina: præcipua referemus.

1. Primum et principale nomen est *Eucharistia*, id est, gratiarum actio et bona gratia: *gratiarum actio*, tum quia Christus, gratias Deo Patri agendo, istud sacramentum instituit *(Matth. XXVI)*; tum quia Deo, ad gratias pro acceptis beneficiis referendas, nihil est hoc sacramento acceptius; — *bona gratia*, tum quia hoc sacramentum in digne suscipientibus gratiam speciali modo auget; tum quia Christus, fons totius gratiæ, in eo substantialiter continetur.

2. Ratione actionis, qua conficitur, vocatur *eulogia, benedictio, gratiarum actio, missa, sacrificium, oblatio:* quia Christus gratias agendo et benedicendo, et seipsum Deo Patri offerendo, hoc sacramentum instituit.

3. Ratione materiæ, ex qua conficitur, vocatur *panis, panis cœlestis, panis dominicus, panis Angelorum, panis vitæ æternæ, calix benedictionis, calix salutis perpetuæ.*

4. Ratione temporis institutionis vocatur *cœna dominica, pascha, novi testamenti sacramentum*, quia in ultima cœna, tempore paschatis, Christus hoc sacramentum instituit; et, morti jam proximus, seipsum in hoc sacramento nobis legavit quasi per ultimam voluntatis suæ dispositionem.

5. Ratione loci institutionis, vocatur *mensa Domini, sacramentum altaris.*

6. Ratione rei contentæ, vocatur *corpus Domini, sacramentum corporis et sanguinis Domini, sanctissimum sacramentum, sacramentum sacramentorum, participatio corporis Christi, mysterium fidei.*

7. Ratione suscipientium, vocatur *sacramentum fidelium, synaxis seu collectio, fractio panis.*

8. Ratione effectuum, vocatur *communio, pax, caritas,* quia fideles inter se et cum Deo conjungit; *viaticum,* quia viam præparat ad salutem consequendam; *convivium,* quia animam spiritualiter reficit.

9. Ratione significationis, vocatur *memoriale passionis Domini.*

1582. — Figuræ Eucharistiæ. — In augustissimo Eucharistiæ sacramento, sicut in aliis sacramentis, tria sunt distinguenda, *sacramentum tantum, res tantum res et sacramentum.* — In Eucharistia « *sacramentum tantum* sunt species consecratæ (panis et vini), quæ tantum significant animæ refectionem; *res tantum* est ipsa refectio; *res et sacramentum* est corpus Christi, quod significatur speciebus, et gratiam significat. » *(S. Alph., Mor., VI, n. 189).*

1. Quantum igitur ad id, quod est *sacramentum tantum,* figuræ Eucharistiæ fuerunt *panes primitiarum,* qui in gratiarum actionem offerebantur *(Levit. XXIII, 17); panes propositionis; mutatio aquæ* in vinum in nuptiis Canæ *(Joan. II); multiplicatio panum (Joan. VI);* sed potissima figura fuit *oblatio Melchisedech,* qui panem et vinum obtulit.

2. Quantum ad id, quod est *res et sacramentum,* scilicet quantum ad ipsum Christum passum, qui in hoc sacramento continetur, figuræ fuerunt omnia sacrificia Veteris Legis, præsertim sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum *(Levit. XVI).*

3. Quantum ad id, quod est *res tantum,* figuræ Eucharistiæ fuerunt: *lignum vitæ* in medio paradisi plantatum, cujus fructus immortalitatem conferebat *(Gen. II); panis subcinericius,* in cujus fortitudine Elias ambulavit quadraginta diebus

et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb *(III Reg. XIX)*; præcipua autem figura fuit *manna*, quod in se omnis saporis suavitatem continebat *(Sap. XVI, 20)*, sicut gratia hujus sacramenti, quantum ad omnia, reficit mentem.

4. Quantum ad hæc tria simul, perfectissima Eucharistiæ figura fuit *Agnus paschalis.*

Agnus enim paschalis hoc sacramentum præfigurabat « quantum ad primum, *ait S. Th.*, quia manducabatur cum panibus azymis, secundum illud (Exodi XII, 8): *Edent carnes... et azymos panes;* quantum vero ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quarta decima luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur Agnus; quantum vero ad effectum, quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israel a devastante Angelo, et educti de ægyptiaca servitute; et quantum ad hoc ponitur præcipua figura hujus sacramenti agnus paschalis, quia secundum omnia ipsum repræsentat. » *(Q. 73, a. 6)*.

1583. — Tempus institutionis. — De fide est, ex evangelica narratione, Christum Dominum *in ultima cœna* venerabile Eucharistiæ sacramentum instituisse.

Illud vero tempus fuisse convenientissimum, triplici ratione probatur a S. Thoma *(q. 73, a. 5)*: *Primo* quidem, *ratione continentiæ hujus sacramenti:* continetur enim ipse Christus in Eucharistia sicut in sacramento. Et ideo quando ipse Christus in propria specie a discipulis discessurus erat, in sacramentali specie seipsum eis reliquit, ut coleretur jugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium. — *Secundo*, quia sine fide passionis Christi nunquam potuit esse salus *(Rom. III, 25)*. Et ideo oportuit omni tempore apud homines esse aliquid repræsentativum dominicæ passionis; cujus in Veteri Testamento præcipuum sacramentum erat Agnus paschalis; in Novo Testamento illud sacramentum est SS. Eucharistia. Et ideo conveniens fuit ut imminente passione, celebrato priori sacramento, Christus novum sacramentum institueret. — *Tertio*, quia quæ ab amicis recedentibus ultimo dicuntur, magis memoriæ commendantur, cum tunc magis inflammetur affectus; et ideo, ut in majori veneratione haberetur, Dominus in ultimo discessu hoc sacramentum instituit.

1584. — Causæ institutionis. — Institutionis Eucharistiæ plures numerantur rationes atque utilitates, uti ex dicendis de effectibus magis patebit. *(N. 1674 et seq.)*

Primaria causa est manifestatio caritatis Dei erga homines; quocirca Eucharistia *sacramentum amoris* appellari consuevit: signa enim divini amoris erga homines in hoc sacramento maxime relucent. Nam amantium est bona sua diffundere; Christus autem se et sua omnia abunde communicat in hoc sacramento, in quo divitias sui erga homines amoris veluti effudit.

« Amantium præterea est appetere cum re amata intime copulari: hinc desiderium, et quandoque languor, dum abest; hinc gaudium in ejus præsentia; hinc, dum hæc impeditur, suspiria, et quasi animorum transfusio. Sed in Eucharistia impetus amoris hæc obstacula fregit, pervadens, usque ad intima unionis: nam Christus diligens, os dilecti ingreditur, pectus pervadit, et ad cor ipsum usque illabitur. In aliis itaque divini amoris effectibus separatio, et distantia quædam contingit: sed in Eucharistia adest intima præsentia, et animorum non tantum, sed et corporum copulatio. Christus quippe nascens se nobis dedit, sed in socium: patiens se nobis dedit, sed in pretium: docens se nobis dedit, sed in magistrum: sanctificans se nobis dat, sed per gratiam creatam, donum diffusum in cordibus nostris: regnans se nobis dat, sed per lumen gloriæ, quo ad tanti objecti notitiam pervenitur. Verum in Eucharistia semetipsum dat, ipse dans, et ipse donum. Quocirca divinus amor summam, quam potuit, videtur hoc sacramento invenisse intimam conjunctionem. » *(Salmant., Tr. XXIII, disp. I, c. IV, § 1).*

1585. — Divisio Tractatus. — Eucharistia duplici sub ratione considerari potest, nimirum: vel quatenus est *Sacramentum*, signum scilicet sensibile a Christo Domino ad hominum sanctificationem institutum; vel quatenus est *Sacrificium*, quo, modo specialissimo, religionis officia Deo persolvuntur. Idcirco:

In Parte I. Eucharistia considerabitur quatenus est sacramentum;

In Parte II. quatenus est Sacrificium.

PARS I.

DE SS. EUCHARISTIA QUATENUS EST NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM.

Ex Eucharistiæ definitione, *n. 1580* posita, jam patet, totam hujus sacramenti excellentiam a reali præsentia Christi pendere. Hæc equidem est quasi basis et fundamentum omnium dicendorum. Qua de causa, ad clariorem simul et profundiorem hujus sacramenti intelligentiam, præmittenda est doctrina de reali Christi præsentia sub speciebus eucharisticis. Igitur:

In SECTIONE I. de reali Christi præsentia,

In SECTIONE II. de ipso Eucharistiæ sacramento sermo erit.

SECTIO I.

DE REALI CHRISTI PRÆSENTIA IN EUCHARISTIA.

In hac prima sectione sex ponuntur capita. In I. agetur de erroribus; in II. de veritate realis præsentiæ Christi in Eucharistia; in III. de modo, quo Christus in Eucharistia fit præsens; in IV. de modo, quo Christus in Eucharistia est præsens; in V. de speciebus eucharisticis; in VI. de relatione Eucharistiæ ad rationem humanam.

CAPUT I.

ERRORES [1].

1586. — Plures contra realem Christi præsentiam in S. Eucharistia prodierunt errores. Omissis antiquiorum erroribus, qui Eucharistiam indirecte tantum negaverunt, eo quod inficiati sunt veram

[1] Cf. Tourn., q. II, a. 1.

carnem a Christo assumptam, eos solos referemus, qui directe realem Christi præsentiam negaverunt.

Primus occurrit *Scotus Erigena,* sæculo IX; librum scripsit *de corpore et sanguine Domini* (hodie deperditum), in quo, sicut testatur *Hincmarus,* docuit: «Sacramentum altaris non esse verum corpus et verum sanguinem Domini; sed tantum memoriam veri corporis et sanguinis.» *(De Prædest., c. 31).*

Sæculo XI, *Berengarius* Turonensis, et Archidiaconus Ecclesiæ Andegavensis, errores Erigenæ suos fecit et latius vulgavit, ita ut communiter tanquam parens sacramentariorum habeatur. In pluribus Conciliis condemnatus, pluries errores retractavit, in quos deinceps reincidit; demum an. 1079 serio eis valedicens, pœnitentiam egit, et an. 1088 in communione Ecclesiæ obdormivit [1].

Sæculo XII, *Petrus de Bruis,* et ejus discipulus *Henricus,* a quo eorum fautores *Henriciani* dicti sunt, veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia negaverunt, imo sacramentum istud nihil esse, nec Deo offerri debere, contenderunt. — In eumdem errorem lapsi sunt *Albigenses*, sæc. XIII [2].

Sæculo XIV, *Wicleff,* viam sternens novatoribus sæculi XVI, docuit, in Eucharistia post consecrationem remanere substantiam panis et vini, atque corpus Christi ibi non realiter, sed tantum figuraliter adesse [3].

Sæculo XVI, exorti sunt protestantes, qui modo specialissimo circa Eucharistiam erraverunt.

Lutherus realem Christi præsentiam nunquam absolute negavit; prius admisit permanentem Christi præsentiam in Eucharistia; deinde vero, mutata sententia, docuit Christum adesse tantum *in usu,* seu dum sumitur hostia. Erravit etiam circa modum, quo Christus in Eucharistia præsens sistitur. Transsubstantiationem rejecit, et *consubstantiationem,* id est, coexistentiam substantiæ corporis Christi cum substantia panis adstruxit, docens, corpus Christi esse in pane, sub pane, cum pane, sicut ignis in ferro candente.

Osiander præsentiam realem admisit, sed tum transsubstantiationem tum consubstantiationem rejecit, eisque *impanationem,* unionem scilicet quamdam hypostaticam inter corpus Christi et substantiam panis, substituit.

Chemnitzius cum Luthero consentit quoad præsentiam Christi *in usu*, sed præsentiam permanentem negat.

Carlostad, Zwinglius, Oecolampadius, etc., solam admittunt Christi *præsentiam figurativam.* Docent, verba: *Hoc est corpus meum,* sic esse intelligenda: *Hoc significat corpus meum.*

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, c. X, n. 3. — [2] S. Alph., *loc. cit.*, n. 6, 7, 19. — [3] Cf. Denz., n. 477-479.

Calvinus præsentiam tam realem quam figurativam rejicit; et docet, Christum in Eucharistia adesse, non per suam substantiam, sed per suam virtutem, quæ panem eucharisticum devote manducantibus communicatur.

Hodierni protestantes, etiam lutherani, opinioni Zwinglii communiter adhærent, solamque præsentiam figurativam admittunt.

Anglicani, exceptis Puseistis, præsentiam realem pariter rejiciunt; *Puseistæ* eam admittunt, sicut et transsubstantiationem.

Qui realem Christi præsentiam in Eucharistia rejiciunt, *sacramentarii* vocantur, quo nomine Zwingliani et Calvinistæ a Luthero notati sunt, eo quod in Eucharistia nihil aliud nisi nudum signum, seu nudum sacramentum, agnoscerent.

Demum, omnes, qui realem Christi præsentiam negant, etiam adorationem S. Eucharistiæ exhibitam, tanquam horrendam idololatriam rejiciunt.

Ex dictis videre est, omnes errores ad quatuor puncta reduci; negatur: *a)* ipsa realis Christi præsentia; *b)* transsubstantiatio; *c)* permanentia Christi in Eucharistia; *d)* adoratio SS. Eucharistiæ exhibenda.

CAPUT II.

DE VERITATE REALIS CHRISTI PRÆSENTIÆ IN EUCHARISTIA [1].

1587. Prop. *Christus Dominus vere, realiter, et substantialiter præsens est in SS. Eucharistiæ sacramento.*

De fide, ex Trident., Sess. XIII, can. 1: « Si quis negaverit, in SS. Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; A. S. »

NB. *a)* Dicitur in prop., Christum esse præsentem *vere*, ut excludatur præsentia *figurata*: figura enim veritati opponitur; — *realiter*, ut excludatur præsentia *imaginaria*, quæ per solam fidem percipitur, sicut quidam sacramentarii somniarunt; — *substantialiter*, ut excludatur error Calvini, secundum quem in Eucharistia adest virtus Christi, non autem ipse Christus.

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Conf. X, art. 1, et *Cont. hær.*, sess. XIII, c. 1; Gibbon, Disp. XIV; Tournely.

b) Cum hæc propositio una sit ex principalioribus totius doctrinæ christianæ, eaque a recentioribus hæreticis et rationalistis fere unanimiter rejiciatur, in ea probanda paulo diutius immorandum est. — Argumenta afferentur ex Scriptura, ex traditione, et ex rationibus convenientiæ.

I. Probatur ex scriptura sacra.

Ad realem Christi præsentiam in S. Eucharistia probandam, Scriptura tria argumentorum genera nobis præbet: *primum* desumitur ex verbis, quibus Christus Eucharistiam promisit; *alterum*, ex verbis, quibus Christus hoc sacramentum instituit; *tertium* ex Apostolorum testimoniis.

1588. — I. Probatur realis Christi præsentia ex verbis promissionis [1]. — Legimus, (Joan. VI, 52 et seq.): *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo... Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum... Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat?... Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt... Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro; et jam non cum illo ambulabant.*

Christum Dominum his in verbis de S. Eucharistia locutum esse, communis est sententia S. Patrum, Conciliorum,

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Confut. X, n. 6 (T. 5, p. 255); *Cont. hær.*, sess. XIII, n. 18 (T. 6, p. 319).

speciatim Ephesini, Nicæni II, *act. 2*, Tridentini, *Sess. XIII, cap. 1, et Sess. XXI, cap. 1;* theologorum, necnon et plurimorum hæreticorum, ut Calvini, *Instit., l. IV, cap. 17, n. 5 et seq.*

Atqui, his in verbis Christus promisit se daturum tum corpus suum reale et substantiale ad manducandum, manducatione reali, ore corporis; tum sanguinem suum realem et substantialem ad bibendum ore corporis. Porro, quod Christus promisit, hoc opere complevit. Christus igitur vere, realiter, et substantialiter præsens est in S. Eucharistia.

Probatur minor: 1. Non agitur in hac promissione *de manducatione Christi per fidem*, seu de fide in Christum incarnatum, sicuti contendunt hæretici. Dicit enim Dominus: *Panis quem ego dabo, caro mea est.* De tempore futuro loquitur Christus, quod facere non potuisset, si per *panem* seipsum, quatenus per fidem percipitur, designasset. Manducatio enim Christi per fidem, seu fides in Christum, tunc temporis non erat futura; sed jam prius exstitit, cum Patres in Veteri Testamento Christum per fidem jam manducare potuerunt et manducaverunt.

2. Nec agitur de pane eucharistico, tanquam *signo aut figura corporis Christi.* « Non dicit autem, *inquit S. Th., Carnem meam significat*, sed *Caro mea est:* quod hoc quod sumitur, vere est corpus Christi. » *(In Joan. VI, l. 6).* — Et *S. Hilarius:* « Ipse ait: *Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus.* De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. » *(De Trinit., l. VIII).*

3. Sed agitur de *reali et orali Christi manducatione.* — *a)* Christus Dominus cibum et potum semper distinguit; quæ distinctio, si de sola spirituali sua manducatione per fidem ageret, utique supervacua foret. In spirituali enim manducatione per fidem, quæ tota in anima peragitur, nulla cibum inter et potum intercedit distinctio.

b) Judæi, qui Christum loquentem audierunt, verba ejus de reali et orali ipsius corporis manducatione intellexerunt, eo modo, quo carnem manducamus et vinum bibimus: *Quomodo,* inquiunt, *potest hic nobis carnem suam dare ad*

manducandum? Jamvero si Christus sensu tantum figurativo loqui intendisset, et solam spiritualem sui manducationem per fidem, non autem realem sui corporis manducationem exprimere voluisset, sermonis ambiguitatem removisset, Judæorumque errorem retudisset. Contra, sensum litteralem iterum inculcavit, Judæorumque sensum confirmavit, respondit enim: *Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, etc.... Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus, etc.* Quæ verba de reali et orali Christi manducatione iterum intellexerunt tum Judæi, tum ipsi Salvatoris discipuli: *Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?... Dixit eis* (Jesus): *Hoc vos scandalizat?... Et ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro.* Si autem de sola fide, non autem de sui corporis reali manducatione Christus locutus fuisset, nec discipuli scandalizati fuissent, nec retro abiissent.

Ex verbis igitur promissionis invicte probatur, in S. Eucharistia adesse corpus Christi vere, realiter et substantialiter.

1589. — II. Probatur realis Christi præsentia ex verbis institutionis. — Verba institutionis legimus (Matth. XXVI, 26-28): *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite; hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* — Similia leguntur apud Marc. XIV, 22-25; Luc. XXII, 14-20; — et S. Paulus, I Cor. XI, 23-25, hæc habet: *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem,* etc.

Jamvero, hæc verba, fatentibus ipsis sacramentariis, sensu obvio et litterali, realem Christi præsentiam in Eucharistia aperte manifestant. Atqui, non in alio quam obvio et litterali sensu intelligi possunt. Enimvero:

1. *Nulla est ratio ipsa in sensu metaphorico explicandi.* — Communis regula interpretationis scripturisticæ docet, Scripturam sensu obvio et litterali esse intelligendam, quoties sensus litteralis nec rectæ rationi adversatur, nec traditioni contradicit, nec aliam veritatem in Scripturis contentam impugnat. Atqui sensus obvius et litteralis verborum institutionis:

a) Non adversatur rectæ rationi, nullam enim involvit *impossibilitatem ex parte Dei*, cum Deo non desit potestas convertendi panem in corpus Christi; et *nullam repugnantiam ex parte ipsius mysterii*, cum adversarii nullam unquam in medium adferre potuerint difficultatem, cui facilis non pateat responsio.

b) Non contradicit traditioni, imo, ut infra dicetur, cum ea perfecte consonat.

c) Non impugnat aliam veritatem in Scripturis contentam; nullam talem oppositionem sacramentarii unquam manifestare potuerunt; e contra, cum aliis verbis evangelicis apprime concordat, præsertim cum verbis promissionis, quæ non alium quam sensum litteralem patiuntur.

2. *Plura sunt, quæ sensum litteralem expostulant*, videlicet:

a) Indoles verborum: voces *panis* et *vinum*, nec ex natura sua nec ex usu loquendi, corpus et sanguinem humanum figurant. Si igitur Christus figurative loqui voluisset, hoc indicare necessario debuisset; quod tamen non fecit.

b) Modus loquendi emphaticus: juxta vim græcæ versionis, Christus dixit: *Hic enim est sanguis ille meus, ille novi fœderis, ille qui pro multis effundetur.* Atqui, repetitio vocis *ille*, omnem excludit metaphoram, et loquelam trahit ad rem litteraliter significandam.

c) Verborum contextus: dixit Christus: *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; — hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur.* Quibus patet, datum esse discipulis tum illud idem corpus, quod traditum est in cruce, tum eumdem sanguinem, qui effusus est. Sed verum et substantiale Christi corpus traditum est in cruce; verusque ejus effusus

est sanguis; ergo et corpus verum et sanguis verus data sunt discipulis in ultima cœna.

d) Varia adjuncta: Christus in ultima cœna novum instituit testamentum: *Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti;* et manifeste alludit ad institutionem veteris fœderis, (Exod. XXIV, 8): *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.* Sicut igitur Vetus Testamentum in vero sanguine dedicatum est, ita et Novum Testamentum in vero Christi sanguine dedicatum est.

Christus in ultima cœna novum instituit sacramentum: *hoc facite in meam commemorationem.* (Cf. n. 1646). Sed in sacramentorum institutione non metaphorice, sed clare et distincte omnia sunt indicanda. Cum igitur Christus non indicaverit se metaphorice loqui, ejus verba non possunt intelligi nisi sensu obvio et litterali, prout sonant.

Demum, si Christus his in verbis sensu metaphorico loqui intendisset, quin illud manifestasset, totam decepisset Ecclesiam, quæ ejus verba sensu litterali semper intellexit, ut infra dicetur. Et sic Christus directe auctor fuisset erroris ineluctabilis; quod maximam Christo inureret ignominiam.

Quibus omnibus manifestum est, verba institutionis in sensu litterali et proprio esse intelligenda; ac proinde corpus Christi vere, realiter et substantialiter esse præsens in Eucharistia.

1590. — III. Probatur realis Christi præsentia ex verbis Apostoli.

Legimus (I Cor. XI, 27-29): *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit: non dijudicans corpus Domini.*

Jamvero, si Christus in Eucharistia figurative tantum, et non realiter et substantialiter præsens adesset, indigne communicans non magis posset dici reus corporis et sanguinis Domini, quam qui alias Christi imagines inhonorat; et qui

indigne manducat panem hunc et de calice bibit, non posset dici sibi judicium manducare et bibere, ex eo quod corpus Domini a pane communi non dijudicet. *(Cf. etiam I Cor. X, 16-21).*

II. Probatur ex traditione.

Argumenta ex Traditione hausta ad realem Christi præsentiam probandam, ad tria genera reducuntur: ad auctoritates scilicet Conciliorum, ad effata Patrum, et ad liturgias.

1591. — I. **Probatur realis Christi præsentia ex Conciliis.** Præter Concil. Tridentinum, *Sess. XIII,* et Florentinum, *decr. pro Arm.*, plura alia citantur Concilia, quæ realem Christi præsentiam in Eucharistia adstruunt.

Nicænum I. (an. 325), can. 14, ait: « Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi (diaconi) qui offerendi sacrificii potestatem non habent, his qui offerunt, corpus Christi porrigant. »

Alexandrinum, (an. 339), loquens de calice eucharistico, ait: « Solum enim vestrum est propinare sanguinem Christi, et præterea nullius. »

Ephesinum, (an. 431), epistolam S. Cyrilli ad Nestorium approbavit, in qua dicitur: « Ad mysticas benedictiones accedimus, eaque ratione sanctificamur, utpote sacræ carnis et pretiosi sanguinis Christi participes effecti... Neque enim illam ut carnem communem suscipimus, sed tanquam vere vivificam, ipsiusque Verbi propriam. »

Nicænum II, (an. 787), act. 6, recitatis verbis institutionis, addit: « Non autem dixit: Sumite, edite imaginem corporis mei... Legas quousque voles, nunquam invenies, neque Dominum, neque Apostolos, neque patres incruentum illud sacrificium, quod a sacerdote offertur, imaginem dixisse, verum ipsum corpus, et ipsum sanguinem. »

Sæculo XI, statim ac Berengarius suum errorem spargere incepit, in novem Conciliis condemnatus est, et an. 1079, in Concilio Romano compulsus est formulæ fidei subscribere, in qua dicit: « Ego Berengarius corde credo et ore confiteor, panem et vinum... substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, etc. » *(Denz., n. 298).*

Eadem demum veritas *in Lateran. IV,* can, 1, *in Viennensi,* et *Constantiensi,* proponitur.

1592. — II. **Probatur realis Christi præsentia testimonio Patrum.** — Concedunt sacramentarii, post sæculum V Patres de reali

Christi præsentia frequenter sermonem fecisse; ast negant eorumdem testimonia haberi prioribus sæculis. Sat erit igitur quædam hujusmodi testimonia citasse.

Sæculo II, scribit *S. Ignatius:* « Ab Eucharistia et oratione abstinent (Phantasiastæ), eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est. » *(Ad Smyrn., n. 7).* — *S. Justinus:* « Quemadmodum Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit pro nostra salute, sic etiam illam, in qua gratiæ actæ sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostræ per mutationem aluntur, incarnati illius Jesus et carnem et sanguinem esse edocti sumus. » *(I Apolog., n. 66).*

Sæculo III, dicit *Tertullianus:* « Acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, *hoc est corpus meum* dicendo. » *(Cont. Marc., l. IV, c. 20).* — *S. Cyprianus,* loquens de indigne communicantibus, ait: « Vis infertur corpori Domini et sanguini ejus. » *(Ep. ad Cornel., 54, n. 2).*

Sæculo IV, *S. Cyrillus Hier.:* « Sub specie panis, *inquit,* datur tibi corpus, et sub specie vini, datur tibi sanguis. » *(Catech. XXII Mystag., n. 4).* — Et: « Cum igitur ipse pronuntiaverit, et dixerit de pane: *Hoc meum est corpus,* quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse asseveraverit et dixerit: *hic meus est sanguis,* quis unquam dubitaverit, aiens non esse ejus sanguinem? » *(Catech. IV myst., n. 1).*

Sæculo V, *ait S. Joan. Chrysost.:* « Hoc quod in calice est, illud ipsum est, quod ex latere fluxit, et illius sumus participes. » *(Hom. 24, in I Cor., n. 1).* — *S. Ambrosius:* « Hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine est.... Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo carnis illius sacramentum est. » *(Lib. de myster., c. 9, n. 53).*

1593. — III. **Probatur realis Christi præsentia ex liturgiis** [1]. Ad realem Christi præsentiam in S. Eucharistia probandam, liturgiæ invictum præbent argumentum: testes enim sunt non unius alteriusve doctoris, sed totius illius Ecclesiæ, in qua quælibet est in usu.

In liturgia Romana, sacerdos orat: « ut nobis corpus et sanguis fiat Domini nostri Jesu Christi. » — *In missali gothico* seu gallicano perantiquo, post orationem dominicam, prosequitur sacerdos: « Corpus tuum pro nobis crucifixum edimus, et sanguinem sanctum tuum pro nobis effusum bibimus. » — *In canone missæ ambrosianæ,* in cœna Domini: « ut talem tibi hostiam offerre mereremur, corpus scilicet et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. » — *In liturgia, quæ S. Joanni Chrysost. adscribitur,* et in usu est apud Græcos, sacerdos orat: « Fac quidem panem hunc pretiosum corpus Christi tui... Quod autem est

[1] Cf. De Augustinis, *De Euch.,* thes. 3.

in hoc calice fac pretiosum sanguinem Christi tui.» — Similia leguntur in omnibus aliis liturgiis.

Accedit ritus ministrandi Eucharistiam fidelibus. — Pluribus sæculis usus viguit in Ecclesia, ut sacerdos porrigendo hostiam diceret: *Corpus Christi*, et fidelis responderet: *Amen*, id est, *verum est, ita credo.* (De hoc cf. S. Cyrillus Hier., Catech. 23, n. 21; et catech. 5). — Qui ritus apud nonnullas Ecclesias Orientales adhuc perseverat. Apud Copticam, sacerdos porrigens hostiam, dicit: «Corpus Emmanuelis Dei nostri hoc est in rei veritate;» qui vero S. Eucharistiam recipit, respondet: «Amen» [1].

1594. — **NB.** His argumentis addi possunt rationes petitæ: *a) ex præscriptione:* quando enim ortus est Berengarius, tota Ecclesia erat in pacifica possessione illius doctrinæ, et totius Ecclesiæ antistites illico strenue contra novatoris audaciam reclamarunt; — *b) ex consensu Ecclesiarum dissidentium* in Oriente; licet enim quædam ex eis jam a sæculo quinto ab unitate defecerint, omnes tamen fidem in realem Christi præsentiam in S. Eucharistia conservant, sicuti ex ipsarum libris liturgicis apprime constat; — *c) ex miraculis*, quæ in confirmationem illius veritatis facta fuisse leguntur [2].

III. Probatur ex ratione.

1595. — Realis Christi præsentia sub speciebus eucharisticis nulla ratione naturali probari potest. «Verum corpus Christi et sanguinem esse in hoc sacramento, *inquit S. Th.*, neque sensu neque intellectu deprehendi potest, sed sola fide, quæ auctoritati divinæ innititur.» *(Q. 75, a. 1).* — Ratio tamen, percepta per fidem hujus mysterii veritate, illius institutionis multas et miras convenientias invenire potest [3]. — Tres assignat Angelicus.

Prima desumitur ex perfectione Novæ Legis. — «Sacrificia Veteris Legis, *inquit*, illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura... Et ideo oportuit ut aliquid plus haberet sacrificium Novæ Legis a Christo institutum, ut scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in signi-

[1] Cf. Denz., *Ritus Orient.*, T. I, p. 407 et seq. — [2] Cf. De Augustinis, *loc. cit.* — [3] Cf. Rosset, *De Euch.*, p. 51; Claromont, *De Euch.*, P. I, c. 1. a. 3.

ficatione vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo hoc sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet, est perfectivum omnium aliorum sacramentorum, in quibus virtus Christi participatur. » *(Q. 75, a. 1).*

Secunda desumitur ex caritate Christi erga homines. — « Hoc competit caritati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostræ naturæ assumpsit. Et quia maxime proprium amicitiæ est convivere amicis, sui præsentiam nobis repromittit in præmium... Interim tamen nec sua præsentia corporali nos in hac peregrinatione destituit; sed per veritatem corporis et sanguinis sui nos sibi conjungit in hoc sacramento... Unde hoc sacramentum est maximæ caritatis signum, et nostræ spei sublevamentum ex tam familiari conjunctione Christi ad nos. » *(Loc. cit.).*

Tertia desumitur ex perfectione fidei. — Fides « sicut est de divinitate Christi, ita est de ejus humanitate... Et quia fides est invisibilium, sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo. » *(Loc. cit.).*

Solvuntur objectiones.

Protestantes multa ex Scripturis et Traditione contra prædictam thesim objiciunt argumenta. — Aliqua tantum referuntur.

1596. — Objicitur I. Dixit Christus (Joan. VI, 55, 59): *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam... Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* — Agitur his in verbis de cibo jam dato. Sed quando Christus hæc dixit, Eucharistia nondum erat instituta. Ergo in his verbis sermo est de sola spirituali manducatione Christi per fidem, quæ jam tunc potuit fieri. — Præterea, multi panem eucharisticum ore manducant, qui tamen in æternum non vivent. Ergo non de orali manducatione, sed de sola manducatione per fidem, loqui potuit Christus.

Resp. I. *Nego,* agi his in verbis de cibo jam dato. Ex toto enim contextu manifestum est, Christum loqui de cibo dando, sed nondum dato: *Panis quem ego dabo, caro mea est...* Loquitur autem Christus de tempore præsenti, ex communi usu loquendi hominum, et quo clarius illius cibi necessitatem et proprietates proponeret.

II. Christus hunc panem manducantibus vitam æternam promisit, *distinguo:* promisit omnibus *indiscriminatim,* quocumque modo

manducent, *nego*; promisit *digne* manducantibus, *concedo*. — Sed multi, qui hunc panem ore manducant, non vivunt in æternum, quia indigne sumunt, et sic judicium sibi manducant et bibunt, *concedo*. Qua de causa monet Apostolus (I Cor. XI, 28): *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.*

1597. — Instant: Christus ipse aperte demonstrat, verba sua non de reali, sed de spirituali manducatione per fidem esse intelligenda. Subjungit enim (Joan. VI, 64): *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

Resp. *Neg. antec.* — Duplex est horum verborum interpretatio, quarum neutra adversariis favet. Alii, cum *S. Joan. Chrysost., (In Joan., hom. 46)*: verbulum *caro* non referunt ad carnem Christi, sed ad homines carnales, qui secundum carnem judicantes, spiritualia non intelligunt, de quibus ait Apostolus (I Cor. II, 14): *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Ac proinde sensus verborum Christi est: Caro, id est, spiritus carnalis, vel sapientia mundana, intelligere nequit verba quæ locutus sum, quia spiritualia sunt et ordinis superioris; sed Dei spiritus, seu gratia est, quæ dat intellectum.

Alii, *cum S. August.*, ea de carne Christi interpretantur. Capharnaitæ, *inquiunt*, verba Christi partim bene, partim male intellexerant. *Bene* quidem, in eo quod veram Christi carnem manducandam esse intellexerant; et in hoc Christus eos confirmat. — *Male* vero, quia carnem Christi intellexerant manducandam in specie propria, sicut manducantur carnes animalium; et hunc errorem Christus corrigit ostendens solam carnem nihil prodesse, si corporaliter tantum manducetur. Caro « non prodest quidquam, *inquit S. August.*, sed quomodo illi intellexerunt? carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Caro non prodest quidquam, sed sola caro; accedat spiritus ad carnem, et prodest plurimum. » *(In Joan., Tr. 27, 2, 5; cf. S. Alph., Conf. X, n. 15).*

1598. — Obj. II. Verba: *Hoc est corpus meum,* sensu metaphorico necessariò accipi debent. Etenim: 1. accipienda sunt sicut alia, quæ de se dixit Christus, v. gr.: *Ego sum vitis vera; — Ego sum ostium;* quæ metaphorice tantum accipi possunt. — 2. Verbulum *hoc,* cum sit de præsenti, nihil aliud poterit indicare, nisi quod tunc Christus in manibus tenuit. Sed tunc nihil in manibus habuit nisi solum panem; ergo verba: *hoc est corpus meum,* necessario significare debent: *Hic panis est,* id est, *significat corpus meum.*

Resp. Quoad 1^um^, *nego paritatem.* — Aliæ locutiones sine absurditate in sensu litterali et obvio intelligi nequeunt; e contra, locutio: *hoc est corpus meum,* nulli obnoxia est absurditati, ut supra dictum est. *(N. 1589).*

Quoad 2um, *transeat* major. — *Dist. min.:* Tunc Christus nihil in manibus tenuit nisi solum panem: in initio locutionis, *conc.;* in fine locutionis, *nego.* Verbulum *hoc* natura sua rem seu substantiam sub accidentibus præsentem demonstrat indeterminate; unde et in hac prædicta locutione significat indeterminate: *Id quod manibus teneo,* vel *contentum sub his speciebus,* quod pluribus entibus applicari potest. Proinde, cum verba *hoc est corpus meum* sint practica, et efficiant quod significant, verbulum *hoc* refertur ad substantiam quæ his speciebus subest, quando significatio completur. Porro, completa significatione, non alia substantia præter corpus Christi est sub speciebus. Quocirca sensus completus locutionis est: *Contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, est corpus Christi. (Cf. S. Th., q. 78, a. 5).*

1599. — Obj. III. Dixit Christus (Joan. XII, 8): *Pauperes enim semper habetis vobiscum; me autem non semper habetis.* Sed, si Christus realiter esset in Eucharistia, hæc verba forent falsa.

Resp. Dixit Christus: *me non semper habetis,* præsentia corporali et physica, in specie propria, *concedo;* præsentia sacramentali, *nego.* — Imo, promisit Christus se cum discipulis usque ad finem mundi esse remansurum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* (Matth. XXVIII, 20).

1600. — Obj. IV. In Eucharistia, etiam post consecrationem, hostia vocatur *panis,* et vinum vocatur *genimen vitis.* Ergo substantia panis et vini remanent; et Christi corpus et sanguinem unice significant.

Resp. 1. Eucharistia vocatur panis, quia substantia panis remanet, *nego;* ratione specierum panis, quæ adsunt, *conc.* — Vocatur etiam *panis,* sed panis cœlestis, panis angelicus, ratione ipsius corporis Christi, quod in Eucharistia fit spiritualis cibus animæ, sicut panis est cibus corporis. Vocatur demum *panis* propter consuetudinem sacrarum Litterarum, quæ res ita appellant cujusmodi esse videntur. *(Cf. Catech. Rom., n. 40).*

2. Vinum in Eucharistia vocatur *genimen vitis,* ratione substantiæ vini, *nego;* ratione specierum, *concedo.* — Præterea, ut constat ex S. Luca, XXII, Christus hæc verba dixit non de calice eucharistico, sed de alio calice, in quo bibit cum discipulis suis ad celebrandum pascha legale; et postea tantum instituit sacramentum Eucharistiæ. *(Cf. S. Alph., Confut. X, n. 20).*

1601. — Obj. V. S. Patres Eucharistiam vocant *signum, figuram.* In verba (Joan, VI, 54): *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis,* scribit *S. August.:* « Figura est, præcipiens passioni dominicæ esse communicandum... et memoria recondendum. » *(De doct. christ., l. III, c. 16).*

Resp. S. Patres Eucharistiam vocant figuram, *dist.*, figuram nudam, *nego*; figuram simul et realitatem, *conc.* — S. Eucharistia figura simul est et realitas. *Realitas*, quia ipsa in se vere, realiter, et substantialiter Christum continet; *figura*, tum ratione memorialis, quia instituta est ad revocandam memoriam passionis Christi; tum ratione specierum, quæ corpus Christi significant. — Nihil igitur prohibet quominus Eucharistia signum vel figura nominetur; ast non in sensu hæreticorum, qui realitatem excludunt.

—

CAPUT III.

DE MODO QUO CHRISTUS FIT PRÆSENS IN EUCHARISTIA, SEU, DE TRANSSUBSTANTIATIONE [1].

Demonstrata reali Christi præsentia in S. Eucharistia, inquirendus est modus, quo Christus fit præsens in Eucharistia. — Modum illum Scholastici *transsubstantiationem* vocare consueverunt, quam denominationem sancivit primo Lateran. IV, an. 1215, deinde Tridentinum.

1602. — Definitio. — *Transsubstantiatio* a Conc. Trid., Sess. XIII, cap. 4, et can. 2, definitur: *Mirabilis et singularis conversio totius substantiæ panis in corpus Christi, et totius substantiæ vini in ejus sanguinem, manentibus duntaxat panis vinique speciebus.*

« Dicitur: 1. *Mirabilis, ait S. Alph.*, ad denotandum istam conversionem esse mysterium absconditum, ad cujus intelligentiam pervenire non possumus. — 2. *Singularis*, quia in natura nullum aliud exemplum similis conversionis existit. — 3. *Conversio*, quia non agitur de simplici unione ad corpus Christi, qualis fuit unio hypostatica, in qua duæ naturæ, divina et humana, integræ et distinctæ remanentes, unitæ sunt in eadem Christi persona; quod non accidit in Eucharistia, in qua substantia panis et vini corpori et sanguini Christi non uniuntur, sed in ejus corpus et sanguinem convertuntur. — 4. *Totius substantiæ*, ad secernendam prædictam conversionem ab omni alia conversione. » *(Hist. hær., Conf. X, n. 23).*

[1] Cf. S. Th., q. 75; S. Alph., *Hist. hær.*, Conf. X, a. 2; et *Cont. hær.*, sess. XIII, c. 4.

1603. — Natura conversionis in transsubstantiatione. — Conversio in genere definitur: *Mutatio unius rei in aliam.* — Alia est accidentalis, alia substantialis. — *Accidentalis* est transitus alicujus subjecti ab una forma accidentali in aliam, eadem remanente substantia; v. gr., quando corpus ex frigido fit calidum, vel ex albo nigrum. — *Substantialis* est transitus unius substantiæ in aliam, sicut mutatio cibi in carnem manducantis.

Conversio substantialis alia est partialis, alia totalis.

Partialis est, quando pars substantiæ transit in aliam. Substantia corporea quælibet duobus constat, *materia et forma.* In conversione substantiali naturali, quæ etiam generatio dicitur, materia prima semper remanet, et sola forma substantialis transit in aliam; qua de causa omnis conversio substantialis in naturalibus vocatur *transformatio.*

Totalis est, quando tota rei substantia, secundum materiam scilicet et formam, in aliam transit substantiam, ita ut de priori absolute nihil remaneat, sed *esse* totaliter amittat. Hæc vocatur *transsubstantiatio*, quasi diceres: *transitus totius substantiæ.* Hac conversione, virtute divina, panis transit in corpus Christi, et vinum in ejus sanguinem.

1604. — Conditiones requisitæ ad transsubstantiationem[1]. — Ad transsubstantiationem *quatuor* requiruntur conditiones.

Requiritur *primo*, ut conversio fiat inter duos terminos positivos, quorum unus sit terminus *a quo*, et alter terminus *ad quem:* conversio enim est transitus unius in aliud. Si terminus *a quo* non esset quid positivum, foret creatio; si vero terminus *ad quem* non esset quid positivum, foret annihilatio.

Requiritur *secundo*, ut terminus *a quo* desinat, et terminus *ad quem* aliquo modo incipiat esse de novo, ita ut hi duo termini non possint coexistere. Cum enim conversio sit transitus unius in aliud, quod transit, debet desinere; et id, in quod transit, debet aliquo modo novum esse accipere.

[1] Cf. Maderni, *De Euch.*, q. III, a. 6; Gibbon, disp. XVI, dub. 1; Bellarm., l. III, c. 18.

Requiritur *tertio*, ut intercedat connexio inter desitionem termini *a quo* et successionem termini *ad quem;* ita ut desitio unius non se habeat solum concomitanter cum positione alterius, sed ut unus desinat vi positionis alterius. Si non intercederet hæc connexio, non foret conversio, sed substitutio; sic, v. gr., si Deus lapidem annihilaret, et in eodem loco alium crearet lapidem, non adesset conversio.

Requiritur *quarto*, ut detur quoddam tertium utrique termino commune, sub quo terminus *ad quem* succedat termino *a quo:* conversio enim est transitus unius rei in aliam, cujus vices supplet; sed ejus vicem supplere non potest, nisi in ordine ad aliquid commune, a quo recedit terminus a quo, et cui accedit terminus ad quem[1]. — Quam ultimam conditionem plures theologi non necessariam putant.

1605. — Prop. *Christus fit præsens in Eucharistia per transsubstantiationem.*

De fide, ex Trid., Sess. XIII, can. 2: « Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat; A. S. »

Prop. statuitur tum contra Lutherum, qui *consubstantiationem* admisit, tum contra Osiandrum, qui *impanationem* docuit: uterque transmutationem panis in corpus Christi negavit, et coexistentiam panis cum corpore Christi docuit.

Prob. I. **Ex Script. S.,** *ex verbis* scilicet *institutionis: Hoc est corpus meum.* — Licet Christus his in verbis a voce *mutationis* aut *conversionis* abstinuerit, ex eis tamen, *teste Trident.*, Sess. XIII, cap. 4, et *Catech. Rom.*, n. 38, manifeste eruitur, totam substantiam panis converti in corpus Christi. Sic enim argumentari oportet:

[1] Cf. De Lugo, *De Euch.*, disp. VII, sect. I, n. 3.

Si, peracta consecratione, aliquid de substantia panis sub speciebus remaneret, verba Christi: *Hoc est corpus meum*, falsitatem continerent. Atqui, impossibile est in verbis Christi falsum contineri. Ergo, peracta consecratione, nihil de substantia panis sub speciebus remanet, sed tota in corpus Christi conversa est.

Prob. maj. Secundum consuetum et sincerum loquendi modum ab omnibus receptum, pronomen *hoc* designat in communi totam substantiam rei, quæ designatur. Si igitur post consecrationem substantia panis remaneret sub speciebus, pronomen *hoc* eam necessario designaret, et sensus locutionis foret: *Hoc,* id est *substantia panis, est corpus meum;* quod falsum est omnino, quia nunquam substantia panis est corpus Christi; sed dicendum fuisset: *Hic*, vel *in hoc*, est corpus meum.

II. **Ex Traditione.** « Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, *inquit Trident., Sess. XIII, cap. 4,...* per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi... » Hujus persuasionis testes habemus Concilia, Patres et Liturgias.

1. Concilia. — *In Concil. Romano.* an. 1079, præscripta fuit Berengario formula fidei, in qua dicitur: « Confiteor panem et vinum, quæ ponuntur in altari, per... verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, et propriam, ac vivificatricem carnem et sanguinem Jesu Christi. » *(Denz., n. 298).*

In Later. IV, an. 1215, *(De Summa Trinit., c. 1),* legimus: « Idem ipse sacerdos et sacrificium Jesus Christus, cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina. »

Similia habentur in Conc. *Constantiensi* et *Florentino.*

2. S. Patres. — Docent S. Patres, per verba consecrationis panem et vinum *mutari, verti, transformari, transferri* in Christi corpus et sanguinem. Atqui hæc verba, cum contextu in quo usurpantur collata, manifeste exprimunt id, quod per transsubstantiationem intelligitur, et simul indicant nihil amplius de panis et vini substantia in speciebus consecratis superesse.

Scribit *S. Cyrillus Hier.:* « Aquam aliquando (Christus) mutavit in vinum... et non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem transmutasset? » *(Catech. mystag., 4, n. 2).* — *S. Joan. Chrysost.:*

« *Hoc est corpus meum.* Hoc verbum proposita transformat. » *(Hom. de prodit. Jud. II. n. 6).* — *S. Joan. Damasc.:* « Panis ac vinum et aqua per S. Spiritus invocationem et adventum, mirabili modo in Christi corpus et sanguinem vertuntur. » *(De fide orthod., l. IV, c. 14).*

3. Liturgiæ. — Omnes Ecclesiæ, tam Latina quam Orientales, etiam schismaticæ, in celebratione missæ orant ut panis et vinum *fiant nobis corpus et sanguis Christi: ut Deus transferat, transmutet panem in corpus Christi; ut faciat panem corpus Christi, et id quod est in calice sanguinem Christi.* (Cf. n. 1593).

III. **Ex Ratione.** 1. Si, peracta consecratione, substantia panis et vini in hoc sacramento remaneret, tolleretur veritas hujus sacramenti. Enimvero: « non aliquid potest esse alicubi, ubi prius non erat, *ait S. Th.*, nisi per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum... Manifestum est autem quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem: primo quidem, quia sequeretur quod desineret esse in cœlo: non enim quod localiter movetur, pervenit de novo ad aliquem locum nisi deserat priorem... Et ideo relinquitur quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum: quod autem convertitur in aliquid, facta conversione, non manet. Unde relinquitur quod salva veritate hujus sacramenti, substantia panis post consecrationem remanere non possit. » *(Q. 75, a. 2).*

2. Quatuor, ut dictum est *(n. 1605)*, requiruntur conditiones ad transsubstantiationem. Atqui, hæ quatuor conditiones in hoc sacramento verificantur. Ergo vera adest transsubstantiatio.

Prob. min.: 1. Adsunt in hoc sacramento duo termini positivi, scilicet: ex una parte, panis ac vini substantia; et ex altera, corpus et sanguis Christi. — 2. Substantia panis, terminus *a quo*, esse desinit, sicut ex dictis constat; et substantia corporis Christi incipit esse sub speciebus; panisque substantia cum corpore Christi existere nequit. — 3. Datur connexio inter utrumque terminum: vi verborum desinit esse substantia panis, et præsens sistitur substantia corporis Christi. — 4. Datur quoddam tertium commune, species scilicet panis et vini, sub quibus corpus et sanguis Christi succedunt substantiæ panis

et vini. Mutatio igitur panis in corpus Christi recte transsubstantiatio dicitur.

1606. — Corollarium. Recitata propositione refellitur non solum *consubstantiatio* Lutheri, vel *impanatio* Osiandri, sed etiam opinio Durandi, *(In 4. Sent., D. XI, q. 3,)* qui docet, formam substantialem panis desinere quidem per verba consecrationis, sed materiam primam panis remanere in hoc sacramento. Quæ opinio aperte pugnat cum Tridentino definiente *totam substantiam* panis converti in corpus Christi. — Præterea, *ut ratiocinatur Bellarminus,* si materia remanet, «vel materia panis accedit reliquo corpori Christi, et in eo manet; vel accedit, sed non manet; vel non accedit. *Si accedit et manet;* ergo quotidie augetur, et crescit corpus Domini, et jam in immensam molem excrevit; *si accedit, et postea recedit;* ergo quotidie crescit et decrescit, quod sane quis ferat? *si non accedit,* ergo tria sunt Christi corpora re ipsa distincta; unum de Virgine sumptum, alterum conflatum ex materia panis et Christi anima, tertium ex materia vini, et forma sanguinis Domini.» *(De Euch., l. III. c. 13)*,

1607. — Scholium. *De panis desitione et corporis Christi replicatione.*

Docet dogma fidei, per verba consecrationis totam substantiam panis omnino desinere esse sub speciebus, eique corpus Christi succedere. — Porro, altera adhuc movetur quæstio a dogmate independens, quo scilicet modo fiat tam panis desitio, quam corporis Christi sub speciebus positio: de hoc disputant theologi.

1. Quoad panis desitionem: docent nonnulli cum Scoto [1], desitionem panis fieri per *annihilationem.* Ratio est, quia post consecrationem nihil substantiæ panis manet, nec in se nec in alio; ejus enim materia et forma omnino destructæ sunt: quod vera est annihilatio.

Communis tamen theologorum sententia docet cum *S. Thoma* [2], *S. Alphonso* [3], *Suarez* [4], *Isambert* [5], illam panis desitionem nequaquam esse annihilationem, sed veram conversionem. — Probatur hæc opinio:

a) Ex modo loquendi Patrum et Conciliorum, a quibus panis dicitur *mutari, converti, transsubstantiari* in corpus Christi. Sed quod mutatur aut convertitur in aliud, nequit dici annihilari.

b) Ex ipsa notione annihilationis [6]: Annihilatio est *reductio totius rei in nihilum.* Ad annihilationem duo requiruntur: *primum,* ut nihil prorsus de re annihilata remaneat, sed totaliter esse desinat; *secundum,* ut res, quæ esse desinit, sistat simpliciter in non esse, et

[1] 4. *Sent.*, D. 11, q. 4. — [2] Q. 75, a. 3 et 4. — [3] *Hist. hær.,* Conf. X, n. 24. — [4] Disp. 50, sect. 7. — [5] In q. 75, disp. 7. — [6] Cf. Isamb., *loc. cit.,* a. 2.

vi actionis, qua esse desinit, non ordinetur in aliud positivum et reale. Atqui, in Eucharistia, licet substantia panis totaliter esse desinat, non sistit tamen simpliciter in non esse, sed vi verborum, quibus esse desinit, ordinatur ad corpus Christi. Unde desitio panis non est annihilatio, sed vera conversio.

1608. — 2. QUOAD ACTIONEM VERO, QUA CRISTUS FIT PRÆSENS SUB SPECIEBUS, alii eam dicunt esse *adductivam*, alii *unitivam*, alii *reproductivam* corporis Christi [1].

a) Scotus [2] et *Bellarminus* [3] docent, transsubstantiationem esse actionem corporis Christi *adductivam*. — Dicunt, transsubstantiationem terminari ad corpus Christi, non secundum suam substantiam, quia jam præexistit, sed quatenus *præsens sub speciebus*, seu quatenus *novum ubi* accipit. Per verba enim consecrationis fit ut corpus Christi, præsens in cælis in specie propria et in esse physico, novam præsentiam, sacramentalem scilicet, accipiat, qua præsens sistitur sub speciebus in esse sacramentali. Quapropter vi verborum, sola producitur nova Christi *præsentia*, ratione cujus ipse Christus, præexistens in cælis, præsens etiam fit in speciebus, seu *adducitur* sub speciebus.

b) De Lugo transsubstantiationem dicit esse actionem *unitivam*, seu *constitutivam* corporis Christi sub speciebus. « Melius ergo, *inquit* [4], (transsubstantiatio) dicitur actio constitutiva corporis Christi sub speciebus, connotando etiam desitionem substantialem panis: nec enim unitio secundum se, nec desitio secundum se, est adæquate conversio, sed utraque simul componit conversionem constantem ex utraque mutatione, ex desitione et unitione; a qua conversione panis denominatur conversus, et corpus Christi denominatur succedens pani, seu id, in quod substantialiter convertitur panis. » — Sed, *ut merito notat de Augustinis* [5], hæc opinio ad primam reducitur. Cum enim de Lugo neget corpus Christi reproduci, illud necessario sequitur, nempe: ut corpus Christi existens in cœlis, speciebus uniri et panis ac vini substantiæ succedere possit, prorsus necesse est, illud vi verborum prius adduci.

c) Communior tamen et verior sententia docet cum *S. Thoma* [6], transsubstantiationem esse actionem *corporis Christi reproductivam*, ita « ut si corpus Christi non existeret in cœlis, inciperet existere in Eucharistia. » *(S. Alph., Conf. X, n. 24.)* — Igitur, actio conversiva panis est ex natura sua productiva corporis Christi: sed cum corpus Christi jam præexistat, illud de facto non producit absolute, sed sub novo modo essendi sacramentali; seu tribuit corpori, quod

[1] Cf. Gibbon, Disp. XVI, dub. 5, T. 6, p. 238. — [2] 4. *Sent.*, D. 11, q. 3 et 4. — [3] *De Euch.*, l. III, c. 18. — [4] *De Euch.*, Disp. VII, sect. 6. — [6] *De Euch.*, P. I, a. 5, schol. 2. — [5] Q. 75, a. 7 et 8.

in cœlis physice jam existit, novum esse, sacramentale scilicet, ita ut incipiat existere sacramentaliter sub speciebus.

Probatur hæc opinio: *a) Ex modo loquendi Patrum* et Conciliorum asserentium, *panem et vinum converti in substantiam corporis et sanguinis Christi; ex pane fieri, confici corpus Christi; panem transmutari in corpus Christi, etc.* Atqui, si in Eucharistia non adesset corporis Christi reproductio, sed solum ejus adductio, aut unio sub speciebus, hæ locutiones non verificarentur.

b) Ex ipsa notione transsubstantiationis, quæ, secundum Tridentinum, est conversio substantialis, totius scilicet substantiæ panis in corpus Christi. Porro, si transsubstantiatio terminaretur directe aut ad solam Christi præsentiam, aut ad ejus unionem cum speciebus, non autem ad ipsam substantiam corporis Christi, transsubstantiatio terminaretur directe ad aliquod accidens, non vero ad substantiam; ac proinde nec adesset conversio substantialis, quæ necessario est de substantia ad substantiam; nec substantia panis posset stricte dici converti in corpus Christi. Ad transsubstantiationem igitur non sufficit simplex adductio, aut unio; sed requiritur vera productio seu reproductio corporis Christi.

CAPUT IV.

DE MODO QUO CHRISTUS EST IN EUCHARISTIA.

Ut doctrina catholica de reali Christi præsentia plene absolvatur, restat, ut de modo inquiramus, quo Christus præsens est in Eucharistia. Ad hujus quæstionis explanationem tria sunt exponenda, videlicet: I. permanentia Christi in Eucharistia; II. præsentia totius Christi sub utraque specie; III. status Christi sub speciebus eucharisticis His in art. IV quædam de consectariis realis Christi præsentiæ in Eucharistia adjicientur.

ARTICULUS I.

DE PERMANENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA.

1609. — *Lutherus*, ut supra jam notatum est *(n. 1586)*, prius plene admisit Christum præsentem esse in Eucharistia; deinde vero, mutata sententia, docuit ipsum esse præsentem

solum *in usu seu sumptione* sacramenti, non autem ante usum, neque remanere præsentem in particulis consecratis, quæ asservantur.

1610. — **Prop.** *Christus modo permanente præsens est in Eucharistia* [1].

De fide. ex Trid., Sess. XIII, can. 4: « Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; A. S. »

Prob. I. **Ex verbis institutionis.** Legimus (Matth. XXVI, 26): *Accipite et comedite, hoc est corpus meum*... His verbis constat, corpus Christi præsens fuisse sub specie panis, antequam Apostoli comederent: hæc enim verba erant efficacia, et produxerunt quod significant: et Christus ea protulit antequam Apostoli comederent: teste Tridentino, Sess. XIII, cap. 3: « In Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat. »

II. **Ex modo loquendi Patrum.** *S. Optatus Milev.* [2] altare vocat sedem corporis Christi: et calices, Christi sanguinis portatores. — *S. Chrysost.* [3] affirmat eumdem Christum nunc in altari consistere, qui aliquando in præsepe a Magis fuit adoratus. — *S. August.* [4] ait, Christum, in ultima cœna, in suis manibus corpus suum portasse. — Hæc vero manifeste ostendunt, Christum ante et post usum vere et realiter in Eucharistia esse præsentem. — Quod idem disertis verbis affirmat *S. Cyrillus Alex.*: « Aliquos esse audio, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem juvare dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt vero qui hæc asse-

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Conf. X, a. 3, n. 38. — [2] *Cont. Parmens., l. VI.* — [3] *In I Cor.*, hom. 24. — [4] *In Ps. XXXIII.*

runt: neque enim alteratur Christus, neque sanctum corpus ejus immutatur; sed benedictionis vis ac facultas et vivificans gratia perpetua in illo existit. » *(In Ep. ad Calosyrium.)*

III. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Præscripsit *Conc. Nicænum I*, can. 13, ut secundum antiquam regulam, moribundis non denegetur communio. — Testatur *S. Justinus* [1], diaconos Eucharistiam ad absentes fratres detulisse; *S. Cyprianus* [2], *S. Basilius* [3] testantur, fideles S. Eucharistiam secum in domos suas detulisse, præsertim sæviente persecutione, ut a sumptione corporis Christi non privarentur. Ad quem morem alludens, ait *Tertullianus:* « Non sciet maritus quod secreto ante omnem cibum gustes; et si sciverit, panem non illum credet esse qui dicitur. » *(Ad uxor., l. II, c. 5).*

Quibus accedit consuetudo asservandi Eucharistiam. — « Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam, *inquit Trident. Sess. XIII, cap. 6*, adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam S. Eucharistiam ad infirmos et in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari,... multis in Conciliis præceptum invenitur, et vetustissimo catholicæ Ecclesiæ more est observatum. »

His omnibus manifeste constat, Ecclesiam semper persuasum habuisse, Christum modo permanente præsentem adesse in Eucharistia.

1611. — Quæritur. *Quandonam et quomodo Christus desinat esse in Eucharistia* [4].

Resp. 1. Cum in hoc sacramento Christus substantiæ panis et vini succedat, ejusque vices aliquo modo suppleat, tamdiu præsens manet Christus sub speciebus, quamdiu mansisset panis vel vini substantia, si adfuisset: et eodem temporis momento præsens esse desinit, quo panis vel vini substantia propter accidentium corruptionem in aliam substantiam fuisset transformata.

2. *De modo, quo Christus præsens esse desinit: a)* concordant omnes in asserendo Christum desinere: nec per *annihilationem*, nec

[1] *Apolog.*, I, n. 65. — [2] *De lapsis*, n. 26. — [3] Ep. 289 (alias 93) *ad Cæs. patric.* — [4] Cf. Gonet, *De Euch.*, Disp. V, a. 6; Maderni, q. IV, a. 2.

per *transsubstantiationem*; quod enim annihilatur aut transsubstantiatur, esse totaliter amittit, corpus autem Christi per corruptionem specierum esse non amittit, cum in cœlis subsistat; nec per *corruptionem proprie dictam*: corruptio unius est generatio alterius; unde in corruptione substantiali eadem materia debet esse corrupti et geniti; sed non est eadem materia corporis Christi et substantiæ, quæ ei sub speciebus succedit [1].

b) Si vero agitur de modo, quo fit illa Christi desitio, in varias sententias abeunt auctores pro variis scilicet modis, quibus Christum præsentem sisti docent: modus enim desitionis correspondere debet modo, quo Christus fit præsens sub speciebus. Qui igitur adductionem vel unitionem admittunt, docent, Christum desinere esse præsentem sub speciebus, vel per amissionem præsentiæ sub speciebus, vel per amissionem unionis cum speciebus. — Qui vero cum S. Thoma reproductionem admittunt, ita explanant: sicut in consecratione Christus reproducitur, et accipit esse sacramentale, adeo ut si antea nullibi exstitisset, in hoc sacramento esse inciperet; ita etiam, corruptis speciebus, Christus illud esse sacramentale iterum amittit, adeo ut si alibi esse non haberet, in rerum natura esse omnino desineret.

1612. — Scholium. *De præsentia Christi in diversis locis simul.*

Cum Christus præsens sit in Eucharistia, vere, realiter, et substantialiter, et permanenter præsens maneat donec corrumpantur species, sequitur corpus Christi permanenter præsens esse in diversis locis simul.

« Credit fides nostra, *ait S. Th.*, quod corpus Christi vere est in cœlo, et vere est in terra, in quolibet altari, et in quolibet loco ubi est panis triticeus in forma debita per sacerdotem consecratus. In hoc ergo est summum miraculum, quod unum et idem corpus numero est diversis locis: quod non solum videtur præter et supra rationem, sed etiam contra, quia intelligibile seu possibile non videtur. Unde inter omnia mirabilia quæ sunt in isto sacramento, istud videtur mirabilius et difficilius intellectu... Non autem credo quod in Scriptura vel in natura huic aliquid bene valeat assimilari. Sed interdum consuevit poni exemplum de verbo vocali, quod ab ore loquentis unum et solum procedens ad aures omnium au-

[1] Cf. Isamb., q. 77, disp. 2, a. 5.

dientium defertur ubicumque fuerint audientes, et nihilominus idem remanet in corde proferentis. » *(Opusc. 52, c. 8).*

Hæc simultanea Christi præsentia multis in locis, *ut notat S. Alphonsus (Confut. X, n. 33)*, non fit per multiplicationem corporis Christi. Corpus Christi non multiplicatur; sed illud idem corpus, quod ad dexteram Patris in cœlis assidet juxta modum existendi naturalem, per multiplicationem consecrationum novum esse, sacramentale scilicet, accipit, et in omnibus locis ubi peragitur consecratio, præsens sistitur.

Quæ simultanea Christi præsentia multis in locis magnum est mysterium, quod intellectus noster assequi non valet, quod tamen pie credere tenemur. *(Conc. Trid., Sess. XIII, c. 1).*

ARTICULUS II.

DE PRÆSENTIA TOTIUS CHRISTI SUB SPECIEBUS PANIS ET VINI.

1613. — Doctrinam catholicam de præsentia totius Christi sub speciebus eucharisticis nobis exhibet *Conc. Tridentinum, Sess. XIII, cap. 3*: « Semper, *inquit*, hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri; totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte: totus idem sub vini specie et sub ejus partibus existit. »

Quibus ex verbis manifestum est, totum Christum, id est, ejus naturam humanam integram cum omnibus suis partibus, cum anima, corpore, sanguine; atque ejus divinitatem, uno verbo, totam Verbi personam humanæ naturæ hypostatice conjunctam, quæ nunc existit in cœlis, existere sub speciebus eucharisticis, et sub qualibet parte specierum.

Sint igitur sequentes propositiones.

1614. — Prop. I. *Totus Christus continetur sub utraque specie eucharistica; partim quidem ex vi verborum, partim vero ratione naturalis concomitantiæ.*

Prop. duas continet partes.

Pars I: *Totus Christus continetur sub utraque specie*, est *de fide*, contra Hussitas, ex Trid., Sess. XIII, can. 3: « Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (I Cor. XI, 27): *Quicumque manducaverit panem hunc,* vel *biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Hisce verbis constat, hominem, qui indigne vel manducat solum panem eucharisticum, vel bibit solum calicem, reum esse tum corporis tum sanguinis Domini. Atqui id fieri non potest, nisi et corpus et sanguis Christi sint sub utraque specie. Ergo.

II. **Ex Traditione.** Ecclesia, totum Christum sub specie panis, et non solam ejus carnem, et totum Christum sub specie vini, et non solum ejus sanguinem adesse, semper credidit. « Firmissime credendum est, *ait Conc. Constantiense, Sess. XIII*, et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis quam sub specie vini veraciter contineri. »

S. Patres eos, qui panem consecratum comedunt, dicunt *Christiferos* (S. Cyrill. Hier.), id est totum Christum ferentes, et non solam ejus carnem; *Agnum ipsum comedere* (S. Ephrem), et non solam ejus carnem. — Scribit *S. Hieronym. (Ep. ad Hebidiam, q. 2):* « Dominus Jesus, ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur. »

III. **Ex Ratione.** Quotiescumque aliqua realiter et adæquate sunt conjuncta, ubi est unum eorum, ibi etiam realiter sunt alia. Atqui corpus Christi nunc in cœlis existentis, inseparabiliter est conjunctum tum cum anima et sanguine, quia Christus resurgens non amplius moritur, (Rom. VI, 9); tum cum divinitate et ipsius Verbi persona, quia quæ Christus assumpsit in unione hypostatica, nunquam dimisit. Ergo

ubi est corpus Christi, ibi est ejus anima, ejus sanguis, ejus divinitas; et similiter ubi est sanguis, ibi est corpus, et anima et divinitas. Ergo sub qualibet specie, totus et integer Christus existit. *(Cf. S. Th., q. 76, a. 1).*

Prob. II. Pars: *Partim ex vi verborum, partim ex reali concomitantia.*

De fide est, sacramenta Novæ Legis illud totum et solum ex opere operato efficere, quod eorum formæ significant. Atqui verba consecrationis panis solam panis conversionem in corpus Christi significant, et verba consecrationis vini solam vini conversionem in sanguinem Christi. Ergo vi verborum, sub specie panis præsens sistitur solum corpus Christi, et sub specie vini, solus sanguis Christi.

Cætera vero tum sub specie panis tum sub specie vini præsentia sistuntur ex naturali concomitantia, vi scilicet unionis illius inseparabilis, quæ inter Christi corpus et sanguinem, animam et divinitatem existit. *(S. Th., q. 76, a. 2).*

1615. — Corollarium. Si in triduo mortis Christi, quo ejus anima a corpore et sanguine, et ejus sanguis a corpore fuit separatus, Eucharistia celebrata fuisset, sub specie panis fuisset nec anima nec sanguis, sed solum corpus exsangue et mortuum, Verbo tamen hypostatice conjunctum; et sub specie vini solus sanguis Verbo hypostatice conjunctus. *(S. Th., q. 76, a. 1 et 2).*

1616. — Prop. II. *Facta specierum separatione, Christus sub singulis specierum partibus totus existit.*

De fide, ex Trid., Sess. XIII, can. 3, in superiori prop. recitato; — et ex Florent., *Decr. unionis*, in quo legimus: « Sub qualibet parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Marc. XIV, 23): *Et accepto calice gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo omnes.* Constat his verbis, Christum non duodecim calices, sed unum consecrasse, et Apostolos ex eodem calice bibisse. Porro, indubium est, quemlibet Apostolum sub illa parte vini consecrati verum Christi sanguinem, ac proinde totum Christum sumpsisse. Ergo totus Christus, saltem post factam specierum separationem, sub qualibet parte præsens adfuit.

II. **Ex Liturgia et praxi Ecclesiæ.** Ecclesia, in solemnitate corporis Christi, cantat: « Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. »

Præterea, Ecclesia cultu latriæ semper venerata est tum minimas hostiæ consecratæ particulas, tum guttulas vini consecrati.

Demum, semper usus in Ecclesia exstitit, ut, si necessitas id expostularet ad S. communionem fidelibus porrigendam, species consecratæ in partes frangerentur.

III. **Ex Ratione.** Christus tamdiu præsens remanet sub speciebus eucharisticis, quamdiu remaneret substantia panis vel vini, si hæc sub accidentibus adesset. Atqui, speciebus separatis, propter hanc separationem substantia panis vel vini ab accidentibus non removeretur, sed tota et integra sub qualibet parte remaneret. Ergo nec Christus propter specierum separationem ab eis removetur, sed totus et integer sub qualibet parte specierum existit.

1617. — Prop. III. *Totus Christus, etiam ante factam specierum separationem, sub singulis specierum partibus præsens existit.* — Communis.

Prob. I. **Ex Conc. Tridentino,** quod, Sess. XIII, cap. 3 docet: « Totus et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte, totus idem sub vini specie, et sub ejus partibus existit. » Quæ verba, absolute dicta nullaque addita restrictione, absolute sunt intelligenda; ac proinde denotant eam fuisse mentem Concilii, ut doceret, Christum totum, etiam ante factam separationem, sub qualibet specierum parte adesse.

Si vero in can. 3 Concilium addidit restrictionem: *separatione facta*, eam adjecit, ne liberam scholasticorum opinionem damnaret, ut testatur Pallavicini, *Hist. Conc. Trid., l. XII, c. 7, n. 7.*

II. **Ex Ratione.** 1. Totus Christus præsens est sub qualibet parte specierum, separatione facta *(n. 1616)*. Ergo etiam ante separationem.

Prob. conseq. Christus sola consecratione, non autem fractione specierum, sub speciebus eucharisticis præsens ponitur. Cum igitur specierum fractio nihil conferat ad Christi positionem sub speciebus, inde sequitur, quod si totus Christus non esset præsens sub qualibet parte ante separationem, nec post factam separationem præsens esse posset.

2. « Quia in hoc sacramento, *inquit S. Th.*, substantia corporis Christi est ex vi sacramenti, quantitas autem dimensiva ex vi realis concomitantiæ, ideo corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ, id est, per modum quo substantia est sub dimensionibus. » — Porro, « natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur;... et hoc indifferenter, sive sint dimensiones actu divisæ, vel etiam sint actu indivisæ, divisibiles vero potentia. Et ideo manifestum est quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostia integra manente, et non solum cum frangitur. » *(Q. 76, a. 3).*

1618. — Scholium. Ex dictis inferri nequit, Christum pluries esse sub eadem hostia. Enimvero, ut notat *S. Th.*: « numerus sequitur quantitatem, et ideo quamdiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicujus rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, et per consequens neque infinities, sed toties in quot partes dividitur. » *(Loc. cit., ad 1).*

ARTICULUS III.

DE STATU CHRISTI SUB SPECIEBUS EUCHARISTICIS [1].

1619. — « Credit Sancta Mater Ecclesia et fides catholica, *ait S. Th.*, sub illa parva hostia contineri et esse veraciter totum corpus Christi ita magnum et ita perfectum sicut fuit in cruce, et ita magnum sicut in die Paschæ resurrexit: et hoc est summum mirabile. » *(Opusc. 52, c. 3).*

Antequam probari possit, Christum in Eucharistia totam suam quantitatem dimensivam possidere, quædam de *quantitate* sunt prænotanda.

[1] Cf. S. Th., q. 76; 4. *Sent.*, D. 10; Opusc. 52; S. Alph., *Cont. hær.*, sess. XIII, n. 7-11; *Hist. hær.*, Conf. X, n. 32 et seq.

1620. — Prænotanda. — *Quantitas dimensiva*, (quæ dicitur etiam *molis*, seu *corpulentiæ*, et constituit categoriam quantitatis), est *accidens extensivum substantiæ*. Substantia enim corporea naturaliter est extensa; ast non per se, sed per suam quantitatem, quæ est accidens physicum a substantia realiter distinctum.

Jamvero, quantitas duo officia habet circa substantiam, in qua est. Primum, extendere substantiam *in ordine ad se;* ita scilicet ut una pars integrans corporis sit extra aliam partem, et quælibet pars corporis occupet in toto suum situm proprium in ordine ad ipsum corpus; ac proinde, ut adsint partes distinctæ extra partes et suo naturali situ positæ; v. gr. ut in homine caput jungatur pectori, mediante collo; manus, mediantibus brachiis, etc. — Hæc extensio vocatur *extensio interna, in ordine ad se.*

Secundum munus in eo situm est, quod quantitas substantiam extendat *in ordine ad locum*, seu quod constituat corpus in loco, ita ut una pars corporis unam partem loci, totum vero corpus totum locum occupet. — Hæc extensio vocatur *extensio externa, in ordine ad locum.* — Ipsa sola corpori tribuit, ut sit in loco *localiter*, et *locum impleat;* ipsa sola efficit, ut corpus propter suam impenetrabilitatem alia corpora ab eodem loco expellat, et sit divisibile in partes, et mensurabile.

Extensio interna, in ordine ad se, est effectus *primarius* et *formalis* quantitatis, a qua separari nequit; ac proinde ubi est quantitas, ibi necessario est positio partium extra partes in ordine ad ipsum corpus. — Hanc internam extensionem comitatur quædam naturalis *aptitudo* et *exigentia* ad occupandum locum, non autem actualis extensio in loco.

Extensio externa, in ordine ad locum, est effectus *secundarius* quantitatis, cum qua semper naturaliter conjungitur, nisi virtute superiori impediatur. Hanc autem extensionem externam a Deo impediri posse, apud omnes theologos in confesso est. Enimvero, etsi Deus ab aliqua re essentiam auferre nequit, ac proinde nec efficere ne corpus sit quantum aut extensum, potest tamen, salva rei essentia, ejus proprie-

tates naturales aut effectus impedire, sicut, v. gr., in fornace babylonica impedivit ignem ne combureret; ac proinde etiam efficere potest ne corpus sit extensum in ordine ad locum, neve locum occupet, sicut de facto circa corpus Christi contigit, v. gr., quando in sua nativitate e clauso Virginis utero exivit, vel januis clausis ad discipulos intravit [1].

Docuerunt nonnulli antiquiores theologi, quantitatem dimensivam corporis Christi non esse in Eucharistia, neque vi verborum, neque vi realis concomitantiæ; quorum tamen opinionem fere omnes theologi rejiciunt ut erroneam, vel saltem errori proximam.

Convenit equidem inter omnes, quantitatem corporis Christi non esse sub speciebus eucharisticis cum *sua extensione externa*, in ordine ad locum, quippe cum impossibile sit corpus tam magnum localiter in loco tam exiguo extendi. Ast *certa* et *communis* theologorum sententia docet, corpus Christi sub speciebus consecratis adesse secundum totam suam quantitatem cum sua extensione interna; quo in sensu intelligenda est sequens propositio.

1621. — Prop. *Corpus Christi in Eucharistia existit cum tota sua quantitate dimensiva.* — Certa et communis.

Prob. I. Juxta Patrum et Conciliorum doctrinam, illud idem corpus Christi, quod passum est in cruce, et quod nunc existit in cœlis, existit sub speciebus eucharisticis. Jamvero, corpus Christi, quod passum est in cruce, et nunc existit in cœlis, habet suam quantitatem dimensivam. Ergo et in hoc sacramento eamdem habet quantitatem.

2. Secundum Tridentinum, *totus* et *integer* Christus existit in hoc sacramento. Porro, quantitas ad Christi integritatem pertinet. Ergo et hæc est in sacramento.

3. Secundum Tridentinum, anima Christi unita est cum ejus corpore in Eucharistia. Atqui anima nequit esse in corpore non quanto; ratio: quia anima non unitur nisi materiæ dispositæ et organizatæ: quæ dispositio sine quantitate esse nequit.

[1] Cf. S. Alph., *Confut.* X, n. 34.

4. Si non adesset quantitas corporis Christi in Eucharistia, nec caro Christi adesse posset, cum caro sine quantitate existere nequeat.

5. Ea, vi concomitantiæ, sunt in Eucharistia, quæ cum substantia corporis Christi indivisibiliter uniuntur. Unde « quia substantia corporis Christi realiter non dividitur a sua quantitate dimensiva et ab aliis accidentibus, inde est quod ex vi realis concomitantiæ est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi, et omnia accidentia ejus. » *(S. Th., q. 76, a. 4).*

1622. — Corollaria. Ex eo quod totum et integrum corpus Christi sit sub speciebus eucharisticis cum tota sua quantitate dimensiva, cum sua extensione interna, sed absque extensione externa in ordine ad locum, plura fluunt corollaria notatu digna.

Coroll. I. Cum corpus Christi sit sub speciebus absque extensione externa, ipsum in hoc sacramento existit per modum substantiæ, et aliquo modo proprietatem spiritus participat. « Quantitas dimensiva corporis Christi, *ait S. Th.*, est in hoc sacramento, non secundum proprium modum, ut scilicet sit tota in toto, et singulæ partes in singulis partibus; sed per modum substantiæ, cujus natura est tota in toto, et tota in qualibet parte. » *(Q. 76, a. 4, ad 1).* — Et: « Spiritui competit esse totum in toto, et in qualibet parte: quia non habet quantitatem, nec a quantitate substantia ejus dependet. Corpus autem Christi quamvis in se consideratum non absolvatur a propria quantitate, tamen non comparatur ad hostiam sub qua est, secundum propriam quantitatem; et ideo non est spiritus, sed participat quantum ad aliquid proprietatem spiritus secundum comparationem ad species sub quibus continetur. » *(4. Sent., D. 10, q. 1, a. 3, sol. 3, ad 3; cf. Opusc. 52, c. 3).*

Coroll. II. Licet corpus Christi sit totum in tota hostia, et totum in qualibet parte, inde tamen nulla oritur compenetratio partium corporis Christi, nullave partium confusio. Possidet enim corpus Christi extensionem internam, qua partes

ponuntur extra partes in ordine ad ipsum corpus, etsi non in ordine ad locum. *(Cf. 4. Sent., loc. cit. ad 2).*

Coroll. III. Cum idem corpus Christi, quod nunc existit in cœlis, existat in hoc sacramento cum sua quantitate atque extensione interna, sequitur, Christum sub speciebus eucharisticis habere omnes suas facultates, v. gr., voluntatem, intellectum, sensus internos et externos; — possidere etiam omnia accidentia intrinseca, quæ a loco non dependent, ut lumen gloriæ, scientiam tam beatam quam infusam, pulchritudinem corporalem, et figuram organicam corporis quæ ex intrinseca compositione corporis provenit.

Cum vero corpus Christi in Eucharistia non habeat extensionem externam, illa accidentia, quæ a loco dependent, ut, v. gr., situs localis, habere nequit.

Coroll. IV. Cum corpus Christi in Eucharistia careat extensione externa, iis etiam caret proprietatibus, quæ ex sola quantitate extensa externe fluunt, quales sunt divisibilitas, mensurabilitas, et actualis impenetrabilitas. Ac proinde nihil prohibet quominus in eadem hostia sit simul tota quantitas dimensiva corporis Christi, et tota quantitas dimensiva quæ ante consecrationem subjectabatur in substantia panis. *(Cf. S. Th., q. 76, a. 4, ad 2).*

Coroll. V. Cum Christi corpus in Eucharistia careat extensione externa, sit autem in ea per modum substantiæ; cum insuper totum existat in qualibet hostia consecrata, inde sequitur, *Christum non esse in hoc sacramento tamquam in loco, nec circumscriptive, nec definitive.*

Non circumscriptive: quod est circumscriptive in loco, ita est in loco ut totum locatum sit in toto loco, et pars locati in parte loci: quæ locatio sequitur extensionem externam. *(Cf. q. 76, a. 5).*

Non definitive: illud, secundum S. Th. *(4. Sent., D. 10, q. 1, a. 3, q. 3,)* dicitur esse definitive in loco, quod, etsi a loco non continetur, et totum existit in toto loco et totum in qualibet parte loci, ex modo tamen quo existit in uno loco, ita determinatur ad eum locum, ut non possit simul esse in alio loco. V. gr., anima humana per informationem corporis

ita existit in hoc determinato corpore, ut non possit simul alibi existere; et Angelus per applicationem virtutis activæ ita existit in loco adæquato determinato, ut in alio simul existere non possit. Jamvero, ex ipso modo, quo corpus Christi determinatur ad existendum sub his determinatis speciebus, illud habet ut possit simul sub aliis speciebus existere: existit enim sub his determinatis speciebus per conversionem substantiæ panis in seipsum; quæ conversio cum possit fieri multis in locis, corpus Christi sub omnibus illis speciebus simul existit, quarum substantia per consecrationem conversa est in ipsum.

Iste præsentiæ modus est huic sacramento omnino proprius, et nullum in natura rerum exemplum habet; vocatur a Tridentino *(Sess. XIII, cap. 1)*, præsentia *sacramentalis*, et Christus dicitur esse præsens *sacramentaliter*. Quæ præsentia sacramentalis altum est mysterium, « quam etsi verbis vix exprimere possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, et constantissime credere debemus. » *(Trid., loc. cit.)*.

Coroll. VI. Cum corpus Christi non sit in hoc sacramento tanquam in loco, sequitur, corpus Christi non esse in eo *mobiliter*, nec per se moveri posse de loco in locum. Motus enim localis per se soli rei, quæ est in loco localiter, competit. Per accidens tamen, ratione specierum sub quibus continetur, corpus Christi moveri potest: ubi enim transferuntur species, ibi et transfertur corpus Christi quod sub eis latitat. *(S. Th., q. 76, a. 6; S. Alph., Cont. hær., Sess. XIII, n. 10)*.

Coroll. VII. Corpus Christi existens in hoc sacramento nihil pati potest a nullo agente extrinseco per solam virtutem suam naturalem operante. Corpora enim ab agentibus extrinsecis pati aut immutari nequeunt, nisi habeant quantitatem extensam in ordine ad locum, quæ deficit in corpore Christi in hoc sacramento existentis.

Coroll. VIII. Corpus Christi sub speciebus existentis a nullo oculo corporeo, etiam glorificato, naturaliter videri potest. Ad naturalem enim alicujus corporis visionem necesse est, ut corpus sui speciem in oculum immittat. Porro, immissio speciei fieri nequit nisi a corpore localiter extenso. *(Q. 76, a. 7)*.

An autem oculus corporeus virtute supernaturali ad videndum corpus Christi, prout existit sub speciebus, elevari possit, controvertitur. Affirmant alii; communior tamen et probabilior sententia negat, ea nitens ratione, quod modus, quo Christus existit in hoc sacramento, est extra latitudinem proprii objecti adæquati oculi corporei; ac proinde nequidem de potentia Dei absoluta oculus corporeus, ad corpus Christi sub speciebus eucharisticis videndum, elevari potest.

Coroll. IX. Christus sub speciebus existens, cum omnes suas facultates et omnia sua accidentia absoluta habeat, omnes operationes vitales, quæ a sensibus non pendent, exercere potest; imo propter identitatem humanitatis, anima ejus in Eucharistia eas perceptiones habet, quas alibi ex sensuum exercitio possidet.

Proinde, Christus in hoc sacramento possidet visionem beatificam, amorem, scientiam beatam et infusam quibus videt clare et distincte omnes actiones et cogitationes omnium hominum, et titulo speciali omnes actiones, cogitationes, affectus, et obsequia, quæ ad Eucharistiam referuntur.

Coroll. X. Christus, cum in hoc sacramento quantitatem extensam in ordine ad locum non possideat, actus sensuum externorum naturaliter habere nequit; quippe sensus externi, absque extensione locali, nec a rebus circumstantibus immutari, nec consequenter eas naturaliter percipere possunt. *(S. Alph., Conf. X, n. 35).*

Christus igitur, sub speciebus existens, neque homines circumstantes oculis corporeis naturaliter videre, neque eorum preces auribus corporeis naturaliter audire potest.

Docent tamen communiter doctores, fieri posse ut *supernaturaliter* Christus actus sensuum externorum eliciat, ita ut in hoc sacramento existens, et circumstantes oculis suis videat, et eorum preces auribus suis audiat.

Utrum autem *de facto* Christus sic supernaturaliter actus illos exerceat, controvertitur. Plures, tum antiquiores tum recentiores theologi, partem affirmativam ut probabilem, aut probabiliorem, tenent; cum tamen pro hac sententia nec auctoritates Patrum adsint, sicut ultro fatentur patroni hujus sen-

tentiæ, nec pro ea cogentia afferantur argumenta, standum esse videtur sententiæ negativæ, quæ est et traditioni conformior, et inter scholasticos communior.

ARTICULUS IV.

DE CONSECTARIIS REALIS CHRISTI PRÆSENTIÆ IN EUCHARISTIA, SEU DE CULTU EUCHARISTIÆ EXHIBENDO.

1623. — Cum Christus sub speciebus eucharisticis vere et realiter et permanenter contineatur, inde illud imprimis consequitur, videlicet, SS. Eucharistiam adorandam esse cultu latriæ. « Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, *ait Trid., Sess. XIII, cap. 5*, quin omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant. »

1624. — Errores. — Sacramentarii, utpote realem Christi præsentiam negantes, Eucharistiæ cultum aliquem exhibendum esse negant, atque catholicos, qui Christum in hoc sacramento adorant, de idololatria accusant. Cum his consentiunt lutherani, quando agitur de cultu huic sacramento extra usum deferendo. Qui vero ex lutheranis realem Christi præsentiam in usu hujus sacramenti admittunt, dissentiunt quoad adorationem Christo in hoc usu exhibendam: alii ipsum adorandum esse putant; alii, e contra, omnem ei denegant adorationem, utpote institutioni Christi et Apostolorum praxi contrariam.

1625. — Prop. *Christus in Eucharistia adorandus est cultu latriæ.*

De fide, ex Trident., Sess. XIII, can. 6: « Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum... non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum...; A. S. »

Prob. I. **Ex Traditione.** In verba Ps. XCVIII, 5: *Adorate scabellum pedum ejus*, scribit *S. Ambrosius:* « Itaque per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt. » — *S. Cyrill. Hier.:* « Post communionem corporis Christi, accede et ad calicem sanguinis illius,

non extendens manus, sed pronus adorationis in modum. » *(Catech. 5 mystagog.).* — *S. August.:* « Nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit. » *(In Ps. XCVIII, n. 8).*

II. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia, sicut testantur vetustissimæ liturgiæ, fidelibus semper et ubique præcipiebat, ut Christum in Eucharistia adorarent.

III. **Ex Ratione.** Christus, verus Deus et verus homo, adorandus est cultu latriæ. Atqui, in hoc sacramento est idem Christus qui natus est ex Virgine, et qui nunc sedet in cœlis ad dexteram Dei Patris. Ergo etiam in hoc sacramento Christus adorandus est cultu latriæ. « Neque enim, *inquit Trid., Sess. XIII, cap. 5,* ideo minus est adorandum quod fuerit (hoc sacramentum) a Christo Domino, ut sumatur, institutum: nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei:* quem Magi procidentes adoraverunt; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur. »

1626. — Quæritur. *An una cum Christo species sacramentales adorentur.*

Resp. *Affirmative.* Testatur enim Trident., cultum latriæ exhibendum esse *huic sanctissimo sacramento;* porro, sacramentum non est solum corpus Christi, sed est corpus Christi una cum speciebus; ac proinde cultus defertur huic toti, id est, Christo et speciebus simul. *(Cf. S. Alph., Cont. hær., Sess. XIII, n. 37).*

Atvero, Christus in Sacramento adoratur propter se; ac proinde ipse est objectum *formale* seu *motivum,* et simul objectum *terminativum* cultus latriæ; species vero adorantur non propter se, sed propter Christum sub eis latentem; ac proinde ipsæ sunt quidem objectum *terminativum* cultus, non autem objectum motivum seu formale. Sicut, v. gr., quando regem veneramur, una cum rege ejus vestem veneramur, sed nonnisi propter dignitatem regis ipsa induti.

1627. — Corollaria. *Ex dictis sequitur:*

I. Piam et utilem esse praxim ab Ecclesia introductam publice exponendi SS. Sacramentum, tum ut fideles Christo honorem ferventius impendant, atque gratias majori cum devotione implorent, tum ut eas irreverentias et injurias reparent, quæ erga tantum Sacramentum adeo frequenter committuntur.

II. Piam admodum et salutiferam esse praxim SS. Eucharistiam frequenter visitandi, in qua Christus nobiscum est usque ad

finem mundi, *ut Deus*, quem colere debemus; *ut benefactor*, qui gratias sua passione promeritas nobis dispensare peroptat; *ut amicus*, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, quorum colloquiis delectatur; *ut exemplar virtutum*, quod imitari debemus his in terris, si Christo frui velimus in cœlis. *(Cf. S. Alph., Visitationes SS. Sacramenti).*

—

CAPUT V.

DE SPECIEBUS EUCHARISTICIS.

1628. — In SS. Eucharistia remanere species quasdam, seu accidentia panis et vini, definitum est a Tridentino, Sess. XIII, can. 2: « Si quis negaverit mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus,... *manentibus duntaxat speciebus panis et vini;* A. S. » — Idipsum testantur sensus nostri; siquidem experimur in Eucharistia post consecrationem remanere quantitatem, saporem, odorem, figuram, quæ ante consecrationem in pane et vino aderant.

Quod quidem ex suavi divinæ providentiæ dispositione factum est. « Sensu apparet, *ait S. Th.*, facta consecratione, omnia accidentia panis et vini remanere. Quod quidem rationabiliter per divinam providentiam fit. *Primo* quidem, quia non est consuetum hominibus, sed horribile, carnem hominis comedere, et sanguinem bibere. Et ideo proponuntur nobis caro et sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum quæ frequentius in usum hominis veniunt. — *Secundo*, ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur, si sub specie propria Dominum nostrum manducaremus. — *Tertio*, ut dum invisibiliter corpus et sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei. » *(Q. 75, a. 5).*

Circa species in Eucharistia post consecrationem remanentes, duæ præsertim agitantur quæstiones: *prima* versatur circa objectivam specierum realitatem; *secunda*, circa modum quo istæ species existunt.

ARTICULUS I.

DE OBJECTIVA SPECIERUM REALITATE.

1629. — Antiquiorum philosophorum catholicorum et theologorum sententia unanimiter docet, accidentia absoluta corporum esse entia quædam realia, physica, objectiva, ab ipsa substantia corporum realiter distincta, ac proinde ab ea per virtutem divinam separabilia, quamvis naturalem exigentiam habeant, ut substantiæ tanquam subjecto inhæreant. Ideo antiquiores theologi unanimiter et recentiores fere omnes docent, accidentia panis et vini, quæ post consecrationem in Eucharistia remanent, esse entia realia, physica, objectiva, quæ actione sua reali et physica in sensus nostros illas imprimunt sensationes, quas ad eorum præsentiam experimur.

Verum, a sæculo XVII, nonnulli theologi, (inter quos eminet *P. Emmanuel Maignan, Ord. Minor.*, in sua *Philosophia sacra),* qui cartesianam sequuntur philosophiam, speciebus eucharisticis omnem realitatem objectivam denegant, easque dicunt esse *species intentionales*, seu *meras apparentias,* seu *meras impressiones* in sensibus nostris absque ulla objectiva realitate existentes.

Docet enim philosophia cartesiana, nullam esse realem distinctionem accidentia inter et substantiam, corporaque essentialiter consistere in trina dimensione actuali: ac proinde fieri non posse, ut, absente ipsa corporis substantia, ejus accidentia physice et objective remaneant. Quocirca theologi, qui huic adstipulantur philosophiæ, asserere coguntur, in Eucharistia, peracta conversione substantiæ panis in corpus Christi, nulla prorsus objective remanere panis accidentia, et ipsum Deum, quas ad præsentiam sacramenti experimur impressiones, eas, sive immediate per se, sive mediante corpore Christi, producere, quasi substantia panis adhuc adesset.

1630. — **Prop.** *Facta consecratione, in SS. Eucharistia remanent accidentia vera et physica, et non tantum apparentia.* — Certa.

Prob. I. **Ex Script. S., et Conciliis.** 1. Legimus (Luc. XXII, 17): *Accipite et dividite inter vos.* — (I Cor. X, 16): *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est.* — Et ex Tridentino, Sess. XIII, can. 3, constat, species esse aliquid quod in partes separari potest. Atqui, quod *dividitur, frangitur, in partes separatur*, non potest esse aliquid apparens tantum, aut mera impressio; sed necessario est quid physicum, reale, objective existens. Ergo species eucharisticæ **sunt aliquid reale et physicum.**

2. In Later. IV, in Florentino, et in Tridentino, definitum est: panem et vinum converti in corpus et sanguinem Christi, *manentibus duntaxat speciebus panis et vini.* Jamvero, quod manet, jam antea existebat: ergo eædem species, quæ erant ante consecrationem, remanent post consecrationem.

Præterea, vox *species*, qua utuntur Concilia, designare vera et physica accidentia panis et vini, non autem species intentionales aut meras apparentias, ex eo manifestum est, quod tempore eorumdem Conciliorum vox *species* ab omnibus theologis et scriptoribus ecclesiasticis accipiebatur eadem significatione ac *accidens*. Porro, verba definitionum accipienda sunt secundum eam significationem, quam habent apud auctores illius temporis, quo definitiones latæ sunt, et non juxta sensum qui longe postea invectus est, qualis est novus verbuli *species* sensus a Cartesianis introductus.

II. **Ex Traditione.** S. Patres, qui ante exortam hæresim Berengarii scripserunt, physicam et objectivam specierum realitatem aperte innuunt: v. gr., quando species vocant *rem materialem*, ut Origenes *(In Matth.*, l. XI, n. 14), *rem sensibilem*, ut S. Joan. Chrysost. (Hom. 82 *in Matth.*, n. 4); vel dicunt: *Eucharistiam constare ex duabus rebus, terrena et cœlesti*, ut S. Irenæus *(Adv. hær.*, l. IV, c. 18); vel duo in Eucharistia distinguunt, *sacramentum* scilicet seu *signum*, et corpus sub illo signo contentum. Ait S. August.: « Non dubitavit Dominus dicere, *hoc est corpus meum*, cum signum daret corporis sui. » *(Cont. Adim. Manichæum).*

Doctores vero, qui tempore Berengarii vel postea floruerunt, objectivam accidentium realitatem disertis verbis affir-

mant. « Ante consecrationem, *ait Innocentius III*, accidens est in subjecto quoniam existit in alio. Sed post consecrationem accidens est sine subjecto, quoniam existit per se. Transit enim substantia, sed remanent accidentia. » *(De sacro altaris myst., l. IV, c. 9).*

III. **Ex Consensu theologorum.** Theologi omnes usque ad secundam partem sæculi XVII, uno ore doctrinam de objectiva specierum realitate tradiderunt. Porro theologorum toto orbe diffusorum sententia concors in re fidei et morum per tempus adeo notabile, ita certum præbet argumentum ut ei contradicere sit saltem hæresi proximum. *(Cf. n. 23).*

IV. **Ex Ratione.** 1. Si species eucharisticæ non essent vera et physica accidentia, objective existentia, non adesset in Eucharistia signum sensibile; ac proinde Eucharistia non foret sacramentum, cum ad sacramenti essentiam pertineat esse signum sensibile. Sed hoc est contra fidem.

2. Christus, instituendo istud sacramentum, dixit: *Hoc est corpus meum.* Sed hæc propositio vera non esset, nisi pronomem *hoc* designaret individuum quoddam sensibile, quod in initio et in fine prolationis existit. Porro, præter accidentia nihil potest de pane et vino remanere. Accidentia igitur panis remanent in fine istius locutionis. *(S. Th., Cont. Gent., IV, c. 63).*

3. Sensus nostri bene dispositi nunquam falluntur circa objectum proprium rite propositum. Ergo nec falluntur in hoc sacramento, sicut recitatur in officio Corporis Christi: « Sensus a deceptione redduntur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis. » Porro sensus in Eucharistia apprehendunt vera et propria accidentia.

4. Demum, si accidentia objective et physice non existerent, Deus ipse nos continuo illuderet et deciperet; quod divinam majestatem et veracitatem omnino dedecet.

ARTICULUS II.

DE MODO EXISTENDI SPECIERUM.

1631. — Accidentia panis et vini in Eucharistia vere et physice remanent, absente substantia, in qua prius inhærebant. Cum vero accidentis sit inesse in alio tanquam in subjecto, altera exsurgit difficultas, scilicet, quonam modo species existant in Eucharistia.

Docent nonnulli, accidentia existere in corpore Christi tanquam in subjecto. Sed, *ait S. Th., (q. 77, a. 1)*: « Manifestum est quod hujusmodi accidentia non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subjecto, quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici; neque etiam est possibile quod corpus Christi gloriosum et impassibile existens alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates. »

« Dicunt autem quidam, *ait S. Doctor, loc. cit.*, quod sunt sicut in subjecto in aere circumstante. Sed nec hoc esse potest. *Primo* quidem, quia aer non est hujusmodi accidentium susceptivus. *Secundo*, quia hujusmodi accidentia non sunt ubi est aer, quinimo ad motum harum specierum aer depellitur. *Tertio*, quia accidentia non transeunt de subjecto in subjectum, ut scilicet idem accidens numero, quod primo fuit in uno subjecto, postmodum fiat in alio... Quarto quia cum aer non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria et aliena. »

Docet autem doctrina catholica, *in Eucharistia accidentia existere absque ullo subjecto.*

1632. — **Prop.** *In SS. Eucharistiæ sacramento accidentia existunt sine subjecto.* — Certa.

Prob. I. **Ex Concilio Constantiensi,** in quo damnata est 2ª prop. Wieleffi: « Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento. » *(Denz., n. 478)*. Quæ prop. proscripta est, non quia asserebat substantiam panis remanere, quippe hoc jam erat proscriptum in prop. 1ª « Substantia panis et vini remanent in Sacramento altaris »; sed quia negabat existentiam specierum sine subjecto.

II. **Ex Catech. Rom.,** in quo *(De Euch., n. 25)* legimus: « Accidentia, aut quæ oculis cernuntur, aut aliis sen-

sibus percipiuntur, sine ulla re subjecta esse mira quadam atque inexplicabili ratione. » — Et, *n. 45:* « Tertium restat quod in hoc sacramento maximum atque mirabile videatur... panis videlicet et vini species in hoc sacramento sine aliqua re subjecta constare;... nam super omnem naturæ ordinem ipsa (accidentia) se, nulla alia re nisa, sustentant. Hæc perpetua et constans fuit Ecclesiæ catholicæ doctrina. »

III. **Ex Consensu theologorum.** Omnes fere theologi, qui realitatem objectivam specierum propugnant, accidentia sine subjecto existere docent. « Ideo relinquitur, *ait S. Th.*, quod accidentia in hoc sacramento maneant sine subjecto, quod quidem virtute divina fieri potest. » *(Q. 77, a. 1).* — Et *Scotus:* « Dum manet Eucharistia, non est ibi substantia, nisi substantia corporis Christi. Accidentia etiam manent tunc sine subjecto. » *(In 4. Sent., D. 12, q. 6).* — Similia habent omnes fere theologi.

1633. — **Scholium.** Quo melius intelligatur hæc doctrina, recolendum est:

a) Accidentia, secundum scholasticos, causari quidem a principiis substantiæ, habere tamen esse ab esse substantiæ realiter distinctum.

b) Accidentia habere naturalem exigentiam inhærendi substantiæ tanquam subjecto, ac proinde naturaliter existere non posse, nisi proprio subjecto inhæreant; verum, non esse de essentia accidentis ut actu substantiæ inhæreat; ac consequenter fieri posse per omnipotentem Dei virtutem, ut accidens actu existat sine subiecto. « Secundum legem ordinariam, *ait S. Alph.*, ita accidentia seu species existere nequeunt sine subjecto; atvero possunt secundum legem extraordinariam et supernaturalem. » *(Confut. X, n. 37).*

Et S. Th.: « Accidentia, *inquit*, in hoc sacramento manent sine subjecto, quod quidem virtute divina fieri potest: cum enim effectus magis dependeat a causa prima quam a causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in *esse* accidens, subtracta substantia per quam conservabatur in *esse* sicut per propriam causam; sicut etiam alios effectus

naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formavit in utero Virginis sine virili semine. » *(Q. 77, a. 1).*

c) Primum accidens, quod afficit substantiam et in ea existit sicut in subjecto, esse quantitatem; alia vero accidentia immediate existere in quantitate tanquam in subjecto, et mediante quantitate afficere substantiam. *(Cf. S. Th., q. 77, a. 2).*

Consequenter dicendum est cum doctoribus catholicis: In Eucharistia solam quantitatem, omnipotenti Dei virtute, sine ullo prorsus subjecto existere: omnia vero alia accidentia quæ remanent, esse in quantitate panis et vini, tanquam in subjecto, sicuti in ea erant ante consecrationem.

1634. — Corollarium. Cum agere et pati sequantur esse, atque accidentia ex virtute divina conservent in Eucharistia illud idem esse quod habebant, substantia panis et vini existente: inde sequitur, accidentia post consecrationem ea omnia agere et pati posse, quæ potuerunt ante consecrationem. Species igitur sacramentales corpora exteriora immutare et alterare possunt: sicut et ipsæ dividi, alterari et corrumpi. *(S. Th., q. 77, a. 3 et 4).*

1635. — Quæritur. *Utrum et quomodo ex speciebus sacramentalibus aliquid generari possit.*

1. Ex speciebus eucharisticis aliquid generari posse, certum est omnino, siquidem, « ad sensum videri potest ex speciebus sacramentalibus aliquid generari, vel cineres, si comburantur, vel vermes, si putrefiant, vel pulveres, si conterantur. » *(S. Th., q. 77, a. 5).*

2. « Quomodo autem ex eis aliquid generari possit, difficile est videre », *ait S. Doctor, loc. cit.* — Enimvero, generatio unius substantiæ est corruptio alterius. Sed, ex una parte, in hoc sacramento non adest substantia panis et vini; et ex altera, certum est ex corpore et sanguine Christi nihil generari posse, cum sint incorruptibilia.

Ad hanc solvendam difficultatem plures proferuntur sententiæ. Duas probabiliores et communiores tantum referemus.

Prima sententia, quam tenet *S. Thomas,* docet, « quod in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivæ panis et vini, quod sit primum subjectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiæ; et ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud quod ad materiam pertinet; et ideo quidquid

posset generari ex materia panis vel vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate panis vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.» *(Loc. cit.)*

Secunda sententia, quam S. Thomas vocat *probabilem,* et quam sequitur S. Alph., *(Confut. X, n. 37),* docet, in ultimo corruptionis instanti, novam a Deo creari materiam, in quam formæ subsequentes inducantur. Creatur autem hæc nova materia non vi novi miraculi in momento corruptionis specierum producti, sed ex speciali dispositione connaturalis providentiæ propter miraculum transsubstantiationis introducta; virtute cujus, statim ac corrumpuntur species, nova adest materia, ex qua novæ substantiæ possint generari; sicut, v. gr., quando novus generatur homo, virtute connaturalis providentiæ, et citra novum miraculum, nova creatur anima.

Ex dictis facili negotio colligi potest, quomodo species possint nutrire; etenim « per eamdem rationem possunt converti in corpus humanum per quam possunt converti in cineres vel in vermes.» *(S. Th., q. 77, a. 6).*

—

CAPUT VI.

DE RELATIONE SS. EUCHARISTIÆ AD RATIONEM [1].

1636. — « In præparatione et in dispositione et ordinatione istius benedicti panis, scilicet sacramenti Eucharistiæ, *inquit S. Th.,* Deus tot et tanta mirabilia inclusit, quod in ipso videtur quasi omnium mirabilium, quæ ab initio mundi fecit, memoriam renovasse... Unde et in canone (istud sacramentum) vocatur *mysterium fidei,* id est secretum sacratissimum soli fidei manifestum.» *(Op. 52, c. 1).*

Quæ mirabilia, etsi miracula proprie dicta vocari nequeunt, quia non sunt facta sensibilia, miracula tamen sensu lato, et quidem miracula *maxima,* ut ait S. Th. *(loc. cit.),* apte dicuntur.

Omnia mirabilia, quæ fiunt in Eucharistia, ad quatuor præcipua, cum quibus connectuntur alia, reduci posse videntur. Sunt autem: 1. Conversio substantiæ panis et vini in

[1] Cf. S. Th., Opusc. 51 (alias 58), c. 11-13; Opusc. 52, (alias 59), per totum.

corpus et sanguinem Christi, *(n. 1606)*. — 2. Existentia totius corporis humani cum tota sua quantitate dimensiva sub hostia tam parva, *(n. 1621)*. — 3. Existentia ejusdem corporis in pluribus locis simul, *(n. 1612)*. — 4. Existentia accidentium panis et vini sine subjecto, *(n. 1632)*.

Cum igitur tot ac tanta in SS. Eucharistia includantur mirabilia, quæritur *quomodo ratio humana se habeat relate ad hoc sacramentum.*

Ratio humana relate ad Eucharistiam duplici sub respectu considerari potest: vel nuda in se, suis solis viribus relicta; vel ut illustrata lumine fidei.

1637. — Si Ratio consideratur nuda in se,

Dicendum est: I. *Rationem hujus mysterii impossibilitatem probare non posse.*

Prob. 1. *Indirecte.* — Inter fidem et rationem nulla potest esse vera contradictio. Porro, fides existentiam hujus mysterii docet. Ergo ratio ejus impossibilitatem nunquam probare valebit.

2. *Directe.* — Ut alicujus rei impossibilitas demonstretur, prorsus necesse, ut percipiatur aliqua repugnantia inter terminos, qui rem constituere dicuntur; ad hujus autem repugnantiæ perceptionem absolute requiritur, ut intima et perfecta terminorum cognitio habeatur. Jamvero, ratio humana nec intimam corporum naturam, nec relationem substantiæ cum suis accidentibus, nec præsertim statum corporis gloriosi, quale est corpus Christi, nec modum quo Christus existit in hoc sacramento, perfecte et intime cognoscere valet. Ratio igitur ex eorum collatione, quæ in hoc sacramento existunt, nec aliquam inter ea repugnantiam deprehendere, nec proinde hujus mysterii impossibilitatem demonstrare valet.

Dicendum est: II. *Rationem suis viribus hujus mysterii possibilitatem positive probare non posse.*

Prob. Ad probandam alicujus rei possibilitatem, plena et adæquata requiritur terminorum cognitio, ut inde manifeste appareat, nullam inter terminos adesse repugnantiam.

Sed, ut modo dictum est, hæc terminorum plena cognitio relate ad hoc sacramentum naturaliter est impossibilis. Ergo.

1638. — Si Ratio consideratur ut lumine fidei illustrata,

Dicendum est: I. *Rationem etiam fide illustratam, hujus mysterii intrinsecam possibilitatem evidenter probare non posse.*

Prob. Ratio per revelationem invicte cognoscit, tum hujus mysterii existentiam, tum mirabilia, quæ in eo peraguntur. Revelatio autem plenam eorum cognitionem, quæ in hoc sacramento fiunt aut existunt, non suppeditat; ac proinde nec rationi media confert intrinsecam hujus mysterii possibilitatem evidenter probandi.

Est igitur hoc augustissimum sacramentum altum mysterium, quod sola fide cognoscimus. Quocirca de eo canit Ecclesia:

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides,
Præter rerum ordinem.

Est mysterium, quod non curiosius debemus perscrutari. « Cavendum est tibi, *ait Thomas a Kempis, (Imit. l. IV, c. 18)*, a curiosa et inutili perscrutatione hujus profundissimi sacramenti, si non vis in dubitationis profundum submergi. »

Unde: *Ad firmandum cor sincerum*
Sola fides sufficit. (Hymn. Pange lingua.)

Dicendum est: II. *Rationem fide illustratam, posse argumentis extrinsecis illius mysterii possibilitatem aliquo modo probare.*

Prob. Dictat ratio, præsertim si fide illustretur, Deum multo plura facere posse, quam nos intelligere valeamus. « Demus, *ait S. August.*, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. » *(Ep. 137 ad Volusian., n. 8).*

Ac proinde ex omnipotentia Dei ratio hujus mysterii possibilitatem aliquo modo probare valet.

Dicendum est: III. *Rationem fide illustratam, SS. Eucharistiam defendere et illustrare posse.*

« Verum est autem, *ait S. Th., agendo de S. Euch.*, quod omnes errores infidelium non solum per S. Scripturam, sed etiam per rationes possunt elidi, et multæ etiam suasiones bene per rationem naturalem inveniuntur, quibus intellectus fidelium jam credentium adjuvatur et confortatur ad veritatem clarius et obnixius amplectendam. » *(Opusc. 52, c. 1).*

Omnes igitur objectiones, quæ contra hoc sacramentum moventur, ratione fide illustrata elidi possunt; siquidem ratio demonstrare valet, nullam has omnes objectiones probare posse in hoc ineffabili sacramento repugnantiam.

Objectiones.

1639. — Objicitur I. Repugnat corpus humanum sub hostia tam parva existere. Ergo Christi corpus nequit esse in Eucharistia.

Resp. Repugnat sub hostia tam parva existere corpus humanum, cum actuali sua extensione externa, *conc.;* cum sola extensione interna, absque externa, ad modum substantiæ, *nego,* vel potius *distinguo:* repugnat, si consideratur sola virtus creaturæ, *conc.;* repugnat, si consideratur virtus Creatoris, quæ extensionem externam a corpore auferre potest, *nego.*

Inst. Impossibile est dari corpus sine quantitate. Sed quantitas locum occupat. Ergo.

Resp. Impossibile est dari corpus sine quantitate: *dist.,* sine quantitate, si consideratur quoad effectum suum primarium et formalem, qui est extensio partium extra partes in ordine ad ipsum corpus, *conc.;* sine quantitate, si consideratur quoad effectum suum secundarium, qui est extensio partium extra partes in ordine ad locum, *subdist.,* est impossibile naturaliter, *conc.;* supernaturaliter, *nego. (Cf. n. 1620).*

1640. — Obj. II. Corpus nequit esse sine figura. Atqui figura non datur absque extensione locali. Ergo corpus Christi nequit esse sine extensione locali.

Resp. Corpus nequit esse sine figura, *dist.:* sine figura interna, quæ ex coordinatione partium extra partes in ordine ad ipsum corpus exsurgit, *conc.;* sine figura externa, quæ exsurgit ex coordinatione partium in ordine ad locum, *nego.* Atqui figura non datur absque

extensione locali, *dist.:* figura externa, *conc.;* figura interna, *nego. (Cf. n. 1622, III).*

1641. — Obj. III. Repugnat idem corpus esse totum pluribus in locis simul. Ergo corpus Christi nequit esse simul in cœlo et in diversis hostiis.

Resp. Repugnat idem corpus esse pluribus in locis simul, naturaliter, *conc.;* supernaturaliter, *subdist.:* circumscriptive, *transeat;* (dico *transeat,* quia Scotistæ et plures alii affirmant id esse possibile); præsentia sacramentali, *nego.* Ergo corpus Christi nequit esse simul in cœlo et in diversis hostiis, *dist.:* circumscriptive, *transeat;* nequit esse in cœlo circumscriptive, et sacramentaliter in hoc sacramento, *nego.* « Nec hæc inter se pugnant, *ait Trident., Sess. XIII, c. 1,* ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat juxta modum existendi naturalem, et in multis nihilominus aliis locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit. » *(Cf. n. 1612).*

Inst. Ergo si Christus est simul in cœlo et in hoc sacramento, distat a seipso; hoc autem repugnat.

Resp. Distat a seipso, secundum diversos modos existendi in locis inter se distantibus, *conc.;* et hoc repugnat, *nego.* Distat a seipso quoad entitatem, *nego,* siquidem eadem entitas, quæ est in cœlo, est simul in diversis hostiis consecratis.

1642. — Obj. IV. Repugnat contradictoria de eodem subjecto affirmari. Atqui si Christus præsens esset in Eucharistia, contradictoria de eo affirmari possent; v. gr., quod sit extensus localiter, et inextensus; quod moveatur et quiescat. Ergo.

Resp. Repugnat contradictoria de eodem subjecto affirmari, *dist.:* si affirmantur sub eadem ratione, *conc.;* si affirmantur sub ratione diversa, *nego.* Sic, v. gr., nulla est contradictio quando de corpore, quod in curru vehitur, affirmamus quod movetur et simul quiescit.

Atqui de Christo contradictoria affirmari possent: *dist.,* sub eadem ratione, *nego;* sub ratione diversa, *conc.* Sic, v. gr., corpus Christi dicitur extensum localiter, quatenus in cœlo existit circumscriptive; inextensum vero, quatenus sub speciebus existit sacramentaliter. — Item, dicitur moveri et quiescere; quia corpus Christi in hoc sacramento per accidens movetur ratione motus specierum; ac proinde citra contradictionem dici potest moveri sub his speciebus, et quiescere sub aliis.

1643. — Obj. V. Repugnat accidentia remanere sine subjecto, cui inhæreant. Atqui in Eucharistia accidentia dicuntur remanere sine subjecto. Ergo.

Resp. Repugnat accidentia remanere sine subjecto, naturaliter, *conc.;* virtute divina, *nego.* Non potest quidem Deus auferre ab accidentibus exigentiam et aptitudinem existendi in subjecto; potest vero ab eis actualem inexistentiam auferre, quin eorumdem essentiam destruat. *(Cf. n. 1631 et seq.).*

Inst. I. Sensus circa objectum suum non decipiuntur. Atqui sensus nostri in Eucharistia percipiunt panem et vinum. Ergo dicendum est vel sensus decipi, vel panem revera adesse.

Resp. Certum est sensus circa objectum suum *proprium* non decipi Porro, objectum proprium sensuum sunt qualitates sensibiles corporum, puta extensionem localem, colorem, odorem, etc.; et cum sensus judicant qualitates sensibiles panis et vini adesse in Eucharistia, nullatenus decipiuntur, quia revera adsunt. Substantia autem est aliquid *sensibile per accidens*, et objectum proprium intellectus, non autem sensuum; ac proinde, si sensus judicant de substantia, judicant de objecto non suo, et nihil prohibet quominus in hoc casu decipiantur.

Atvero, nec in hoc casu adest error aut deceptio, quando agitur de Eucharistia. Sensibiles enim qualitates sunt signa naturalia internæ substantiæ; ac proinde quando sensus judicant sub accidentibus panis adesse *naturaliter* panem, verum judicium proferunt. Quod autem sub his accidentibus *supernaturaliter* non adsit panis, sed corpus Christi, hoc est præter ordinem naturalem, qui ad intellectum fide illustratum pertinet. Ac proinde intellectus fide illustratus sensuum defectum supplet, et hominem ab omni errore immunem præservat.

Inst. II. Analysi chimica in speciebus eucharisticis ea omnia inveniuntur elementa, quæ sunt pani et vino propria. Ergo substantia panis et vini revera remansit.

Resp. Analysi chimica accidentia panis et vini dissolvuntur; et eo ipso corpus Christi sub eis præsens esse desinit, et nova succedit materia, ex qua omnia ea generari possunt, quæ ex pane et vino, si adfuissent, generari potuissent. *(Cf. n. 1635)*. Ac consequenter, ea elementa, quæ analysi chimica in pane et vino inveniuntur, etiam in accidentibus sacramentalibus reperiuntur.

SECTIO II.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

1644. — Positis in lucem, quæ ad realem Christi præsentiam spectant, consideranda est Eucharistia præcise sub ratione sacramenti. Qua in consideratione quatuor sunt investiganda, videlicet: I. existentia hujus sacramenti; II. ejus natura; III. usus seu sumptio Eucharistiæ; IV. effectus Eucharistiæ.

De hujus sacramenti ministro nihil addendum esse putavimus: de ministro enim consecrationis, cum idem sit ac mi-

nister sacrificii, in secunda parte dicetur; de ministro autem administrationis in disciplina morali sermo erit.

—

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

1645. — Ex hæreticis sæculi XVI soli Sociniani Eucharistiam, quam dicunt esse nudam mortis Christi commemorationem, e numero sacramentorum omnino expunxerunt. Lutherani, qui realem Christi præsentiam in solo hujus sacramenti usu agnoscunt, Eucharistiam sacramentum esse docent dum sumitur, non autem ante vel post usum.

1646. — **Prop. I.** *Eucharistia est verum et proprie dictum Novæ Legis sacramentum.*

De fide, ex Florent., *decr. pro Armenis;* — et ex Trident., Sess. VII, can. 1, *(supra n. 1434 citato),* et Sess. XIII.

Prob. I. **Ex Script. S.** De Eucharistia legimus (Matth. XXVI, 26): *Accepit Jesus panem, et benedixit... et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum.* — (Joan. VI, 55): *Qui manducat meam carnem... habet vitam æternam.* — (Luc. XXII, 19): *Hoc facite in meam commemorationem.*

Jamvero his in verbis omnia indicantur elementa, quæ ad sacramentum constituendum necessaria sunt; adest enim: *a)* signum sensibile, panis scilicet et vinum; *b)* promissio gratiæ: *habet vitam æternam; c)* institutio Christi: *Hoc facite in meam commemorationem.* Eucharistia est igitur verum Novæ Legis sacramentum.

II. **Ex Traditione.** Eucharistiam esse verum sacramentum invicte constat tum ex unanimi Patrum et theologorum doctrina; tum ex praxi sive Occidentalis sive Orientalis Ecclesiæ, non exceptis Ecclesiis schismaticis; tum etiam ex fide omnium catholicorum.

1647. — **Prop. II.** *Eucharistia est sacramentum permanens.*

De fide ex Trid., Sess. XIII, can. 4.

Prob. Propositio tanquam corollarium ex iis sequitur, quæ supra *(n. 1610)* de permanentia realis Christi præsentiæ dicta sunt, et iisdem probatur argumentis. Unum addidisse juvat, nimirum: Eucharistia tamdiu est sacramentum, quamdiu corpus Christi in ea permanet. Atqui corpus Christi ante usum et post usum sub speciebus præsens existit. Ergo Eucharistia est sacramentum permanens.

Prob. maj. In eo sita est propria Eucharistiæ ratio, ut sit sacramentum ad spiritualem animæ refectionem per modum convivii institutum. Esse autem spirituale convivium animæ, Eucharistiæ competit propter præsentiam corporis Christi, secundum illud (Joan. VI, 56): *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Quamdiu ergo Christus remanet, Eucharistia rationem convivii, ac proinde sacramenti, possidet.

CAPUT II.

DE NATURA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

1648. — Illud præ cæteris possidet sacramentum Eucharistiæ, quod scilicet est sacramentum permanens, existens post confectionem et extra usum; dum alia sacramenta tunc solum actu existunt, quando conficiuntur et homini hic et nunc conferuntur.

Ex quo consequitur, considerari posse naturam hujus sacramenti vel quatenus est sacramentum *in facto esse*, vel quatenus est sacramentum *in fieri*. Igitur in art. I. Eucharistiam sub primo respectu, in art. vero II. sub altero respectu considerabimus.

ARTICULUS I.

DE NATURA EUCHARISTIÆ IN FACTO ESSE.

1649. — Circa quæstionem: *in quo consistat essentia Eucharistiæ*, si consideratur in facto esse, magna inter Doctores fervet controversia.

« Plures sunt sententiæ, *ait S. Alph.*, sed duæ sunt magis receptæ.

» *Prima sententia* quam tenent Gonet, Petrocorenses, et Salmantic... dicit quod essentia sive ratio sacramenti consistit in recto in solis speciebus: corpus autem Christi pertinet ad sacramentum tantum in obliquo, id est, tanquam quid extrinsece connotatum...

» *Secunda sententia* vero, quam tenent cum Busembaum, Suarez, Continuat. Tournely... dicit sacramentum Eucharistiæ consistere in recto sive essentialiter æque in speciebus ac in corpore Christi. » *(Mor., l. VI, n. 189 et 190).*

1650. — Prop. *Sacramentum Eucharistiæ essentialiter et adæquate consistit tum in speciebus, tum in corpore Christi*[1].

Sententia probabilior, quam explicite tradit S. Alphonsus, *Hist. hær., Conf. X, n. 3:* « Dicimus, *inquit*, rationem sacramenti habere... neque solas species, quia hæ gratiam non conferunt; neque solum corpus Christi, quod ibi non adest modo sensibili; sed rationem sacramenti habent et species sacramentales simul et corpus Christi, seu species quatenus corpus et sanguinem Domini continent. »

Prob. I. **Ex Traditione.** SS. Patres non obscure affirmant, tum speciebus, tum corpore Christi constare Eucharistiam. *Ait S. Th.:* « Sacramentum, ut dicit Augustinus, in duobus consistit, visibili panis et vini specie, et invisibili carne et sanguine Christi. » *(Op. 51, alias 58, c. 17).* — Et *4. Sent., D. 8, q. I, a. 2, q. 1, ad 2*, ait: « Ex speciebus et corpore Christi fit unum sacramentum. » — Et *S. Irenæus* dicit: *Eucharistiam duabus rebus constare, terrena et cœlesti. (L. IV, c. 34).*

II. **Ex Ratione.** Sacramentum est essentialiter signum sensibile causativum gratiæ. Atqui, si Eucharistia non essentialiter consisteret in speciebus simul et corpore Christi, non amplius foret sacramentum; siquidem si ejus essentia

[1] Cf. Isamb., q. 73, disp. II, a. 8; Maderni, *De Euch.*, q. I, a. 2; De Lugo, disp. I, sect. 2.

consisteret in solis speciebus, sacramentum non esset causativum gratiæ, quæ a solo Christi corpore producitur; sin autem consisteret in solo Christi corpore, non esset amplius signum sensibile.

Præterea, Eucharistia, ut docet Trid., Sess. XIII, cap. 2, est spiritualis cibus animæ. Atqui ratio cibi spiritualis non solis speciebus, sed corpori Christi convenit. Eucharistia igitur non in solis speciebus, sed ex æquo in speciebus et in corpore Christi consistit.

1651. — Quæritur I. *Undenam desumitur unitas specifica sacramenti Eucharistiæ.*

Resp. Ratio specifica hujus sacramenti in eo consistit, quod est spiritualis refectio animæ, secundum illud (Joan. VI, 56): *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Ac proinde unitas specifica Eucharistiæ desumitur ex sua ordinatione ad esse convivium animæ.

Ideo, quamvis in hoc sacramento species panis et vini sint materialiter diversæ, et constituant *materialiter* duo sacramenta, quia tamen ordinantur ad unam animæ refectionem, *formaliter* et *perfective* unum sunt sacramentum etiam specie infima. « Licet quælibet species, *ait. S. Alph.*, sit materialiter diversa, moraliter tamen utraque constituit unum sacramentum, cum utraque significet unum convivium ex cibo et potu constans. » *(Mor., l. VI, n. 191).* — Et *S. Th.:* « Hoc sacramentum dicitur unum: ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, et potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus, secundum illud (Joan. VI, 56): *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum perfective et formaliter. » *(Q. 73, a. 2).*

1652. — Quæritur II. *Undenam desumitur unitas numerica hujus sacramenti.*

Resp. « Quoad numerum vero dicendum, *ait S. Alph.*, quod numerus sumitur ex multiplicitate sumptionum; unde si una species vel una hostia distribuitur pluribus, vel eidem personæ in diversis vicibus moraliter distinctis, diversa sunt numero sacramenta. E converso, si alicui eodem tempore ministrarentur ambæ species, vel plures partes ejusdem speciei, unum esset sacramentum. Sic pariter, si diversæ species consecratæ eodem tempore et in eodem altari proponuntur, unum erit sacramentum; si vero eædem species dividuntur, et in diversis proponuntur altaribus, diversa erunt sacramenta. » *(Mor., l. VI, n. 191).*

Proinde, unitas numerica hujus sacramenti desumitur a morali conjunctione, quam species consecratæ, etsi physice inter se distinctæ, habent, dum per modum unius proponuntur aut sumuntur.

ARTICULUS II.

DE NATURA EUCHARISTIÆ IN FIERI, SEU DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIÆ.

§ 1. *De Materia conficiendæ Eucharistiæ.*

1653. — Duplex, ut ex supra dictis jam abunde notum est, datur Eucharistiæ conficiendæ materia, panis scilicet triticeus, et vinum de vite.

Circa materiam hujus sacramenti erraverunt nonnulli antiquiores et obscuriores hæretici, ut videre est apud S. Augustinum *(De hæres., 28)*, et S. Thomam *(q. 74, a. 1)*; quorum vero errores jamdiu exstincti sunt.

Errant et Græci schismatici, præsertim a tempore Michaelis Cerularii; panem fermentatum tenent tanquam solam materiam validam; panem vero azymum, tanquam materiam invalidam, rejiciunt.

1654. — Prop. I. *Materia remota Eucharistiæ est solus panis triticeus et solum vinum de vite.*

De fide, ex Florent., *decr. pro Armenis*, in quo legimus: « Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus et vinum de vite. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Illud pro Eucharistia conficienda unice assumi potest, quo Christus Dominus in hujus sacramenti institutione usus est, et quod Apostolis adhibendum esse præcepit. Atqui, Christus in solo pane triticeo et in solo vino de vite consecravit, et discipulis consecrandum præcepit, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo.

Prob. min. Legimus (Matth. XXVI, 26, 27): *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit... Et accipiens calicem*, etc. Eadem leguntur Luc. XXII, 19; Marc. XIV, 22.

Jamvero « Salvatoris verba ostendunt, *ait Catech. Rom., n. 2*, panem ex tritico confici oportere; communi enim lo-

quendi consuetudine, quum panis absolute dicitur, panem ex tritico intelligi satis constat. Id etiam Veteris Testamenti figura declaratur. Præceptum enim a Domino fuerat, ut panes propositionis, qui hoc sacramentum significabant, ex simila conficerentur. »

Christum autem vinum de vite adhibuisse, ex evangelica narratione manifeste constat. Statim enim ac Christus porrigens calicem dixit: *Hic est sanguis meus*, addidit: *Amen dico vobis quia jam non bibam de hoc genimine vitis*, etc. (Marc. XIV, 25).

II. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia, qua Latina qua Græca, in solo pane triticeo et vino de vite Eucharistiam semper consecravit; atque hæreticos, aliam materiam assumendam esse docentes, constanter reprobavit. — Præterea, legimus in Missali Romano: « Si panis non sit triticeus, non conficitur sacramentum. »

III. **Ex Ratione convenientiæ.** « Panis et vinum, *ait S. Th.*, sunt materia conveniens hujus sacramenti. 1. Quantum ad usum hujus sacramenti, qui est manducatio: sicut enim aqua assumitur in sacramento Baptismi ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis et vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis. — 2. Quantum ad passionem Christi, in qua sanguis est a corpore separatus, et ideo in sacramento, quod est memoriale dominicæ passionis, seorsum sumitur panis ut sacramentum corporis, et vinum ut sacramentum sanguinis. — 3. Quantum ad effectum respectu totius Ecclesiæ, quæ constituitur ex diversis fidelibus, sicut panis conficitur ex diversis granis, et vinum fluit ex diversis uvis, ut dicit Glossa super illud I Corinth. X: *Multi unum corpus sumus.* » *(Q. 74, a. 1).*

1655 — Prop. II. *Valide conficitur Eucharistia in pane tum azymo, tum fermentato.*

De fide, ex Florentino, *decr. Unionis Græcorum*, in quo legimus: « Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem. »

Prob. I. **Ex Ratione.** Valida Eucharistiæ materia est verus panis triticeus. Atqui, tum fermentatus, tum azymus, est vere et proprie panis. Quod autem panis sit vel fermentatus vel azymus, hoc se habet per accidens, neque speciem mutat. Ergo in utroque valide confici potest Eucharistia.

II. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia Latina ab initio generatim usa est pane azymo, et aliquando etiam pane fermentato, quin unquam ante tempora Photii hac de re facta fuerit reprehensio. Qui usus manifeste comprobat, in utroque pane valide confici sacramentum. *(Cf. S. Th., 4. Sent., D. 11, q. 2, a. 2, q. 3; et S. Alph., Hist. hær., c. 9, a. 2, n. 19).*

1656. — Scholium I. — *De aqua vino eucharistico miscenda.*

Ex præcepto Ecclesiæ vino admisceri debet parva quantitas aquæ. « Si quis dixerit, *ait Trident.*, aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; A. S. » Sess. XIII, can. 9. — Et in cap. 7, ejusdem Sessionis, legitur: « Præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus ut aquam in calice offerendo miscerent. »

Verum, cum hæc admixtio aquæ sit ex præcepto Ecclesiæ, et non ex præcepto Christi, manifestum est ipsam non requiri ad validitatem sacramenti, ut communiter docent theologi.

Hanc autem aquæ admixtionem esse convenientissimam, S. Thomas *(q. 74, a. 6)* probat triplici ex ratione: 1. *Ratione institutionis*, quia probabile est Christum usum esse vino aqua mixto. — 2. *Ratione repræsentationis dominicæ passionis*, quia ex latere Christi fluxerunt aqua et sanguis. — 3. *Ratione significationis*, quia effectus hujus sacramenti est unio populi christiani ad Christum, quæ significatur unione aquæ cum vino,

1657. — Scholium II. — *De conversione illius aquæ in sanguinem Christi.*

« Non est quidem de fide, *ait S. Alph.*, aquam in sanguinem converti: tantum enim Innocentius III dixit, probabiliorem esse sententiam affirmativam, quæ revera hodie est communis inter theologos, ut omnes docent cum S. Thoma *(q. 74, a. 8)*, qui ait opinionem oppositam subsistere non posse. » *(Mor., l. VI, n. 209).* — Et re quidem vera, verba consecrationis: *hic est calix sanguinis mei*, indicant illud totum quod in calice est, substantialiter converti in sanguinem Christi; et Tridentinum supponit in calice post consecrationem nihil remanere nisi species vini; quod falsum esset si substantia aquæ remaneret.

Circa modum vero, quo aqua in sanguinem Christi convertitur, disputant doctores. Thomistæ et Scotistæ docent, aquam per sui mixtionem cum vino converti immediate in vinum, et mediante vino in sanguinem Christi. Alii vero, præsertim recentiores, docent aquam immediate una cum vino in sanguinem Christi transsubstantiari. *(Cf. S. Alph., loc. cit.)*.

§ 2. *De Forma Eucharistiæ* [1].

1658. — Sicut duplex pro consecratione Eucharistiæ ponitur materia, ita duplex etiam adhibetur forma, una super panem, altera super calicem proferenda.

Præscribitur hæc pro consecratione panis forma: *Hoc est enim corpus meum;* pro consecratione vero calicis: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Hæc verba esse validam Eucharistiæ consecrandæ formam, *fide* certum est, ex Florent. *decr. pro Armenis*, in quo dicitur: « Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris quibus hoc confecit sacramentum. » Porro, ex evangelica narratione et ex traditione constat, Christum hoc sacramentum confecisse, dicendo: *Hoc est corpus meum; — hic est sanguis meus*, etc.

Sed circa prædictas formas

1659. — **Quæritur I.** *An præter citata verba requirantur alia ad sacramenti validitatem.*

Resp. 1. Docent Græci schismatici, prædictis verbis formam consecrationis non absolvi; sed ad validitatem consecrationis essentialiter requiri orationem, quæ in liturgiis orientalibus statim post illa verba recitatur, et qua super dona oblata invocatur Spiritus Sanctus. — Quæ opinio aperte contradicit declarationi Conc. Florentini, in qua dicitur: « formam hujus sacramenti esse verba Christi, quibus hoc confecit sacramentum. » Porro, Christus conficiendo Eucharistiam, non aliis verbis usus est quam *hoc est corpus meum, — hic est sanguis meus.*

[1] Cf. S. Alph., *Hist. hær.*, Conf. X, a. 4, n. 46 et seq.; *Mor.*, l. VI, n. 220 et seq.

Ponitur vero hæc Spiritus Sancti invocatio in liturgiis orientalibus, ad declarandam verborum Christi efficaciam, et ad obtinendum sacrificii fructum pro corpore Christi mystico.

2. Scotus, cum nonnullis Scotistis, docet, verba *Qui pridie quam pateretur,* etc., quæ consecrationi panis, et *Simili modo,* etc., quæ consecrationi calicis præmittuntur, necessaria esse ad validitatem consecrationis: ratio, quia nisi ea pronuntiet, sacerdos non significat se in Christi persona loqui.

Alii vero communiter docent, illa verba: *Qui pridie,* etc., et: *Simili modo,* etc., ad validitatem sacramenti non requiri. Ratio: quia Florentinum declaravit consecrationem non aliis fieri nisi verbis Christi; — præterea, ut sacerdos in persona Christi loquatur, sufficit quod corpus Christi satis designetur ex institutione Christi et ex intentione sacerdotis. « Hæc quidem sententia, *ait S. Alph.*, est communis et probabilissima; sed oppositam non audeo dicere improbabilem: tanto magis, quia rubrica quando forma est repetenda ratione materiæ dubiæ,... præcipit ut sacerdos incipiat ab illis verbis: *Qui pridie,* etc.; et *Simili modo,* etc. » *(Mor., l. VI, n. 222).*

1660. — Quæritur II. *An omnia verba formæ consecrationis sint essentialia.*

Resp. 1. In forma consecrationis panis omnia verba sunt essentialia, excepto verbulo *enim,* quo Christus non usus est, sed quod ex Ecclesiæ consuetudine a B. Petro derivata, insertum est, ut forma cum præcedentibus verbis cohæreat.

2. Ad formam consecrationis calicis quod attinet, docent nonnulli cum S. Thoma, *q. 78, a. 3,* omnia verba esse de essentia formæ et requiri ad validitatem sacramenti; ratio est: quia pleraque reperiuntur in S. Scriptura, cætera vero habentur ex traditione; — præterea, Eucharistia instituta est non solum ad significandum corpus et sanguinem Christi per modum cibi et potus, sed etiam ad explicandam virtutem passionis Christi, quod fit verbis quæ in forma sequuntur; ac proinde hæc omnia ad essentiam formæ pertinent.

Alii vero theologi communiter docent, sola verba: *Hic est calix sanguinis mei,* esse de essentia formæ; reliqua vero ad ejus integritatem pertinere. Ratio: quia plura verba, ut *æterni, mysterium fidei,* in nulla liturgia græca reperiuntur; in multis etiam omittitur *Novi Testamenti;* hujusmodi tamen consecrationes ut validæ habentur. — Præterea, cum forma sacramenti efficiat quod significat, illa tantum verba sunt de essentia formæ, quæ transsubstantiationem vini in sanguinem Christi complete et perfecte significant. Atqui hæc sola: *Hic est calix sanguinis mei,* complete et perfecte hanc transsubstantiationem significant. Ergo sola sunt de essentia formæ.

« Cæterum, *ait S. Alph.*, utraque sententia est speculative probabilis, sed in praxi certum est quod sacerdos graviter peccaret, si

non proferret omnia verba quæ in consecratione calicis habentur; et si forte tantum prima verba dixisset, deberet utique sub conditione integram repetere formam. » *(Mor., l. VI, n. 223).*

1661. — **Quæritur III.** *Utrum verba consecrationis proferantur recitative tantum, an etiam significative.*

NB. Proferre verba *recitative*, vel *historice*, vel *materialiter*, est ea referre vel narrare tanquam ab alio dicta; ut, v. gr., si quis alteri, quæ Christus in ultima cœna peregit, enarrat. — Proferre verba *significative*, vel *assertive*, vel *formaliter*, est alterius verba referre cum intentione faciendi quod significant.

Resp. « Debent formæ proferri in persona Christi, *ait S. Alph.*, formaliter et significative, sive assertive. Id est, simul recitative et significative, scilicet referendo verba Christi et applicando eorum significationem ad materiam præsentem, nempe ad panem et vinum, quæ sacerdos in manibus habet, ut illa transmutet in corpus et sanguinem Christi; et non tantum recitative vel historice, licet, ea quæ in canone præcedunt, dicantur tantum recitative seu historice. » *(Mor., l. VI, n. 220).*

CAPUT III.

DE USO SEU SUMPTIONE EUCHARISTIÆ.

Christus, *inquit Conc. Trident., Sess. XIII, cap. 2,* « sumi voluit sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum. » Proinde enucleatis quæ ad Eucharistiæ existentiam et naturam pertinent, de usu hujus sacramenti apte disseritur. Agemus proinde in art. I. de necessitate suscipiendi Eucharistiam, et in art. II. de indigna Eucharistiæ susceptione. — De dispositionibus ab Ecclesia pro Eucharistiæ receptione præscriptis verba non faciemus, utpote quæ in parte morali in lucem ponentur.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE SUSCIPIENDI EUCHARISTIAM.

1662. — **NB.** Aliquid ad salutem dupliciter necessarium dici potest, videlicet: vel de necessitate medii, vel de necessitate præcepti. *(Cf. n. 237).*

Eucharistia potest recipi dupliciter, vel *realiter*, quando scilicet homo sacramentaliter Christum manducat; vel *in voto*, quando scilicet aliquis desiderium habet suscipiendæ Eucharistiæ, quin eam realiter accipiat.

Votum virtuale et implicitum suscipiendi Eucharistiam esse ad salutem necessarium de necessitate medii, in comperto est; includitur enim in voluntate Baptismum et Pœnitentiam suscipiendi; ac proinde « adulti tale votum habent, dum sacramenta Baptismi aut Pœnitentiæ suscipiunt; voluntas enim ipsorum omnia præcepta implendi, hoc etiam præceptum Eucharistiæ saltem implicite comprehendit; pueri vero votum habent, non voluntate propria, sed ex voluntate implicita Ecclesiæ, quæ pueris applicatur, sicut applicatur voluntas suscipiendi Baptismum. » *(S. Alph., Mor., l. VI, n. 192).*

Præterea, ut ait *Gonet, (Man., De Euch., c. I, § 3):* « Omnis res inclinatur ad suam perfectionem et consummationem, tanquam in proprium finem. Sed Eucharistia est perfectio et consummatio aliorum sacramentorum, quia gratia quæ in illis confertur, habet nos unire Christo, quæ unio maxime perficitur et consummatur per Eucharistiam: unde Dionysius (*De Eccl. hier.*, c. 3) ait quod *non contingit aliquem perfici, perfectione hierarchica, nisi per divinissimam Eucharistiam.* Ergo illa est finis aliorum sacramentorum. » Ergo recipiens Baptismum vel Pœnitentiam, implicite etiam desiderat Eucharistiam; et sicut Baptismus et Pœnitentia sunt de necessitate medii, ita et votum implicitum Eucharistiæ.

1662bis. — Quæstio igitur de sola reali Eucharistiæ susceptione movetur.

Circa hanc materiam errarunt nonnulli ex Græcis schismaticis, existimantes realem Eucharistiæ susceptionem esse omnibus ad salutem necessariam necessitate medii. — Erraruntet Hussitæ cum nonnullis ex protestantibus, qui communionem sub utraque specie de præcepto divino esse docuerunt.

1663. Prop. I. *Realis Eucharistiæ susceptio nomini est ad salutem necessaria necessitate medii.*

Certa et *communis*, si agitur de adultis; *de fide*, si agitur de parvulis, ex Trid., Sess. XXI, can. 4: « Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; A. S. »

Prob. I. Homo, qui post susceptum Baptismum illico moritur, cœlum intrat, sicuti definivit Trid., Sess. IV, can. 5, *de pecc. orig.*; et sicuti constat ex verbis Christi (Marc. XVI, 16): *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo realis susceptio Eucharistiæ non est ei necessaria ad salutem.

II. Illud solum est necessarium necessitate medii, quod primo et per se institutum est ad tollenda peccata; peccato enim sublato, quilibet capax est vitæ æternæ. Atqui, Eucharistia primo et per se non est instituta ad tollendum peccatum, teste Trid., Sess. XIII, can. 5: « Si quis dixerit præcipuum fructum SS. Eucharistiæ esse remissionem peccatorum; A. S. » Ergo.

NB. Ex dictis sequitur, nec votum seu desiderium explicitum et formale recipiendi Eucharistiam esse necessarium necessitate medii. Votum enim alicujus rei est in illius supplementum, quando hæc haberi nequit; ac proinde nequit esse magis necessarium quam ipsa res, quæ desideratur.

1664. — Prop. II. *Realis Eucharistiæ susceptio fidelibus adultis ad salutem necessaria est necessitate præcepti tum divini tum ecclesiastici.*

Pars I: *Est necessaria necessitate præcepti divini:* sententia *certa* et *communis.*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Joan. VI, 54): *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis.* Quæ Domini verba verum præceptum suscipiendi Eucharistiam continent.

II. **Ex Ratione.** Christus Eucharistiam per modum convivii ad spiritualis vitæ sustentationem instituit. Atqui nisi Christus voluisset homines eo saltem aliquoties in vita uti convivio, frustra ipsum instituisset.

Pars II: *Est necessaria necessitate præcepti ecclesiastici*, constat ex Conciliorum declaratione.

Statuit Later. IV: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum. » *(Cf. Trid., Sess. XIII, can. 9).*

1665. — Prop. III. *Communio sub utraque specie singulis fidelibus non est necessaria jure divino* [1].

De fide, ex Trid., Sess. XXI, can. 1: « Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere; A. S. »

Prob. Si qua Eucharistiam sub utraque specie suscipiendi existeret obligatio, hæc vel ex S. Scriptura, vel ex traditione, vel ex natura hujus sacramenti innotescere deberet. Atqui ex nullo horumce fontium talis obligatio erui potest; quinimo contrarium manifeste colligitur. Et re quidem vera,

I. *Ad Scripturas quod attinet:* ipsæ manifeste indicant sat esse, ut fideles sub una specie hoc sacramentum accipiant. « Namque qui dixit, *ait Trid., Sess. XXI, cap. 1:* « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; » dixit quoque: « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. » Et qui dixit: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; » dixit etiam: « Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, etc. »

Et B. Lucas, agens de Eucharistia a primis fidelibus recepta, solam speciem panis commemorat, Act. II, 42.

II. *Ad traditionem et praxim Ecclesiæ quod attinet:* ipsæ communionem sub una specie manifeste comprobant. Licet ad undecimum usque sæculum communio sub utraque specie data fuerit, non raro tamen data est sub una tantum

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, c. 7.

specie. Infirmis ordinarie communio porrigebatur sub sola specie panis; infantulis vero sub sola specie vini. Tempore persecutionum, fideles qui S. Eucharistiam domi secum ferebant, ut seipsos ante martyrium communicarent, eam sub sola specie panis asportabant. Die Parasceves, in Ecclesia tam Græca quam Latina, a primis jam temporibus Missa *Præsanctificatorum* celebrata fuit, in qua communio sub sola specie panis accipitur.

III. *Ad naturam hujus sacramenti quod pertinet:* Ex natura sua hoc sacramentum est perfectum spirituale convivium. Atqui illud habet sub alterutra specie: sub alterutra enim totus adest Christus, nec sub specie panis deest sanguis, nec corpus sub specie vini. Ergo etiam ex natura sacramenti alterutra species sufficit.

Præterea, docet Trident., Sess. XXI, cap. 3: « Quod ad fructum attinet, nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. » Ergo nec ratione fructus necessaria est communio sub utraque specie.

1666. — Quæritur I. *Utrum major gratia conferatur ex opere operato per communionem sub utraque specie quam sub unica.*

Resp. *Disputatur.* — Prima sententia affirmat. Ratio: Sacramenta efficiunt quod significant; et quia significatio fit per signa sensibilia, inde consequitur, multiplicatis signis, et gratiam augeri.

Altera sententia communior negat. Ratio: Christus adnexuit sumptioni Eucharistiæ collationem gratiæ cibantis, prout unaquæque sumptio rationem convivii habet. Porro, sive qui ambas species, sive qui unam tantum accipit, Eucharistiam per modum unius convivii, uniusque completæ refectionis æque recipit, licet prima repræsentatio sit expressior, altera minus expressa.

1667. — Quæritur II. *An Eucharistia in re vel voto sit medium necessarium adultis ad vitam spiritualem conservandam.*

Resp. Negant aliqui, dicentes ad hoc alia adesse media. Sed alii « communius et verius affirmant. Ratio: quia sicut vita corporalis diu non potest conservari sine cibo materiali, ita vita animæ sine hoc cibo spirituali, saltem in voto, et quidem explicito in eo qui necessitatem hujus sacramenti advertit. » *(S. Alph., Mor., l. VI, n. 193).*

1668. — Quæritur III. *Utrum Christus in ultima cœna corpus suum et sanguinem sumpserit.*

Resp. *Affirmative;* secundum verba S. Hieronymi ad Hedibiam: « Dominus Jesus Christus ipse conviva et convivium; ipse comedens

et qui comeditur. » — « Unde et quidam, *ait S. Th., (q. 81, a. 1)*, metrice dixerunt;

Rex sedet in cœna turba cinctus duodena;
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus. »

Christus non solum materialiter, sed etiam spiritualiter corpus suum manducavit; non quidem eo sensu quod ejus gratia ex sumptione Eucharistiæ aucta fuerit; sed quia ipse maximam delectationem spiritualis dulcedinis inde accepit. « Effectus hujus sacramenti, *ait S. Th.*, est non solum augmentum habitualis gratiæ, sed etiam quædam actualis delectatio spiritualis dulcedinis. Quamvis autem Christo gratia non fuerit augmentata ex sumptione hujus sacramenti, habuit tamen quamdam spiritualem delectationem in nova institutione hujus sacramenti. » *(Q. 81, a. 1, ad 3)*.

ARTICULUS II.

DE INDIGNA EUCHARISTIÆ SUSCEPTIONE.

1669. — Ut homo Christi mandatum exsequatur de sui manducatione, sat non est ut ad SS. Eucharistiæ sacramentum qualiscumque accedat; sed debet probatus accedere, id est, cum conscientia munda et corde puro, secundum illud Apostoli (I Cor. XI, 28): *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* De indigne igitur accedentibus quædam leviter attingere juvat.

1670. — **Prop. I.** *Qui cum conscientia peccati mortalis SS. Eucharistiam accipit, mortaliter peccat.*

De fide, ex manifestis Scripturæ testimoniis; et ex Trid., Sess. XIII, cap. 7, et can. 11.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (I Cor. XI, 27, 29): *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini... Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit: non dijudicans corpus Domini.*

II. **Ex Traditione.** Ait *S. August.:* « Quantum possumus, cum Dei adjutorio laboremus, ut cum sincera et pura conscientia, et mundo corde et casto corpore ad altare Domini

possimus accedere, et corpus et sanguinem ejus non ad judicium, sed ad remedium animæ nostræ mereamur accipere. In Christi enim corpore vita nostra consistit; mutet ergo vitam qui vult accipere vitam; nam si non mutat vitam, ad judicium accipit vitam, et magis ex ipsa corrumpitur; magis occiditur, quam vivificatur. » *(Serm. I, de tempore).*

III. **Ex Ratione.** 1. Qui Eucharistiam indigne sumit, Christo gravem irrogat injuriam. In verba Malachiæ, I, 7: *Offertis super altare meum panem pollutum,* ait *S. Thomas:* « Polluit enim panem, id est corpus Christi, qui indigne accedit ad altare, et mensam Domini si non scelerata voce, scelerato opere despicit; et dum sacramenta violantur, ipse cujus est sacramentum, violatur. » *(Op. 51, al. 58, c. 18).*

2. Communicans in mortali, institutionem Christi pervertit. Christus enim hoc sacramentum instituit tanquam cibum spiritualiter viventibus; et quemadmodum corporaliter mortuis corporalis cibus non datur, ita etiam spiritualiter mortuis per peccatum spiritualis cibus Eucharistiæ dari non debet.

Indigne igitur ad S. communionem accedens, gravissimum sacrilegii peccatum admittit; et quo gravioribus homo oneratus est sceleribus, eo gravius peccat, quia indignior accedit, majorem Christo irrogat injuriam et effectum sacramenti magis impedit.

1671. — Prop. II. *Peccatum sacrilegæ communionis, ratione objecti, levius est illis omnibus, quæ patrantur directe contra divinitatem et contra virtutes theologicas; gravius vero est iis omnibus, quæ contra puras creaturas committuntur.* — Certa.

Prob. Quo majus est objectum, in quod peccatum committitur, eo gravius est peccatum. Porro, divinitas Christi major est ipsius humanitate; ipsius vero humanitas in specie propria potior est humanitate sub specie sacramenti; et humanitas Christi sub specie sacramenti nobilior est quacumque alia creatura. Ergo ratione objecti, peccata quæ committuntur directe vel in ipsam divinitatem, v. gr., infidelitas, blasphemia, odium Dei, vel in humanitatem Christi in propria specie, quale,

v. gr., fuit peccatum Judæ Christum tradentis, Judæorum ipsum occidentium, graviora sunt peccatis quæ committuntur in Christum sub speciebus eucharisticis; peccata vero contra puras creaturas, ut, v. gr., homicidium, fornicatio, ratione objecti, sunt leviora. *(Cf. S. Th., q. 80, a. 5; I Cor. XI, lect. 7),*

Per accidens tamen, ratione personæ, indigna communio majorem vel minorem, quam alia peccata, gravitatem suscipere potest, prout scilicet aliquis vel ex odio, vel ex infirmitate, vel ex timore ad hoc sacramentum indigne accedit.

1672. — Scholium I. *De speciali indignæ communionis gravitate.* Eucharistia est amoris sacramentum, in quo Christus, memoriam faciens suorum mirabilium, omnes thesauros passionis suæ, omnes divitias bonitatis suæ, imo seipsum totum abscondit. Quam ob causam peccatum indignæ communionis specialem induit malitiam, in quam S. Patres vehementer invehuntur, Docent:

1. Indigne communicantes maximam in Christum committere ingratitudinem. *(Cf. S. Th., opusc. 51, c. 18).*

2. Indigne communicantes similes effici et socios Judæ traditoris Christum conculcantis. *(S. Th., opusc. 51, c. 17 et 18).*

3. Peccatum indigne communicantium comparari peccato Judæorum Christum occidentium. *(S. Th.. opusc. 51, c. 18, q. 80, a. 5, ad 1; S. Thomas a Villan., Conc. 3 de Sacr. Altaris).*

4. Peccatum indigne communicantium comparari peccato illorum, qui corpus Christi in lutum projicerent, vel sordibus contaminarent. *(S. Th., opusc. 51, c. 18).*

1673. — Scholium II. *De effectibus indignæ communionis.*

« Quemadmodum corporalis cibus, *ait S. Joan. Chrysost.*, cum ventrem invenerit malignis humoribus occupatum, amplius lædit, ita et iste spiritualis cibus si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdit, quam proderit, non natura sua, sed accipientis vitio. » *(Hom. IV, in Matth.).*

S. Patres plures effectus indignæ communionis enumerant; quatuor indicasse sat erit.

Primus effectus *est totalis absentia fructus salutiferi hujus sacramenti.* — « A talibus, *ait S. Bonaventura,* sumitur sacramentum, non res sacramenti, id est, Christi gratia et unitas caritatis ejus; comeditur gustu, sed non reficit spiritum; vadit ad ventrem, sed non reficit mentem. » *(Tr. VII, de Præp. ad missam, c. 4; Cf. S. Th., opusc. 51, c. 17).*

Secundus effectus *est aggravatio sceleris.* — Sequitur ex dictis *n. 1670.*

Tertius effectus *est pœnæ temporalis inflictio.* — «Supplicia (ob indignam communionem irrogata), *inquit S. Th.*, possunt dici triplicis plagæ: prima, multa damna spiritualium bonorum; secunda, sterilitas terræ sive caristia temporalium; tertia, pestes et strages hominum.» *(Opusc. 51, c. 18).*

«*Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi.* (I Cor. XI, 30). Propter peccatum hujus sacramenti indigne sumpti, *ait S. Th.*, aliqui in primitiva Ecclesia puniebantur a Deo infirmitate corporali, vel etiam morte: unde dicit (Apostolus): *Ideo*, scilicet in signum futuri judicii, *inter vos multi* indigne sumentes corpus Christi, sunt *infirmi* corporaliter, et *imbecilles*, id est, longa invaletudine laborantes; et *dormiunt multi*, scilicet morte corporali.» *(I Cor. XI, lect. 7).*

Quartus effectus *est æterna damnatio.* — Æterna damnatio speciali titulo effectus indignæ communionis dicitur, ob specialem in ea inclusam deordinationem. Eucharistia enim est panis vitæ, cujus manducationi vita æterna promittitur; illumque substantialiter continet, qui beatitudinem elargitur. Justum proinde est, ut hoc cibo abutentibus in malum, panis vitæ vertatur in mortem. Inde canit Ecclesia: *Mors est malis, vita bonis, — vide paris sumptionis — quam sit dispar exitus.*

Illud grande malum comminatur Apostolus indigne corpus Domini manducantibus, *I Cor. XI, 27, 29 ; cf. S. Th., I Cor. XI, lect. 7.*

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS EUCHARISTIÆ [1].

1674. — Alii sunt effectus Eucharistiæ, si consideratur ut Sacramentum; alii, si consideratur ut Sacrificium. Hic, de solis Eucharistiæ effectibus, quatenus est sacramentum, sermo erit.

Principium, ex quo omnes fere Eucharistiæ effectus deduci possunt, a S. Th. indicatur, videlicet: Cum Dominus istud sacramentum per modum cibi et potus spiritualis instituerit, «ideo omnem effectum quem cibus et potus mate-

[1] Cf. S. Th., q. 79; Gonet, *Clyp.*, Disp. VIII, art. 1; Salmant., Tr. XXIII, Disp. X; Contenson., l. XI, P. II, Diss. 2, c. 2; Isamb., In q. 79; Gibbon, Disp. XX.

rialis facit quantum ad vitam corporalem, quod scilicet sustentat, auget, reparat, delectat, hoc totum facit hoc sacramentum quantum ad vitam spiritualem. » *(Q. 79, a. 1).* — Quos eximios Eucharistiæ effectus compendiose tradunt et Florentinum, in Decreto unionis, et Tridentinum, Sess. XIII, cap. 2.

Qui de Eucharistiæ effectibus longiori sermone scripserunt, alii plures, alii pauciores effectus enumerant. De principalioribus tantum discurrere juvat.

1675. — Primus effectus *est gratiæ sanctificantis augmentum.*

SS. Eucharistiam ex opere operato gratiam sanctificantem augere, *de fide* est, ut ex iis constat, quæ de sacramentis in genere dicta sunt. *(Cf. n. 1478).*

Prob. Legimus (Joan. VI, 52): *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Sed vita spiritualis est per gratiam. Ego per hoc sacramentum gratia confertur.

Gratiam ab Eucharistia produci, manifestatur « primo et principaliter, *ait S. Th.*, ex eo quod in hoc sacramento continetur, quod est Christus; qui sicut in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ... ita in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur, secundum illud (Joan. VI, 58): *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.*

» Secundo consideratur ex eo quod per hoc sacramentum repræsentatur, quod est passio Christi. Et ideo effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine.

» Tertio consideratur effectus hujus sacramenti ex modo quo traditur hoc sacramentum, quod traditur per modum cibi et potus. » Ac proinde sicut cibus et potus corporalis corporalem vitam augent, ita et hoc sacramentum spiritualem vitam auget. *(Q. 79, a. 1).*

1676. — Quæritur I. *Utrum Eucharistia quandoque conferat primam gratiam.*

Resp. *De fide* est, ex Trid., Sess. XIII, can. 5, SS. Eucharistiam per se non esse institutam ad primam gratiam conferendam; est enim sacramentum vivorum, quod in suscipiente jam supponit gratiam.

An autem per accidens primam gratiam quandoque conferat? Negant nonnulli; communior tamen theologorum sententia affirmat. « Effectus Eucharistiæ, *ait S. Alph.*, sunt: 1. Augmentum gratiæ, et hic effectus est principalis,... et aliquando per accidens etiam est primæ gratiæ acquisitio, nempe cum quis inscius peccati mortalis, aut putans se habere contritionem, accedit ad communionem cum sola attritione... Ratio est quia proprium est uniuscujusque sacramenti gratiam conferre omnibus obicem non ponentibus; et habens attritionem jam obicem gratiæ non ponit, dum, quantum in se est, removet affectum tam actualem, quam habitualem ad peccatum. » *(Hom. Ap., Tr. XV, n. 5; cf. Mor., l. VI, n. 269).*

1677. — Quæritur II. *Quonam momento Eucharistia conferat gratiam.*

Resp. Cum ex Christi institutione Eucharistia vere sit spiritualis cibus animæ, gratiaque nonnisi *manducantibus* promittatur, Eucharistia in eo præcise momento gratiam confert, quo ejus manducatio perfecte et complete perficitur. Hæc autem manducatio non perficitur quando ore sumitur vel dentibus conteritur sacramentum, sed cum species sacramentales deglutiuntur atque stomachum attingunt.

1678. — Quæritur III. *An hoc sacramentum continuo augeat gratiam quamdiu species in nobis manent.*

Resp. Cum sacramenta agant per modum causæ instantaneæ, suumque effectum producant juxta suscipientium dispositiones, Eucharistia in solo ipsius manducationis momento gratiam producit; ac proinde, si in sumente eædem remanent dispositiones, ipsa post manducationem gratiam amplius non auget. Si vero post sumptionem suscipientis dispositiones augentur, valde probabile est Eucharistiam majorem etiam causare gratiam, quamdiu species remanent. *(S. Alph., Mor., VI, 228; Hom. Ap., XV, 6).*

1679. — Secundus effectus *est remissio peccatorum venialium.*

Peccata venialia in S. communione remitti, certum est omnino. Ait enim Tridentinum, Sess. XIII, cap. 2, Eucharistiam esse *antidotum quo liberamur a culpis quotidianis.* — « Remitti vero Eucharistiâ, *ait Catech. Rom.*, et condonari leviora peccata, quæ venialia dici solent, non est, quod dubitari debeat. Quidquid enim cupiditatis ardore anima amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, id totum Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit; quemadmodum etiam quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit, paulatim addi et refici naturali alimento sentimus. Quare

merito a D. Ambrosio de hoc cœlesti sacramento dictum est: *Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.* Verum hæc de iis peccatis intelligenda sunt, quorum sensu et delectatione animus non permovetur. »

De modo autem, quo Eucharistia venialia remittit, non consentiunt auctores. Alii dicunt, Eucharistiam ex se immediate delere venialia; sed probabilius est, *ut ait S. Alph.*, « hoc sacramentum non immediate ex se, sed mediante actu caritatis quem in anima excitat, delere venialia. » *(Hom. Ap., XV, 5; cf. Mor., l. VI, n. 269).* — Ratio: venialia non contrariantur habitui caritatis; quare possunt cum augmento caritatis coexistere; sed « etsi non contrariantur caritati quantum ad habitum, *ait S. Th.*, contrariantur tamen ei quantum ad fervorem actus, qui excitatur per hoc sacramentum, *ratione cujus venialia tolluntur.* » *(Q. 79, a. 4, ad 1).*

1680. — Tertius effectus *est præservatio a culpis mortalibus* — « Per auxilium gratiæ sacramentalis, qua excitatur devotio, *ait S. Alph.*, fortius resistitur tentationibus, fugantur dæmones, ut docet S. Cyrillus. Immo asserunt Salmanticenses cum Montesino, Eucharistiam conferre divinam etiam externam protectionem, qua Deus non permittet ut homo versetur in occasionibus, in quibus prævidet Deus illum casurum. » *(Mor., VI, 269).* — Qua de causa Eucharistia a Trident., Sess. XIII, cap. 2, vocatur *antidotum quo... a peccatis mortalibus præservamur.*

De modo, quo Eucharistia a mortalibus præservat, pulcherrime disserit S. Thomas. « Peccatum, *inquit*, est quædam spiritualis mors animæ. Unde hoc modo præservatur aliquis a peccato futuro, quo præservatur corpus a morte futura, quod quidem fit dupliciter: uno modo in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva, et sic præservatur a morte per cibum et medicinam: alio modo per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes, et sic præservatur per arma quibus munitur corpus. Utroque autem modo hoc sacramentum præservat a peccato: nam primo quidem per hoc quod Christo conjungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis, tanquam spiritualis cibus et spiritualis medicina. Alio modo in quantum est quoddam signum passionis Christi, per quem victi sunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem. Unde Chrysostomus dicit: *Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo.* » *(Q. 79, a. 6).*

1681. — Quartus effectus *est remissio pœnæ temporalis.* In devota Eucharistiæ susceptione pœna temporalis semper plus minusve remittitur; non quidem directe, vi ipsius sacramenti, quia istud sacramentum per se non est institutum ad satisfaciendum; sed *indirecte*, quia scilicet excitat fervorem caritatis, « ex cujus fervore, *ait S. Th.*, aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ; inde est quod ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis et fervoris. » (Q. 79, a. 5).

1682. — Quintus effectus *est dulcedo spiritualis*, quæ consistit in promptitudine voluntatis ad res divinas hilari animo peragendas, seu in quadam alacritate in exsequendis iis quæ Deo placent; *(S. Alph., Mor., VI, n. 269; Hom. Ap., XV, 5);* cum qua alacritate semper conjungitur quædam spiritualis suavitas in mente.

Cibus materialis manducantem non solum roborat, sed etiam delectat, atque ad fortius et alacrius operandum excitat. Ita et cibus ille cœlestis, qui omne delectamentum et omnem suavitatis saporem in se continet, devote manducantes ad actus caritatis et ad opera virtutis excitat, et spirituali perfundit delectatione. « Ex virtute hujus sacramenti, *ait S. Th.*, anima spiritualiter reficitur, per hoc quod anima spiritualiter delectatur, et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ, secundum illud Cant. V, 1. *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi.* » *(Q. 79, a. 1, ad 2).*

Hæc mentis alacritas et promptitudo, est, generaliter loquendo, effectus infallibilis Eucharistiæ, nisi impediatur ex parte subjecti; qui enim ad sacram mensam vanis ac terrenis affectibus præoccupatus accedit, propria sua culpa dulcedine illa spirituali privatur. Quandoque tamen ipse Deus, citra suscipientium culpam, dulcedinem suæ præsentiæ quibusdam retrahit, prout scilicet cuilibet ad salutem expedire noverit. *(Cf. S. Th., Opusc. 51, c. 22).*

Ex suavitate illa, quæ in superiori parte animæ abscondita manet, non raro in susceptione Eucharistiæ, redundat in

inferiores partes animæ dulcedo quædam sensibilis, qua totus homo jucundatur. Hæc autem sensibilis suavitas se habet per accidens in hoc sacramento, et ipsam, quibus vult et quando vult, Deus elargitur.

1683. — Sextus effectus *est unio specialis cum Christo.* Inter cibum et manducantem intima unio intercedit: etenim manducans in propriam substantiam panem transmutat. Christus autem in Eucharistia est cibus animæ, secundum illud: *Caro mea vere est cibus.* Quocirca in communione Christum inter et fidelem arctissima unio intercedit. « Hujus sacramenti effectus, *ait Conc. Florent.*, est adunatio hominis ad Christum. » Et ipse Christus dixit (Joan. VI, 57): *Qui manducat meam carnem... in me manet, et ego in illo.* — « Sicut si quis, *inquit S. Cyrillus Alex.*, ceræ liquefactæ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totam commisceat necesse est, sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniatur. » *(L. IV, in Joan., c. 17).*

1684. — Scholium. — *De natura hujus unionis quæ in communione fit inter Christum et fidelem.*

Resp. In S. communione inter Christum et fidelem intercedit unio vera et realis: corpus enim Christi vere, realiter et substantialiter, ab eo qui communicat, accipitur, et quamdiu species durant, est in eo sicut contentum in continente. Quæ tamen unio non debet dici physica, quia corpus Christi sub speciebus existens nec tangi nec tangere potest, ut contactu physico corpori nostro uniatur. Sed est unio moralis et mystica. « Nostra et ipsius conjunctio, *ait S. Cypr.*, nec miscet personas, neque unit substantias, sed affectus consociat, et confederat voluntates. » *(De cœna Domini).*

1685. — Septimus effectus *est unio fidelium inter se.* Cum Christus sit Caput corporis sui mystici, eo ipso quod fideles per Eucharistiam Christo Capiti conjunguntur, etiam inter se tanquam unius ejusdemque corporis membra connectuntur. *Unum corpus multi sumus*, inquit Apostolus, *omnes qui de uno pane participamus.* (I Cor. X, 17). — « Res hujus sacramenti, *ait S. Th.*, est unitas corporis mystici. » *(Q. 73, a. 3).* Et secundum Trid., Sess. XIII, cap. 2, Christus voluit Eucharistiam esse « symbolum unius illius corporis, cujus

ipse caput existit, cuique nos tanquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata. »

1686. — Octavus effectus *est diminutio fomitis et amor castitatis.*

Effectus Eucharistiæ est, saltem indirecte, fomitis mitigatio, subindeque refrigerium concupiscentiæ et amor castitatis. « Licet hoc sacramentum, *ait S. Th.*, non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget caritatem, quia sicut Augustinus dicit, augmentum caritatis est diminutio cupiditatis. » *(Q. 79, a. 6, ad 3).* — Quapropter, « si quis vestrum, *inquit S. Bernardus*, non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in illo. » *(Serm. in cœna Dom.).*

Dum autem Eucharistia ardorem concupiscentiæ diminuit, *corpora castificat*, ut ait S. Laur. Justin. *(De instit. præl., c. 21)*, cordaque amore castitatis inflammat. In verba Zach. IX, 17: *Quid est bonum ejus, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines*, scribit *S. Paschasius:* « Felix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur: nam hoc nostri generis vino castitas corrumpitur, ab isto vero virgines procreantur. » *(De corp. et sang. Dom., c. 21).*

1687. — Nonus effectus *est perseverantia finalis et adeptio gloriæ.*

Ait ipse Christus (Joan. VI, 52 et 55): *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. — Qui manducat meam carnem... in me manet et ego in eo.* Porro, vivere in æternum, et in Christo manere, nihil aliud est quam ad finem usque perseverare et gloriam cœlestem adipisci. Et ideo Eucharistiam Christus « pignus esse voluit futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis, » ut ait Trid., Sess. XIII, cap. 2.

Hic effectus multiplici de causa Eucharistiæ adscribitur: 1. quia præservat a mortalibus; 2. quia actualia auxilia ad carnis et diaboli tentationes vincendas confert, juxta illud (P. XXII, 5): *Parasti in*

conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me; 3. quia datur per modum alimenti. Assumptus autem materialis cibus viatorem corroborat, viresque confert, quibus ad viæ terminum feliciter perveniat. Non absimili modo cibus ille cœlestis « dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam, *ait S. Th.*, et ideo viaticum dicitur, in cujus figura legitur, III Reg. XIX, 8, quod Elias comedit et bibit et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb, » qui mons æternam felicitatem præfigurat. *(Q. 79, a. 2).*

Hunc effectum commemorat Ecclesia in suis canticis:

O salutaris hostia — Quæ cœlis pandis ostium,
Bella premunt hostilia, — Da robur, fer auxilium.

1688. — Decimus effectus *est germen immortalitatis et semen gloriosæ resurrectionis.*

Ultimum hunc Eucharistiæ effectum Christus non obscure designavit, dicens (Joan. VI, 55): *Qui manducat meam carnem... habet vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die.* — « Dominus noster Jesus Christus, *ait S. Cyrill. Alex.*, per carnem suam in nobis vitam integit, ac veluti quoddam semen immortalitatis inserit, quod totam quæ in nobis est corruptionem abolet. » *(L. IV, in Joan., c. 2).* — Et *S. Ignatius M.*, in Epist. ad Ephesios, Eucharistiam vocat: *pharmacum immortalitatis, præservativum contra mortem;* et Conc. Nicænum: *Symbolum resurrectionis.*

Eucharistiæ adscribitur hic effectus præsertim ratione unionis carnis nostræ cum Christi carne, quæ propter suam cum Verbo divino conjunctionem, vivificatrix effecta est.

1689. — Quæritur. *Utrum Eucharistia, quatenus sacramentum, aliis prosit quam sumentibus.*

Resp. 1. *Directe* et *ex opere operato* Eucharistia solis sumentibus prodesse potest; est enim instituta per modum convivii, quod directe solis manducantibus prodest.

2. *Indirecte* et *ex opere operantis,* Eucharistia etiam aliis, tam vivis quam defunctis, prodest: *vivis,* per modum impetrationis; *defunctis,* per modum satisfactionis et suffragii, in quantum scilicet communicans, in eorum gratiam, sanctam communionem Deo offert. — Præterea, preces, quæ communionem comitantur aut subsequuntur, Deo magis acceptæ sunt quam quæ alio tempore funduntur, propter majorem devotionem et caritatem, quam hujus sacramenti susceptio in anima excitat.

PARS II.

DE SS. EUCHARISTIA QUATENUS EST SACRIFICIUM.

Docet fides catholica, SS. Eucharistiam esse non solum Novæ Legis Sacramentum, sed etiam verum Sacrificium. Quocirca, expositis illis, quæ ad SS. Eucharistiam spectant, prout est Sacramentum, restat ut de ipsa loquamur, in quantum est Sacrificium, quo divinæ Majestati supremum latriæ cultum deferimus.

Quæ de augustissimo illo Sacrificio dicenda occurrunt, quinque capitibus absolventur.

In Cap. I. sermo erit de Existentia Sacrificii Missæ.

In Cap. II. de Essentia hujus Sacrificii.

In Cap. III. de Relatione Sacrificii Missæ cum Sacrificio crucis.

In Cap. IV. de Celebratione hujus Sacrificii.

In Cap. V. de ejus Effectibus.

—

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRIFICII MISSÆ.

1690. — Notio Sacrificii. — Sacrificium, vi etymologiæ, idem significat ac *sacrum factum*, seu *actio sacra* in laudem Dei posita.

Sacrificium vel sensu lato et improprio, vel sensu stricto et proprio accipi potest. Si *sensu lato* accipitur, sacrificium vocatur quæcumque actio, quodcumque opus bonum in gloriam Dei relatum, præsertim si aliquam difficultatem conjunctam habeat. Quem in sensum sacrificium dicitur tum laus Deo exhibita, (Ps. XLIX, 23): *Sacrificium laudis honorificabit me;* tum eleemosyna, (Hebr. XIII, 16); *Talibus enim hostiis*

promeretur Deus; tum doloris acceptatio, (Ps. L, 19): *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

Si *sensu stricto et proprio* sacrificium accipitur, prout nempe denotat actum specialem cultus publici Deo delati, definitur: *Oblatio facta Deo per destructionem alicujus rei sensibilis, in signum supremi ejus dominii ex legitima institutione.*

Explicatur definitio. — Dicitur *oblatio;* qua voce refertur sacrificii genus proximum, in quo cum aliis oblationibus convenit. In sacrificio enim Deo semper aliquid offertur, unde omne sacrificium est oblatio; sed non omnis oblatio est sacrificium.

Facta Deo; est enim sacrificium essentialiter actus latriæ, ac proinde soli Deo offerri potest.

Rei sensibilis; sacrificium est opus pertinens ad cultum Dei externum et publicum, et ideo requiritur res apta ad talem usum, quæ est sola res sensibilis.

Per destructionem; realem scilicet, vel æquivalentem. *Per destructionem* sacrificium specifice distinguitur a simplici oblatione: in hac res Deo offertur sed non immutatur; in illo res et offertur et simul immutatur vel per destructionem *realem*, ut cum animal occiditur, vel per destructionem *æquivalentem*, quæ rem ad suum naturalem usum inaptam reddit, v. gr., cum vinum effunditur.

In signum supremi ejus dominii; per hanc alicujus rei sensibilis destructionem testificamur, tum habere Deum in omnia creata et in nosmetipsos supremum dominium, omniaque et nosmetipsos ipsi perfecte subjici; tum etiam illum esse auctorem vitæ et mortis, dignumque existere, in cujus honorem omnia creata vitaque nostra propria immolentur. Cum autem homini sanguinem proprium effundere non liceat, ideo ad supremum illud Dei dominium testificandum, sibi res sensibiles substituit, quas destruat. Exinde apparet cur sacrificium sit essentialiter actus latriæ, qui soli Deo deferri possit.

Ex legitima institutione; cum sacrificium sit cultus publici pars principalior, atque in totius communitatis nomine

fiat, ideo nullus privata sua auctoritate aut sacrificia instituere, aut instituta offerre valet; sed ad offerendum necesse est ut ab eo deputetur, qui hanc potestatem legitime conferre potest.

1691. — Divisio sacrificii. — Trifariam distinguuntur sacrificia, ratione videlicet *materiæ*, *formæ*, et *finis*.

Sacrificium « *ex parte materiæ* distinguitur in *victimam* seu *hostiam*, in qua aliquod animatum offertur; in *immolationem*, in qua offertur, aliquod inanime, sed solidum; in *libamen*, in quo offertur aliquod liquidum.

« *Ex parte formæ* distinguitur in *holocaustum*, in quo totum quod offertur, per ignem consumitur; *hostiam pro peccato*, in qua id quod offertur, partim consumitur per ignem, partim per sacerdotem; *hostiam pacificam*, in qua id quod offertur, partim consumitur per ignem, partim per sacerdotem, partim per illum qui donat.

« *Ex parte finis* distinguitur in *latreuticum*, quod offertur mere in obsequium Dei; *eucharisticum* in gratiarum actionem; *propitiatorium* seu *expiatorium* in remissionem culpæ vel pœnæ; *impetratorium* ad obtinenda bona a Deo. » *(S. Alph., Mor., l. VI, n. 304).*

1692. — Definitio Missæ. — Eucharistia quatenus sacrificium, seu *Missa*, definitur: *Sacrificium incruentum corporis et sanguinis Christi, sub speciebus panis et vini.* (Polm.)

Quoad etymologiam vocis *Missæ*, nihil certum habetur. Ipsam alii derivant a vocabulo hebraico *Missach*, quod significat *oblationem spontaneam*. — Desumunt alii a vocabulo *missionis* vel *dimissionis;* antiquitus in missa duplex *missio* locum habuit: prima catechumenorum, qui ante offertorium dimittebantur; altera fidelium, qui, peracto sacrificio, a diacono dimittebantur verbis: *Ite, Missa est.* — Alii demum censent hoc sacrificium vocari *Missa*, quia in eo Christus tanquam hostia ad nos mittitur, et preces nostræ ad Deum mittuntur. « Propter hoc, *ait S. Th.*, etiam missa nominatur, quia per Angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem, vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo. » *(Q. 83, a. 4, ad 9).*

1693. — Errores. — In SS. Eucharistia Deo verum sacrificium offerri, infitiantur quotquot ipsam realem Christi præsentiam negant. Inter quos eminent novatores sæculi XVI qui docent, Missam nequaquam esse verum et reale sacrificium, sed nudam cruenti sacri-

ficii Christi commemorationem, ad hoc unice institutam, ut nobis in memoriam revocet illud Christi sacrificium, quod ad nostram justificationem superabundanter sufficit, et cui injuria irrogaretur si, præter hoc, aliud verum sacrificium in Ecclesia existeret. Posse tamen, aiunt, Missam vocari sacrificium sensu lato et improprio, quo scilicet omnis actio bona sacrificium vocatur.

1694. — **Prop.** *Offertur Deo in Missa verum et proprie dictum sacrificium* [1].

De fide, ex Trid., Sess. XXII, can. 1: « Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. Sacra,** videlicet:

1. Ex prophetia Malachiæ, I: *Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum,... offertis super altare meum panem pollutum... non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra... ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Atqui secundum Trid., Sess. XXII, cap. 1, hæc verba prænuntiant sacrificium Missæ. « Et hæc quidem, *inquit,* illa munda oblatio est... quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit. »

Et re quidem vera, prædicitur in hac prophetia tum sacrificiorum Veteris Legis cessatio, imo et totius illius legis abrogatio, *(cf. n. 116),* tum Novæ Legis novique sacrificii institutio. Atqui illud novum sacrificium in Nova Lege Deo offerendum:

a) Non potest esse cruentum Christi sacrificium in cruce; prædicitur enim fore sacrificium Deo in omni loco offerendum; sed sacrificium Crucis in uno solo loco peractum est.

b) Neque potest esse spirituale sacrificium laudis et bonorum operum, ut explicant protestantes; etenim: prædi-

[1] Cf. Tolet., *De Sacrif. Missæ,* T. IV, p. 312; Bellarm., *De Missa,* l. I, c. 6 et seq.; Gibbon, Tr. IV, Disp. 26, T. VI, p. 378; De Augustinis, *De Euch.,* P. III, a. 3 et seq.

citur fore sacrificium *novum*, et *proprie dictum*, ut patet ex contextu, cum subrogandum sit sacrificiis veteribus, quæ erant sacrificia proprie dicta. Porro, spirituale sacrificium laudis et bonorum operum *neque est novum*, cum jam ab initio mundi Deo oblatum fuerit; neque est sacrificium *proprie dictum*, sed improprie tantum et metaphorice.

c) Sed est *sacrificium Missæ*; enimvero, in Nova Lege, præter cruentum Crucis sacrificium, et spirituale sacrificium laudis et bonorum operum, non aliud existit sacrificium quam sacrificium Missæ.

Præterea, omnes vaticinii conditiones in sola Missa implentur: Sacrificium enim Missæ est oblatio munda, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest; offertur a christianis ab ortu solis usque ad occasum, et sacrificatur in omni loco.

Demum, accedit Patrum auctoritas. S. Clemens I, *Constit. Apost., l. VII. 31*; S. Justinus M., *Dial. cum Triphone*; S. Irenæus, *Adv. Her., IV, 32*, pluresque alii Malachiæ prophetiam de sacrificio Missæ interpretantur.

2. Ex prophetia Danielis, XII, 11: *A tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* His in verbis, quæ S. Patres et interpretes communiter de tempore Antichristi intelligunt, prædicitur cessaturum fore *juge sacrificium*. Ergo sat constat ex hac prophetia, in Ecclesia semper perseverare sacrificium verum, externum. Illud autem neque cruentum Crucis sacrificium esse potest, cum non perseveret usque ad Antichristi tempora; neque spirituale sacrificium bonorum operum, cum etiam tempore Antichristi a fidelibus Deo possit offerri. Ergo sacrificium, de quo Daniel, non potest esse nisi Missa, quæ jugiter in Ecclesia Deo offertur.

3. Ex verbis institutionis. Legimus (Luc. XXII, 19, 20): *Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.... Hic est calix novi testamenti in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*; seu *funditur*, sicut habet textus græcus. — (I Cor. XI, 24): *Hoc est corpus meum*

quod pro vobis tradetur, seu *frangitur,* sicut legitur in textu originali græco.

Cum Christus dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem,* Apostolis mandaverit ut facerent quod ipse fecit, plane sequitur, consecrationem panis et vini, seu Missam, esse verum et proprie dictum sacrificium, si ipse Christus in ultima cœna verum sacrificium obtulit. Atqui in ultima cœna Christus verum sacrificium obtulit. Ergo.

Probatur minor:

A. — *Ex modo loquendi Christi.* Non dixit Christus: *hoc est corpus meum quod vobis datur, vel vobis tradetur, hic est calix quod vobis effundetur,* quasi corpus suum ad manducandum vel sanguinem suum ad bibendum tantum obtulisset, sicuti temere effutiunt protestantes; sed dixit: *quod pro vobis datur, pro vobis tradetur, pro vobis effundetur,* et quidem *in remissionem peccatorum,* ut notat S. Matth. XXVI, 28. Porro verbulum tradere *pro vobis, dare pro vobis, effundere in remissionem peccatorum,* verum sacrificium denotat, sicuti ex aliis locis parallelis constat. Sic. v. gr., legimus (Gal. II, 20): *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me.* — (Tit. II, 14): *Dedit semetipsum pro nobis.* Christus igitur in ultima cœna verum sacrificium obtulit.

Nec dici potest, hæc Christi verba de sacrificio crucis esse intelligenda; nam verba *datur, frangitur, effunditur,* rem præsentem denotant. Præterea vox *frangitur,* quam adhibet Apostolus in originali græco, de sola fractione corporis Christi sub specie panis intelligi valet, cum in cruce corpus Christi non sit fractum.

B. — *Ex figura sacerdotii Christi.* Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ut dicitur Ps. CIX, 4; Hebr. V, 6 et 10: VI, 20. Atqui Melchisedech panem et vinum in sacrificium obtulit, ut constat ex Gen. XIV, 18. Ergo, cum offerre sacrificium munus sit sacerdotis maxime proprium, Christus semel saltem in pane et vino sacrificium offerre debuit; alioquin dici non posset sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Porro, Christus nusquam legitur in pane

et vino sacrificasse, nisi quando in ultima cœna seipsum sub speciebus panis et vini obtulit, seque discipulis tradidit.

C. — *Ex Traditione.* « Quis magis sacerdos Dei summi, *ait S. Cypr.*, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulit, panem scilicet et vinum, hoc est, suum corpus et sanguinem. » *(Lib. II, Ep. 3). — Similia habent alii Patres; cf. etiam Trid., Sess. XXII, cap. 1.*

4. Ex verbis Apostoli. Ait Apostolus (Hebr. XIII, 10): *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Quibus verbis constat, apud Christianos esse altare, ac proinde sacrificium, de quo edunt, non secus ac apud Judæos. Atqui, apud Judæos in altari verum offerebatur sacrificium, de cujus victima Judæi manducabant. Ergo et apud Christianos, in altari verum offertur sacrificium, de cujus victima Christiani manducant. Porro, Christiani de altari nihil manducant quam Eucharistiam. Eucharistia est igitur verum sacrificium.

Simile argumentum deducitur ex verbis (I Cor. X, 16): *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?... Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum.*

II. **Ex jugi Traditione,** cujus testes sunt:

1. Rabbini, pro tempore ante Christum natum. Scripsit *Rabbi Pinhas:* « Tempore Messiæ omnia sacrificia cessabunt; sed sacrificium panis et vini nunquam cessabit; quia Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum, et Messias est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. »

Rabbi Judas, super illud Exodi XXV: *Pones super mensam panes propositionis* (hebraice: *panem facierum*), scribit: « Transmutabitur ex substantia panis, quum sacrificabitur, in substantiam corporis Messiæ, et ipse idem erit sacrificium. Ideo dicitur *respicietis ad offe-*

rendum mihi, id est, offerri me. Et Magistri dicunt eam ob rem dictum esse *panem facierum,* quia in ipso sacrificio erunt duæ substantiæ, humanitas et divinitas.» *(Cf. Tolet., T. IV, p. 321).*

2. Concilia. Concilium *Nicænum I, cap. 14,* de diaconis statuit: «Neque regula, neque consuetudo tradidit, ut ii, qui offerendi sacrificii non habent potestatem, iis, qui offerunt, corpus Christi porrigant.»

Ephesinum I: «In cœlos ascensionem pariter confitentes incruentam in Ecclesiis celebramus sacrificii servitutem.» *(In Epist. ad Nestorium).*

Chalcedonense, act. 3: «Sic nec terribile et incruentum est celebratum sacrificium.»

3. Decreta SS. Pontificum. *S. Clemens,* II a B. Petro, dicit: «In præsenti vita positos oportet nos agnoscere voluntatem Dei ubi et agendi et sacrificandi est locus, quoniam in aliis locis sacrificare et Missas celebrare non licet.» (*De Consecr., D. I, cap.* Hic ergo).

S. Anacletus: «Episcopus sacrificans testes secum habeat, et plures quam alius sacerdos.» (*De Consecr., D. I, cap.* Episcopus). Similia leguntur in decretis aliorum Pontificum. *Cf. Tolet, T. IV, p. 318.*

4. Liturgiæ. Diversæ et antiquissimæ existunt liturgiæ, ut Romana, Ambrosiana, Mozarabica, liturgia S. Marci, S. Cyrilli Alex., S. Basilii, S. Chrysostomi; his accedunt liturgiæ hæreticorum, id est, Nestorianorum, Jacobitarum, etc. Jamvero, omnes istæ liturgiæ, etsi in multis sunt inter se diversæ, mire tamen consentiunt in asserendo, Missam verum et proprie dictum esse sacrificium, in quo ipse Christus tanquam victima Deo offertur.

5. S. Patres. S. Patres, de Missa loquentes, eam unanimiter vocant *sacrificium, oblationem, immolationem, hostiam, victimam;* Christum in ea dicunt *offerri, sacrificari.* Quæ omnia indicant in Missa verum offerri sacrificium.

«Id enim sacrificium, *inquit S. August.,* successit omnibus illis sacrificiis V. T., quæ immolabantur in umbra futuri.» *(De Civit. Dei, l. XVII, n. 20). — S. Chrysost.:* «An non quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam... Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata.» *(Hom. 17, in Hebr., n. 3).*

III. **Ex Ratione.** 1. Sacrificium fundatur in ipsa natura, estque cum omni religione, sive vera sive falsa, tam intime connexum, ut religio absque sacrificio concipi nequeat. «Nulla fuit, *inquit S. August.,* gens tam barbara, quæ non sacrificaverit iis, quos putavit aut finxit esse Deos.» *(De Civit. Dei, l. I, c. 4).* Ergo etiam in religione christiana, utpote omnium perfectissima, verum sacrificium adsit, necesse est. Porro, in

religione christiana, præter Missam nihil assignari potest, cui ratio sacrificii competat. Ergo concedendum est, Missam esse verum sacrificium.

2. Reperiuntur in Missa omnes proprie dicti sacrificii conditiones. Ipsa ergo verum est sacrificium.

Prob. antec. Sacrificium est essentialiter: *a)* oblatio rei sensibilis; *b)* soli Deo facta in ejus supremi dominii testimonium; *c)* per immutationem victimæ; *d)* ex legitima institutione. Jamvero, in Missa habetur:

a) Oblatio rei sensibilis; Deo enim offertur corpus et sanguis Christi, quæ, etsi in Eucharistia per se non sunt sensibilia, ratione tamen specierum sensibilia efficiuntur.

b) Soli Deo facta, etc.; Missa, sicut constat ex doctrina et praxi Ecclesiæ, soli Deo offerri potest; est enim essentialiter actus latriæ, quo supremum Dei dominium profitemur.

c) Immutatio victimæ, per realem scilicet aut æquivalentem ejus destructionem. Jamvero in Missa, victima, Christus scilicet, mystice immolatur et destruitur, tum in consecratione, in qua, gladio verborum, sanguis separatur a corpore; tum præsertim in communione, in qua Christus quoad esse sacramentale ita esse desinit, ut si alibi non existeret, quoad esse omnino destrueretur: quæ mystica immolatio seu destructio ad rationem veri sacrificii sufficit.

d) Ex legitima institutione; Christus ipse, Caput Ecclesiæ et principalis Sacerdos, Missam instituit, et sacerdotes, qui eam Deo offerrent, designavit, dum Apostolis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

1695. — Quæritur. *Quænam est præcise victima sacrificii Missæ* [1].

NB. Plura possunt in sacrificio Missæ distingui, nimirum: Christi corpus et sanguis, ejus anima et divinitas, species sacramentales sub quibus Christus continetur, et ipsa substantia panis et vini, ex qua conficitur Eucharistia. Quæritur ergo quodnam istorum victimæ rationem habeat.

[1] Cf. Isamb., In q. 83, D. 2, a. 10, p. 691; Mastrius, *De sacr. ord.*, n. 71, T. IV, p. 348.

Resp. 1. Id, quod Deo primo et per se offertur in Missa, et rationem victimæ possidet, est *corpus* et *sanguis* Christi, sicuti patet ex verbis Christi hoc sacrificium instituentis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; — hic est sanguis meus, qui pro vobis fundetur;* et sicuti a Tridentino, Sess. XXII, aperte statuitur.

2. Cum propter realem concomitantiam totus Christus adsit sub utraque specie, ideo ex consequenti totus Christus est victima hujus sacrificii, sicut etiam ex consequenti totus manducatur in communione.

3. Christus vero est victima hujus sacrificii non absolute in se spectatus, sed *quatenus contentus sub speciebus panis et vini.* Proinde, species panis et vini, licet non sint pars essentialis victimæ, necessario tamen requiruntur tanquam *essentialis conditio* ut habeatur victima.

Nec dici potest, species, utpote quæ sint partes essentiales sacramenti, esse etiam partes essentiales victimæ sacrificii: sacramentum enim est essentialiter signum sensibile; idcirco sacramentum Eucharistiæ ex corpore Christi et speciebus essentialiter constet, necesse est. *(Cf. n. 1650).* E contra, ad rationem sacrificii sat est, ut res oblata sit sensibilis per accidens.

4. Demum, ipsa panis et vini substantia aliquo modo dici potest offerri in Missa. Etsi enim nullo prorsus modo sit victima, nec pars victimæ, prærequiritur tamen substantia panis et vini tanquam *materia ex qua* et *terminus a quo:* si enim panis et vini substantia in Christi corpus et sanguinem non converteretur, deficeret victima, quæ Deo in Missa offerretur.

CAPUT II.

DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ.

1696. — Plures in Missa exercentur actiones, quibus sacrificium absolvitur. Prima est *consecratio;* secunda, *oblatio* post consecrationem statim facta his verbis: *Unde et memo-*

res, etc.; tertia est *fractio hostiæ*; quarta, *communio sacerdotis*. Quæritur ergo, in quanam ex his actionibus sacrificii ratio essentialiter consistat.

Plures proferuntur sententiæ. Nonnulli essentiam sacrificii in sola oblatione, alii in sola fractione hostiæ, alii in sola sacerdotis communione reponunt. Quæ tamen opiniones hodie ab omnibus communiter rejiciuntur, et merito quidem. Quare in eis refutandis immorandum non est; sed statim duas sententias probabiliores et communiores exponemus.

1697. — I. Prima docet, *in sola consecratione essentiam sacrificii Missæ adæquate consistere*, sumptionem vero seu communionem solum requiri tanquam partem integrantem. Ita Suarez, Gonet, Frassen, cum multis aliis, præsertim recentioribus.

Ratio est, quia in consecratione adsunt omnia ad verum sacrificium constituendum requisita, nempe: *oblatio* et *immutatio* victimæ.

a) Adest oblatio, non quidem in actu signato et verbis expressa, sed *in actu exercito*; in consecratione enim victima sistitur in altari, quæ positio victimæ in ordine ad immolationem est vera ejus oblatio. Sicut, v. gr., Abraham ponendo filium super struem lignorum ut immolaret, ipsomet actu filium Deo vere obtulit, licet nulla protulerit verba.

b) Adest immutatio victimæ. Vi verborum sub specie panis ponitur solum corpus, et sub specie vini, solus sanguis Christi; ac proinde gladio verborum sanguis realiter separatur a corpore, et Christus vere sed mystice immolatur. Quæ mystica immolatio est vera Christi immutatio, et ad rationem sacrificii sufficit, licet per naturalem concomitantiam totus Christus sub utraque specie existat.

Alii tamen theologi, præsertim inter recentiores, aliter hanc Christi immolationem in consecratione explicant. Dicunt, Christum per consecrationem destrui humano modo, eo quod in statum deciliorem ponitur, atque impar fit actibus vitæ corporeæ connaturaliter eliciendis, et ordinatur ad alios diversos usus per modum cibi et potus; unde consecratione Christus velut mortuus constituitur. Quæ Christi in statum deciliorem

positio, vera est ejus immutatio, et ad sacrificii rationem sufficit; non secus ac vinum, quod effunditur in terram, licet esse non amittat, vere tamen sacrificatur, quia ponitur in statum decliviorem, et ad consuetos usus inhabilis redditur.

Hanc primam sententiam S. Alphonsus vocat *valde probabilem et communiorem, (Mor., l. VI, n. 305),* eamque prius amplexus est; postea tamen, re profundius perpensa, deseruit, ut sequentem, quam probabiliorem vocat, amplecteretur.

1698. — II. Secunda et probabilior sententia docet, essentiam sacrificii Missæ consistere *partialiter in consecratione, et partialiter in communione sacerdotis,* ita ut et consecratio et communio sint partes essentiales, ex quibus coalescit sacrificium; quarum una si deficiat, sacrificium non solum non integratur, sed nullatenus offertur. Ad sacrificium enim duo essentialiter concurrunt: victimæ *oblatio* et *destructio;* in consecratione, victima, id est, Christus quatenus existens sub speciebus, in altari ponitur et Deo offertur; in communione vero destruitur.

Licet enim in consecratione, propter mysticam separationem sanguinis a corpore jam habeatur mors mystica Christi, licet per verba consecrationis Christus ponatur in statum decliviorem, attamen nec illa mors mystica, nec illa positio Christi in statum decliviorem sunt sufficiens illius, quæ in Missa offertur, victimæ destructio; ac proinde in Missa, ad veri sacrificii rationem, alia requiritur victimæ destructio, quæ in sola sacerdotis communione peragitur.

1699. — **Prop.** *Sacrificium Missæ essentialiter consistit tum in consecratione tum in communione sacerdotis* [1].

Prob. 1. Pars, scilicet: *Consecratio est de essentia sacrificii.*

[1] Cf. Salmanticenses, *De Euch.,* Disp. XIII, dub. 2, n. 25 et seq.; Isamb., In q. 83, disp. 3, p. 694; Bellarm., *De Missa,* l. I, c. 27, prop. 7 et 8; Mastrius de Meld., *De Sacr. Ord.,* q. IV, art. 2 et seq., p. 359; Maurus, *Opus theol.,* Tom. III, q. 194, p. 341; Poncius, *Curs. theol.,* Disp. 45, q. X, concl. 2, p. 620; Gavatius, *De Euch.,* P. II, disp. I, q. 3, c. 2, p. 577.

Hæc prima pars probatione vix indiget, cum ab omnibus, si unum alterumve singulariter sentientem excipias, admittatur. Probatur igitur breviter ex ratione.

I. **Ex Ratione sacrificii in genere.** De essentia cujusque sacrificii est rei, quæ debet sacrificari, *oblatio*. Atqui in Missa, hæc oblatio in sola consecratione peragitur: in hac enim sola Christus, victima in Dei honorem immolanda, super altare ponitur, et hac positione actu exercito Deo simul offertur. Ergo consecratio est pars essentialis sacrificii.

II. **Ex Ratione sacrificii Missæ.** Incruentum Missæ sacrificium, sicut declarat Tridentinum, Sess. XXII, cap. 1, est essentialiter repræsentatio cruenti sacrificii Crucis, in quo sanguis a corpore Christi fuit realiter separatus. Atqui, incruentum Missæ sacrificium per solam consecrationem, in qua sola, gladio verborum, sanguis mystice separatur a corpore Christi, cruentum Crucis sacrificium repræsentat. « Repræsentatio dominicæ passionis, *inquit S. Th.*, agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti. » *(P. 3, q. 80, a. 12, ad 3)*. Ergo.

III. **Ex Ratione potestatis sacerdotalis.** Illud est pars essentialis sacrificii, ad quod peragendum potestas sacerdotalis directe et per se primo ordinatur: nam sacerdotium et sacrificium sunt correlativa, et unum habet ordinem intrinsecum ad alterum. Atqui, in nova lege potestas sacerdotalis directe et per se ordinatur ad consecrandum corpus Christi, sicuti constat tum ex verbis, quæ Ecclesia ad ordinandos dirigit: *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, etc.; tum ex institutione Christi, qui, dicendo Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*, eos sacerdotes instituit, et simul ordinavit ut ipsi corpus et sanguinem suum offerrent. *(Cf. Trid., Sess. XXII, can. 2)*. Consecratio igitur est pars essentialis sacrificii Missæ.

IV. **Ex Ratione ipsius offerentis.** In incruento Missæ sacrificio principalis offerens est Christus Dominus, in cujus nomine sacerdos ministerialis hoc sacrificium Deo offert. *(N. 1705)*. Ea igitur pars Missæ est de hujus sacrificii essentia, in qua præcipue minister agit in nomine Christi. Porro,

præcipue in consecratione sacerdos ministerialis agit in nomine Christi, et tanquam ejus personam gerens. Consecratio igitur est pars essentialis Missæ.

Prob. II. Pars, scil.: *Communio sacerdotis est etiam pars essentialis sacrificii Missæ.*

I. **Ex Ratione veri sacrificii.** Ad verum et reale sacrificium requiritur vera et realis destructio rei oblatæ. Atqui, in sola consecratione non habetur vera et realis destructio rei oblatæ, scilicet ipsius Christi quatenus existentis sub speciebus. Ergo præter consecrationem ad essentiam Missæ requiritur communio sacerdotis, qua sacramentalis existentia Christi destruitur.

« Nec obstat dicere, *ait S. Alph.*, quod in consecratione jam habetur mors mystica (propter separationem sanguinis a corpore vi verborum), et in tantum non habetur mors realis, in quantum propter naturalem concomitantiam, nequeunt Christi sanguis et anima a corpore separari. Nam respondetur quod si concomitantia illa naturalis impediat mortem, impedit etiam sacrificium, quod sine vera et reali destructione non consumitur. » *(Mor., l. VI, n. 305).*

II. **Ex Ratione victimæ.** Modus destruendi victimam debet proportionari tum victimæ, tum modo, secundum quem victima constituitur in ratione talis victimæ. Atqui, in sacrificio Missæ victima non est Christus simpliciter et absolute, sed præcise corpus et sanguis Christi, ut reproducti sub speciebus, per modum cibi et potus. Porro, modus destruendi cibum et potum est per realem manducationem et realem potationem, quæ fiunt in sola communione, non vero in consecratione. Ergo, si abstrahitur a communione, non datur in Missa destructio, qua victima deperdit illud suum esse substantiale, quod habet ut reproductum in hoc sacramento. Ergo ad essentiam sacrificii requiritur ipsa communio.

Quo argumento etiam manifestum est, positionem Christi in statum deliviorem, quæ fit in consecratione, non esse ad rationem hujus sacrificii sufficientem victimæ destructionem vel immutationem, quandoquidem Christus, quatenus sic existens in statu deliviori, est victima quæ destrui debet; ac

proinde præter illam Christi positionem in statum decliviorem ulterior requiritur victimæ immutatio, quæ nonnisi in sola communione habetur.

III. **Ex Ratione holocausti.** Incruentum Novæ Legis sacrificium, utpote omnium sacrificiorum nobilissimum, rationem habet veri holocausti. Jamvero, in Lege Veteri de essentia holocausti erant non sola victimæ oblatio ejusque realis mactatio, sed etiam vera et totalis ejus destructio per ignem, ita ut, antequam victima totaliter esset destructa, holocaustum essentialiter non consummaretur. Ergo nec nostrum incruentum sacrificium, utpote holocaustum, essentialiter perficitur nisi in communione sacerdotis. Ac proinde, præter consecrationem, præter mortem Christi mysticam aut ejus positionem in statum decliviorem, quæ in consecratione habentur, ad essentiam sacrificii Missæ requiritur communio.

IV. **Ex Inconvenienti.** « Si destructio non fieret per sumptionem, *inquit S. Alph.*, sequeretur quod sacrificium fieret in cœlo, non in altari; nam ut in altari fiat sacrificium, opus est ut prius ibi victima ponatur integra, et deinde destruatur. Cum autem in consecratione panis vi verborum veniat tantum corpus a sanguine separatum: sequitur præsupponi destructio jam facta in cœlo ubi Christus integer manet. » *(Loc. cit.)*

1700. — Quæritur. *Utrum ad essentiam sacrificii Missæ requiratur utriusque speciei consecratio.*

Resp. *Controvertitur. Prima sententia docet*, satis esse ad sacrificii essentiam, ut unica species consecretur. Ratio est, tum quia per unius speciei consecrationem totus et integer Christus offertur, simulque jam repræsentatur mors Christi, cum vi verborum ponatur tantum corpus sine sanguine, vel sanguis sine corpore, qua mystica separatione mors Christi designatur; tum quia, ut alii dicunt, in consecratione et sumptione unius speciei jam habentur oblatio et mactatio victimæ, quæ ad essentiam sacrificii sufficiunt.

« Secunda sententia vero communior et probabilior affirmat, *ait S. Alph.*,... Ratio est, quia sacramentum altaris debet esse rememorativum sacrificii cruenti a Christo in cruce peracti, ut declarat Trident. quod docet, quod Christus obtulit corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini, *ut... suæ Ecclesiæ visibile... relinqueret sacrificium, quo cruentum* (nota) *illud semel in cruce peragendum re-*

præsentaretur. Unde si una tantum species consecraretur, etsi vi verborum poneretur corpus exsangue, vel etsi per sumptionem haberetur mactatio, non tamen exprimeretur sanguinis effusio, quod non fit nisi per utriusque speciei consecrationem, per quam proprie significatur separatio sanguinis a corpore, juxta dictum S. Cyrilli: *Gladio verborum sanguis separatur a corpore.*» *(Mor., l. VI, n. 306)*.

—

CAPUT III.

DE RELATIONE SACRIFICII MISSÆ CUM SACRIFICIO CRUCIS ET CUM ULTIMA CŒNA.

Incruentum Missæ sacrificium, propter realitatem victimæ quæ in eo offertur, est reale, verum, proprie dictum sacrificium *(cf. n. 1694)*; at verum illud sacrificium intimam relationem habet et cum cruento Crucis sacrificio, et cum sacrificio in ultima cœna peracto: de qua duplici relatione quædam addere juvat.

ARTICULUS I.

DE RELATIONE SACRIFICII MISSÆ CUM CRUCIS SACRIFICIO.

1701. — Prop. I. *Incruentum Missæ sacrificium a cruento Crucis sacrificio non differt quoad substantiam, sed quoad modum offerendi.*

1. *Non quoad substantiam.* — Ea sacrificia quoad substantiam non differunt, sed sunt unum et idem sacrificium, in quibus et eadem est numero victima et idem principalis offerens. Atqui, in sacrificio Missæ et in Crucis sacrificio eadem est numero victima idemque principalis offerens, scilicet Christus Dominus, qui in utroque sacrificio est hostia simul et sacerdos. Ergo incruentum Missæ sacrificium est idem cum Crucis sacrificio.

Minor constat ex Trid., Sess. XXII, cap. 2, in quo legimus: «In hoc divino sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis seipsum cruente obtulit... Una eademque est hostia, idemque nunc offerens sacerdotum

ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. »

Et *S. Thomas.* (*P. 3, q. 22, a. 3, ad 2*) : « Sacrificium, *inquit*, quod quotidie in Ecclesia offertur, non est aliud a sacrificio quod Christus obtulit, sed ejus commemoratio. Unde Augustinus dicit: Sacerdos ipse Christus offerens, ipse et oblatio; cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium. »

2. *Sed differt quoad modum offerendi.* — Ritus sacrificii, seu ratio offerendi, consistit in quibusdam adjunctis, quæ extra sacrificii substantiam versantur, quorum proinde differentia ipsum sacrificium substantialiter non diversificat.

Jamvero, ritus sacrificii Missæ in pluribus differt a ritu sacrificii Crucis. *a)* In cruce Christus oblatus est passibilis et mortalis; in Missa offertur qualis nunc in cœlis existit, impassibilis et immortalis. — *b)* In cruce Christus seipsum immediate Deo Patri obtulit; in Missa sese offert sacerdotum ministerio. — *c)* In cruce sanguis Christi physice a suo corpore fuit separatus, et Christus morte reali et physica immolatus est; in Missa, oblatio est incruenta, sanguis non realiter sed mystice tantum separatur a corpore, et mystica tantum mors Christi habetur: « In semetipso immortaliter et incorruptibiliter vivens, *ait S. Greg.*, pro nobis iterum in hoc mysterio moritur. » *(De Consecr., D. 2, caput: Quid sit).* — *d)* In sacrificio Crucis, Christus nostram liberationem meruit; in sacrificio Missæ nihil de novo meretur.

1702. — Prop. II. *Incruentum Missæ sacrificium est commemoratio, repræsentatio, continuatio, multilocatio, et applicatio cruenti Crucis sacrificii.*

I. Est commemoratio. Missæ sacrificium est memoriale passionis Domini, ad hoc institutum, ut cruentum Christi sacrificium jugiter in nostram memoriam revocet, secundum illud Apostoli (I Cor. XI, 26): *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

In cujus rei gratia in canone dicitur: « Unde et memores Domine, nos servi tui, sed et plebs sua sancta,... tam beatæ passionis, etc. » Et *S. Ambrosius:* « In Christo, *inquit*, semel oblata est

hostia, ad salutem sempiternam potens; quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? sed ad recordationem mortis ejus. » *(Ad Hebr. X).*

2. Est repræsentatio. — Missæ sacrificium ita est sacrificii Crucis commemoratio, ut sit etiam simul vivida ejusdem repræsentatio. « Celebratio hujus sacramenti, *ait S. Th.*, imago quædam est repræsentativa passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio. » *(Q. 83, a. 1).* — Et Tridentinum, *Sess. XXII, cap. 1,* docet Christum hoc visibile sacrificium instituisse, « quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repræsentaretur; ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret. »

Plura in Missa occurrunt, quibus dominica passio nobis repræsentatur. In ipsa consecratione, vi verborum, ex una parte solum corpus exsangue, ex altera vero solus sanguis ponitur, et sic Christus mystice jam immolatur. Qua mystica separatione sanguinis a corpore, figuratur et repræsentatur realis illa atque cruenta sanguinis effusio, vi cujus humanum Christi compositum in cruce destructum est.

Cruentam hanc Christi mortem figurat et repræsentat etiam sacerdotis communio, qua Christus, nostri sacrificii victima, esse suum sacramentale amittit.

Similiter « altare, *ait S. Th.*, est repræsentatio crucis ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est. » *(Q. 83, a. 1, ad 2).*

3. Est continuatio, seu potius *iteratio.* — Cum Missa sit quoad substantiam idem numero sacrificium cum sacrificio Crucis, ideo dici nequit, multa in Ecclesia offerri sacrificia. Etenim *Christus semel* tantum *oblatus est ad multorum exhaurienda peccata,* (Hebr. IX, 28); sicut etiam *una oblatione consummavit in æternum sanctificatos.* (Hebr. X, 14).

Unicum est igitur in Ecclesia sacrificium quoad substantiam; et illud substantialiter unum, quotidie ab innumeris sacerdotibus iteratur, renovatur, iterum Deo offertur; sicut, v. gr., si victima in cruento quodam sacrificio occisa, per miraculum ad vitam rediret, et super altare maneret iterum sacrificanda, non novum esset sacrificium, sed prius sacrificium continuatum et iteratum. « Iteratur quotidie hæc oblatio, *ait S. August.*, licet Christus semel passus sit. » *(De Consecr., D. 2, cap.* Utrum).

4. Est multilocatio. Sicut Christus in cruce semel mortuus, quotidie in Missa iterum moritur, et Deo Patri ad finem usque mundi offertur, ita etiam Christus in uno terræ angulo mortuus, in Missa ubique terrarum iterum moritur et Deo Patri offertur, ut verificetur illud Malachiæ, I, 11: *In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Ac proinde, magnum istud mysterium quod semel peractum est in Calvario, quotidie peragitur in universo mundo, quoties Missa celebratur.

Sacrificium ergo Missæ est relate ad passionem Christi, id quod est præsentia Christi realis in Eucharistia relate ad ipsum Christum præsentem in cœlis; et quemadmodum ipsa Eucharistia est quasi extensio Incarnationis ad omnia loca et tempora, ita etiam Missa est quasi extensio sacrificii Crucis ad omnia loca et tempora.

5. Est applicatio[1]. — Cruento Crucis sacrificio Christus opus nostræ Redemptionis consummavit, sufficientissimumque salutis nostræ pretium Deo Patri exsolvit. *(Cf. n. 1019 et seq.).* Hoc autem salutis nostræ pretium se habet tanquam causa universalis, quæ ad effectus particulares producendos debet mediantibus causis secundis applicari.

Proinde Redemptio per sacrificium Crucis consummata, debet, ut nobis prosit, per media quædam determinata nobis particulariter applicari; et hoc quidem, non propter ipsius Redemptionis defectum, sed ob peculiarem Christi Domini institutionem. Quæ applicatio fit tum per sacramenta tum per Missæ sacrificium, *teste Trid., Sess. XXII, cap. 2:* « Cujus quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur. » Et *S. Th.:* « Per hoc sacramentum, *inquit*, participes efficimur fructus dominicæ passionis. Unde in quadam dominicali oratione secreta dicitur: *Quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ Redemptionis exercetur.* » *(Q. 83, a. 1).*

Quapropter, sicut Christus nobis sacramenta instituit, per quæ suscipientibus applicetur salutifera virtus sacrificii Crucis;

[1] Cf. Salmantic., Disp. XIII, dub. 1, n. 12; Isamb., In q. 83, Disp. 2, a. 2 et 3.

ita etiam semetipsum in hoc sacrificio tradidit immolandum, ut ejus oblatione tum offerentibus tum iis, pro quibus offertur, passionis fructus communicentur.

Est igitur sacrificium Crucis nostræ Redemptionis *consummativum;* sacrificium vero Missæ, nostræ Redemptionis *applicativum;* et idcirco, licet modo diverso, « quidquid est effectus dominicæ passionis, totum etiam est effectus hujus sacramenti. » *(S. Th., P. 3, q. 65, a. 3).*

Et quia quotidie indigemus dominicæ passionis fructibus, ideo quotidie etiam debet offerri sacrificium hujus fructus applicativum. « Iteratur quotidie hæc oblatio, *ait S. August.*, licet Christus semel passus sit, quia quotidie peccamus... Et ideo, quia quotidie labimur, Christus quoque mystice pro nobis immolatur. » *(De Consecr., D. 2, cap.* Utrum).

Corollarium. — Ex dictis intelligere licet, cur nostrum Missæ sacrificium sacrificio Crucis nullam irroget injuriam, sicuti contra protestantes definivit Trident., Sess. XXII, can. 4: « Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per Missæ sacrificium; aut illi per hoc derogari; A. S. »

Enimvero, offertur Missæ sacrificium non ut aliquid suppleat, quod Crucis sacrificio desit, nec ut aliquid de novo mereatur, quod Christi passio non fuerit promerita: per hoc utique dignitati sacrificii Crucis derogaretur. Sed offertur ut cuilibet particulariter appropriet salutis pretium in cruce pro omnibus communiter exsolutum, salutiferosque passionis fructus cuilibet homini, pro quo offertur, particulatim applicet. Sicut, v. gr., nulla fit injuria soli, quasi foret impotens illuminare, si quis crystallo utatur, quo sibi intensius solares radios applicet.

ARTICULUS II.

RELATIO MISSÆ CUM ULTIMA CŒNA [1].

1703. — Sacrificium Missæ cum sacrificio in ultima cœna oblato in multis convenit, et in quibusdam differt.

I. *Sacrificium Missæ est substantialiter idem cum sacrificio ultimæ cœnæ.* — In utroque enim eadem est victima,

[1] Cf. Isamb., In q. 83, Disp. 2, a. 6; Tolet., *De Sacrif. M.*, contr. 3, T. IV, p. 334.

idemque principalis offerens, scilicet Christus Dominus, hostia simul et sacerdos.

II. *Sacrificium Missæ et ultimæ cœnæ conveniunt in ratione offerendi, seu in ritu sacrificii.* — In utroque enim Christus non cruente, sed incruente, nec in propria specie, sed quatenus existens sub speciebus panis et vini, oblatus est.

III. *Sacrificium Missæ et ultimæ cœnæ in eo etiam conveniunt quod utrumque est sacrificii Crucis applicativum.* — Christus in ultima cœna seipsum Deo Patri obtulit modo incruento, ut per hoc sacrificium, Ecclesiæ et Apostolis, qui ultimæ cœnæ intererant, fructum Redemptionis mox in ara crucis peragendæ applicaret.

IV. *Sacrificium Missæ a sacrificio ultimæ cœnæ in quibusdam accidentalibus differt.* — Differt:

a) In qualitate rei oblatæ. — In ultima cœna Christus oblatus est mortalis; in Missa offertur immortalis et gloriosus.

b) In offerente proximo et immediato. — In ultima cœna Christus seipsum immediate, absque sacerdotis ministerio, Deo Patri obtulit; in Missa seipsum offert sacerdotum ministerio.

c) In ratione significandi. — Passionem figurabat ultima cœna ut futuram et peragendam; eamdem figurat et repræsentat Missa ut peractam et præteritam.

d) In effectu morali. — Missa non est sacrificium meritorium, sed unice applicativum illius meriti, quod Christus morte sua acquisivit. — Sacrificium ultimæ cœnæ fuit applicativum simul et meritorium. Christus enim illud obtulit in statu viæ adhuc existens; ac proinde fuit sacrificium infiniti valoris atque meriti, tam ad satisfaciendum quam ad merendum, sicut omnia alia opera, quæ Christus in vita sua mortali peregit. Proinde, sacrificium ultimæ cœnæ fuit ex se sufficientissimum, absque Crucis sacrificio, ad exsolvendum Deo salutis nostræ prætium; licet de facto salutem nostram non consummaverit propter expressam Christi ordinationem, qui opus Redemptionis nostræ per solam suam mortem consummare statuerat. *(Cf. n. 1030).*

CAPUT IV.

DE CELEBRATIONE SACRIFICII MISSÆ.

1704. — De celebratione sacrificii Missæ, de ministro offerente, de subjecto, pro quo Missa offerri potest, de cæremoniis in celebratione Missæ servandis, etc., utpote de rebus ad praxim pertinentibus multa disserit theologia moralis. In iis ergo non immorabimur. *De sola persona ministri, in quantum est offerens, quædam dicentur.*

Protestantes, qui nullum clericos inter et laicos discrimen divinitus constitutum agnoscunt, omnibus fidelibus jus concedunt conficiendæ Eucharistiæ, seu cœnæ, ut vocant.

Docet autem doctrina catholica: *a)* Christum Dominum esse principalem et primarium sacerdotem, qui hoc incruentum sacrificium offert; *b)* ministrum vero secundarium esse solum sacerdotem legitime ordinatum; *c)* alios fideles autem offerentes dici posse sensu quodam lato et improprio.

1705. — **Prop. I.** *In sacrificio Missæ principalis offerens est Christus Dominus.*

De fide, ex Later. IV, cap. *Firmiter*, in quo legimus: « Idem ipse sacerdos et sacrificium Jesus Christus. » — Et ex Trid., Sess. XXII, cap. 2: « Una eademque est hostia, *idem nunc offerens* sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (P. CIX, 4): *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Jamvero, cum sacerdotio correspondere debeat sacrificium, nulla alia causa assignari potest, cur Christus vocetur sacerdos in æternum, et quidem secundum ordinem Melchisedech, nisi quia illud sacrificium, in ultima cœna sub speciebus panis et vini oblatum, quotidie iterat et offert, non immediate per seipsum, sed sacerdotum ministerio.

II. **Ex Traditione.** Agens de munere Christi in sacramento Eucharistiæ, ait *S. August.*: « Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, et ipse oblatus. Cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium. » *(De Civ. Dei, l. X,*

c. 20). — Et *S. Joan. Chrysost.:* « Qui tunc in illa cœna hæc confecit, et nunc etiam operatur. » *(Hom. in Matth. 82, n. 5).*

III. **Ex Ratione.** Ille dicitur et est principalis causa alicujus actus, in cujus persona actus ille a ministro vel legato ponitur; sicut, v. gr., reverentia, quam regius legatus SS. Pontifici exhibet, ab ipso Rege principaliter exhiberi censetur. Atqui, sacerdotes Eucharistiam conficientes agunt tanquam ministri, in persona ipsius Christi, sicut constat ex verbis consecrationis quæ in persona Christi proferuntur, et sicut definitum est a Florentino, *decr. pro Armenis:* « Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. » Ergo in sacrificio Missæ principalis offerens est Christus Dominus.

1706. — **Quæritur.** *Qua ratione Christus sit in sacrificio Missæ principalis offerens* [1].

Resp. Nonnulli docent cum Vasquez, Christum remote tantum et mediate concurrere ad sacrificium Missæ, in quantum scilicet ab initio hoc sacrificium instituit, et delegavit ministros qui illud suo nomine offerrent, eique suæ passionis merita applicuit: quod sufficit ut sacrificium Christo, tanquam principali sacerdoti, moraliter tribuatur.

Verior tamen et communior sententia docet, Christum in sacrificio Missæ esse principalem offerentem, non solum quia illud instituit, aut celebrari jussit, aut merita passionis suæ eidem applicavit; sed etiam et præcipue quia ipse nunc offert *actu* cum ipso ministro, ita ut actuali oblatione quælibet Missa Deo offeratur tum a sacerdote, tum ab ipso Christo.

« Sicut Christus, *aiunt Salmantic. (loc. cit.)*, secundum humanitatem concurrit instrumentaliter ad omnes et singulas conversiones, sive transsubstantiationes, quæ in Ecclesia fiunt; ita etiam cogitat de omnibus et singulis sacrificiis, et ea vult, et Deo offert: atque ideo est immediatus offerens in ratione præcipui sacerdotis, oblatione formali, actuali et elicita. »

Ex quo facile intelligitur, quomodo Missæ sacrificium æque operetur atque fructus suos producat, sive a bono sive a malo ministro offeratur, cum principalis offerens sit semper sanctus, semper Deo gratus.

[1] Cf. Gibbon, Tr. IV, Disp. 26, dub. 1; Salmantic., Disp. XIII, dub. 3, § 1; Suarez, Disp. 77, sect. 1.

1707. — Prop. II. *Solus sacerdos rite ordinatus Missæ sacrificium valide celebrare potest.*

De fide, ex Later. IV, cap. *Firmiter*, in quo definitur: « Hoc sacramentum nemo potest conficere, nisi solus sacerdos qui fuerit rite ordinatus. » — Et ex Trid., Sess. XXII, can. 2.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Luc. XXII, 19): *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde sic: Missæ sacrificium offerendi illi soli potestatem habent, quibus a Christo data est. Atqui hæc potestas data est solis Apostolis eorumque successoribus; eis quippe solis dixit Christus: *Hoc facite*, etc. Ergo ipsi soli eorumque successores potestatem habent offerendi sacrificium.

II. **Ex Analogia.** In Lege Veteri divinitus cautum erat, ne omnes indiscriminatim victimas offerrent; sed hoc munus soli tribui Levi divinitus concreditum erat. Ergo, a fortiori, nec in Nova Lege, in qua augustius existit sacrificium, omnibus indiscriminatim concessam esse sacrificandi potestatem censendum est.

III. **Ex Traditione.** *In Constitutionibus apostolicis (l. II, const. 31),* de sacrificii oblatione legimus: « Omnis laicus sine sacerdote aliquid attentans, frustra facit. » — Et *Concil. Nicæn. I, can. 18*, prohibet ne diaconi presbyteris communionem porrigant, quia, *inquit:* « nec canon, nec consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi potestatem non habent, his qui offerunt, dent Corpus Christi. »

Accedunt Patrum testimonia. — Agens de quodam Hilario, diacono, qui ab Ecclesia recesserat, ait *S. Hieronymus:* « Hilarius cum diaconus de Ecclesia recesserit, neque Eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens. » *(Adv. Lucifer., II).* — Et *S. Epiphanius:* « Neque diaconis ecclesiastica regula concreditum est peragere sacrificii mysteria, sed ministrare tantum dum perficiuntur. » *(Hær. 79, n. 4).*

Porro, si diaconi potestatem offerendi non habent, a fortiori eamdem non habent laici.

IV. **Ex Ratione.** 1. Jam supra demonstratum est *(n. 1459)*, non omnes fideles esse omnium sacramentorum ministros; ac proinde nec sacramenti Eucharistiæ. Porro, Eu-

charistiæ confectio est sacrificii oblatio. Ergo nec omnes fideles sacrificium offerre possunt.

2. Si potestas sacrificii offerendi omnibus fidelibus communis esset, jam in Ecclesia nulla foret membrorum distinctio, nullave hierarchia; sed omnes fideles quoad supremum munus in Ecclesia exercendum, (quod est corporis et sanguinis Christi consecratio), inter se pares existerent. Atqui, opponitur hoc doctrinæ Apostoli distinguentis in Ecclesia varia officia, variaque sibi invicem membra ordinata, ut in tractatu de Ecclesia notatum est. *(Cf. n. 180 et seq.)*

1708. — Prop. III. *Ecclesia et quilibet fidelis aliquo sensu dici possunt offerre sacrificium Missæ.* — Certa.

Prob. I. **Ex Liturgia.** Ex liturgia manifeste ostenditur, sacrificium Missæ non esse sacrificium solius sacerdotis, sed totius populi. Ante canonem, sacerdos celebrans hæc habet ad assistentes: « Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat, etc. » — Deinde in canone orat: « Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum,.... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium. — Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, etc. Unde et memores nos servi tui, sed et plebs tua sancta... offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, etc. » — Quæ omnia satis innuunt, omnes fideles aliquo modo Missæ sacrificium offerre.

II. **Ex Ratione.** Ille, in cujus persona peragitur aliquid ab alio tanquam a ministro vel mediatore, censetur illud ipsum aliquo modo operari. Atqui, sacerdos, dum Missam celebrat, ipsam tanquam legatus Ecclesiæ et omnium fidelium Deo offert, *teste S. Th.:* « Sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit. » *(Q. 80, a. 12, ad 3).* Et: « Oratio in Missa profertur a sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cujus sacerdos est minister. » *(Q. 82, a. 6).* Ergo.

1709. — Quæritur. *Quomodo fideles ad offerendum Missæ sacrificium concurrant* [1].

Resp. Fideles non immediate et rigorose hoc sacrificium offerunt, sed mediate tantum, mediante scilicet sacerdote celebrante. Verum

[1] Cf. Salmantic., disp. XIII, dub. 3, § 2.

in mediato illo modo tres adhuc sunt diversi gradus: *a)* Primus modus est omnino generalis, et in eo consistit quod omnes fideles sunt membra Ecclesiæ, in cujus nomine sacerdos Missam celebrat. — *b)* Secundus modus est magis specialis, et in eo consistit quod fideles hoc sacrificium offerri procurant, v. gr., stipendium exsolvendo. — *c)* Tertius modus est adhuc specialior, quando scilicet fideles immediatius ad sacrificii celebrationem concurrunt, v. gr., assistendo, vel sacerdoti respondendo, vel ei celebranti ministerium exhibendo.

Quo immediatius fideles ad hujus sacrificii celebrationem concurrunt, eo magis etiam, cæteris paribus, sacrificii fructus participant.

—

CAPUT V.

DE EFFECTIBUS SACRIFICII MISSÆ [1].

1710. — Prænotanda. — 1. Nomine *effectus* sacrificii, tria possumus intelligere, nimirum: sacrificii *efficaciam*, *valorem*, et *fructum*.

Efficacia est complexus omnium effectuum, quos producit Missæ sacrificium, et modus, quo eos producit; sive effectus relate ad Deum, sive relate ad homines considerentur.

Valor est ipsa virtus, quam possidet Missæ sacrificium ad suos effectus producendos; seu est moralis dignitas, quam sortitur sacrificium tum ex persona offerentis, tum ex parte rei oblatæ.

Fructus vocantur ipsa bona, quæ intuitu illius sacrificii, hominibus a Deo conferuntur.

2. Ad dijudicandum quinam sint effectus sacrificii Missæ, meminisse sufficit Missæ sacrificium esse substantialiter idem ac Crucis sacrificium, atque in Missa applicari fructum, quem Christus in cruce nobis promeruit.

Ex consequenti dicendum est cum Ecclesia: « Quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ Redemptionis exercetur. » *(In Missa Dom. IX post Pentec.)*; et cum *S. Th.*:

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, l. VI, n. 311 et seq.; *Cont. hær.*, sess. XXII; Salmantic., Disp. XIII, dub. 5; Gibbon, Disp. 27, dub. 2.

« Quidquid est effectus dominicæ passionis, est effectus hujus sacramenti. » *(In Joan. VI, lect. 6)*; et cum *S. Alph.*: « In qualibet Missa invenitur omnis fructus, quem Christus operatus est in Cruce. » *(Selva, P. II, instr. 1)*.

3. Quam ob rem, sicut Crucis sacrificium, quod vetera sacrificia consummavit et evacuavit, fuit *latreuticum*, *eucharisticum*, *propitiatorium* et *impetratorium*, *(cf. n. 946)*, ita et nostrum Missæ sacrificium est: *latreuticum* et Deo infinitum tribuit honorem atque gloriam; *eucharisticum* et Deo pro acceptis beneficiis immensas atque infinitas defert gratiarum actiones; *propitiatorium* et nobis peccatorum remissionem procurat; *impetratorium* et nos maximis tum spiritualibus tum temporalibus cumulat beneficiis.

4. Protestantes, qui Missæ sacrificium non ut verum et reale sacrificium, sed tanquam nudam sacrificii Crucis commemorationem tenent, ex consequenti Missæ sacrificio omnem virtutem propitiatoriam et impetratoriam denegant. Quocirca probandum est: I. Missam esse sacrificium propitiatorium simul et impetratorium. Quo probato, II. Considerandus est modus quo Missa suos effectus producit.

ARTICULUS I.

DE SACRIFICIO MISSÆ QUATENUS EST PROPITIATORIUM ET IMPETRATORIUM.

1711. — *Sacrificium propitiatorium* est sacrificium Deo oblatum pro remissione peccatorum quoad culpam et quoad pœnam. *(Polm.)*.

Sacrificium impetratorium est sacrificium oblatum Deo, pro beneficiis ab eo impetrandis. *(Polm.)*.

Prop. I. *Sacrificium Missæ est propitiatorium tam pro vivis quam pro defunctis.*

De fide, ex Trid., Sess. XXII, can. 3: « Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel solum prodesse sumenti: neque pro

vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; A. S. »

NB. Cum sacrificium propitiatorium offeratur pro remissione peccatorum tum quoad culpam tum quoad pœnam, inde duo sunt probanda, videlicet: I. sacrificium Missæ valere ad remissionem ipsius peccati tam mortalis quam venialis; II. ipsum valere ad remissionem pœnæ peccatis debitæ.

Prob. I. Pars: *Quoad remissionem culpæ.*

I. **Ex Script. S.** Legimus (Matth. XXVI, 28): *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur* (græce: *effunditur*) *in remissionem peccatorum.* Quæ verba, in institutione sacrificii Missæ prolata, clare indicant, remissionem peccatorum esse hujus sacrificii effectum.

(Hebr. V, 1): *Omnis namque Pontifex... pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Officium igitur sacerdotis est offerre sacrificium in remissionem peccatorum. Porro, in Novo Fœdere, Missa est unicum sacrificium. Ergo valet pro remissione peccatorum.

II. **Ex Tridentino,** Sess. XXII, cap. 2, in quo legimus: « Docet S. Synodus sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac pœnitentes, ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit. »

III. **Ex Traditione,** cujus testes sunt S. Patres et Liturgiæ.

1. *S. Patres,* remissionem peccatorum hujus sacrificii effectum esse, aperte docent. « Quid de Episcopo sentiendum est, *inquit S. Hieronymus,* qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est hostias? » *(In Tit. I, 8).* — Et *S. August.:* « Illis (Vet. Legis) sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum. » *(Q. 57 in Levit.).*

2. *Omnes Liturgiæ* testantur, Missam in remissionem peccatorum offerri. *Liturgia S. Basilii* hæc habet: « Da nobis,

ut sacrificium nostrum coram te acceptum sit, pro peccatis meis et pro insipientiis plebis tuæ.» — *Liturgia S. Marci:* « Ut in corde puro et pura conscientia tibi hoc incensum offeramus, in odorem suavitatis, et in remissionem peccatorum nostrorum et totius populi tui. »

IV. **Ex Ratione.** Sacrificium Missæ idem est quoad substantiam cum sacrificio Crucis, et singulis applicat fructus dominicæ passionis. Atqui, Crucis sacrificium fuit vere propitiatorium quoad remissionem culpæ. Ergo et sacrificium Missæ eamdem habet efficaciam.

2. In lege mosaica et in lege naturæ instituta erant sacrificia in remissionem peccatorum. *(Cf. Job. I, 5; XLII, 8; Levit. IV et seq.)* Atqui, sacrificium Missæ, utpote augustius sacrificiis Veteris Legis, est etiam eis efficacius. Ergo et Missæ sacrificium remissionem peccatorum operatur.

Prob. II. Pars: *quoad remissionem pœnæ.*

I. **Ex Script. S.** Legimus (II Machab. XII) Judam Machabæum præcepisse offerri sacrificia pro peccatis mortuorum; et additur: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Porro, animæ in purgatorio non aliter possunt a peccatis solvi, nisi quoad remissionem pœnæ. Si autem vetera sacrificia valebant ad remissionem pœnæ, illud a fortiori Missæ sacrificio concedendum est.

II. **Ex Tridentino,** quod in Sess. XXV, *Decret. de purgatorio*, docet, animas in purgatorio detentas « fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio juvari. »

III. **Ex Traditione,** cujus testes sunt:

1. S. Patres. Ait *S. Joan. Chrysost:* « Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia Spiritus disponit, volens ut nos mutuo juvemus. » *(Hom. in Act. XXI, n. 4).* — *S. Cyrillus Hier.:* « Maximum esse credimus animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, et tremendi, quod in altari positum est, sacrificii. »

2. Liturgiæ, quæ omnes præcipiunt Missæ sacrificium offerri pro defunctis, quibus sola pœnarum remissione prodesse potest.

IV. Argumenta **Rationis** eadem sunt ac in prima propositionis parte.

1712. — **Prop. II.** *Missæ sacrificium est impetratorium.*

De fide, ex Trident., Sess. XXII, can. 3, supra citato, in quo definitur, Missæ sacrificium offerri debere pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et *aliis necessitatibus.*

Prob. I. **Ex Analogia.** In Lege Veteri erant sacrificia impetratoria, quæ ad bona cum spiritualia tum temporalia obtinenda offerebantur. Sic. v. gr., David sacrificium obtulit ad avertendam pestem, *(II Reg. XXIV).* Ergo et Missæ sacrificium, quod veteribus successit, eorumque omnium virtutem et perfectionem complectitur, debet etiam esse impetratorium bonorum tam spiritualium quam temporalium.

II. **Ex Traditione,** cujus testes sunt:

1. S. Patres. — Ait *Tertullianus:* « Sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro, et ipsius. » *(Apolog., c. 39).* — *S. Joan. Chrysost.:* « Pro infirmis, et terræ, et maris et universi orbis fructibus sacrificamus. » *(Hom. 77 in Joan.)*

2. Liturgiæ et praxis Ecclesiæ. — Liturgia romana per antiqua varias exhibet Missas pro beneficiis cum spiritualibus tum temporalibus obtinendis. Missam continet pro iter agentibus, pro avertenda mortalitate, pro infirmis, ad postulandam pluviam, etc. — Similia in aliis liturgiis reperiuntur.

III. **Ex Ratione.** Missæ sacrificium est applicativum eorum fructuum, quos Christus in cruce moriens nobis promeruit. Atqui, Christus nobis meruit tum omnia bona spiritualia, tum omnia bona temporalia in quantum ad salutem conducunt. Ergo et Missa eorum bonorum applicationem operatur, non quidem meriti, sed impetrationis via.

1713. — **Quæritur.** *Quotuplex distinguitur fructus Missæ.*

Resp. Fructus Missæ triplex solet distingui, scilicet: *generalis, specialis, specialissimus. (S. Alph., Mor., l. VI, n. 312).*

Fructus generalis ille est, qui correspondet sacrificio, quatenus est opus positum a sacerdote ut operante nomine totius Ecclesiæ; directe pertinet ad totius Ecclesiæ commune bonum, ac proinde ad singula ejus membra, sive adhuc vivant, sive jam sint mortua.

Fructus specialis est ille, qui advenit tum eis, pro quibus celebrans sacrificium intendit applicare, tum sacrificio assistentibus vel ad illud concurrentibus, v. gr., ministrando celebranti.

Fructus specialissimus est ille, qui ipsi sacerdoti celebranti advenit. Fieri enim nequit, ut quis hoc sacrificium devote celebret, quin inde maximam reportet bonorum copiam.

1714. — Quæritur II. *An Missa habeat valorem infinitum.*

NB. Valor sacrificii Missæ considerari potest vel quoad *sufficientiam*, vel quoad *efficaciam* et *realem influxum;* sicut, v. gr., jejunium Christi habuit sufficientem valorem ad redimendum genus humanum, quod tamen de facto non redemit, quia noluit Christus, valorem illum sufficientem habere realem efficaciam absque passione.

Quibus notatis

Resp. A. — Si quæstio movetur de valore Missæ quoad *sufficientiam*, dicendum est, Missam habere in se valorem tam intensive quam extensive infinitum, ratione infinitæ dignitatis Christi, qui in hoc sacrificio est victima simul et principalis offerens. — Dicitur habere *valorem infinitum intensive*, quatenus fructum causare potest semper magis ac magis intensum juxta hominis dispositionem; et *valorem infinitum extensive*, quatenus infinitos effectus in innumeris hominibus producere valet.

B. — Si vero quæstio movetur de valore Missæ quoad *efficaciam* et *realem influxum*, magna est inter Doctores controversia.

Prima sententia docet, valorem Missæ quoad efficientiam esse tam *intensive quam extensive finitum.* — *Intensive*, quia quantitas fructus, quem Missa producere valet, limitata est ex voluntate Christi, qui noluit ordinare Missam ad conferendum efficienter fructum intensive infinitum, etiam si, ex hypothesi, homines effectus infiniti capaces essent, licet de se Missa talem effectum producere posset. Sicuti, v. gr., nec nostram Redemptionem per sanguinem in circumcisione effusum Christus consummare voluit, licet de se hæc sanguinis

effusio sufficientem valorem habuerit ad totius humani generis redemptionem. « Quamvis virtus Christi, qui continetur sub sacramento Eucharistiæ, *inquit S. Th.*, sit infinita, tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentum ordinatur. Unde non oportet quod per unum altaris sacrificium tota pœna eorum, qui sunt in purgatorio, expietur. » *(Suppl., q. 61. a. 14, ad. 2).*

Inde consequitur, valorem Missæ etiam *extensive* esse finitum, Missamque, si pro pluribus offeratur, minus prodesse singulis, ac si pro uno solo offeratur.

Secunda sententia docet, valorem Missæ quoad efficientiam esse tam *intensive quam extensive infinitum.* — *Intensive*, quia quantitas fructus, quem Missa producere valet, non est a voluntate Christi limitata, ac proinde Missa virtutem habet effectum majorem semper ac majorem de facto producendi, pro subjecti dispositione et capacitate; ita ut si daretur subjectum capax fructus infiniti, effectum infinitum reapse produceret. Quod si de facto Missa finitum tantummodo producit effectum, hoc non ex Christi ordinatione, sed ex finita tantum hominis capacitate provenit.

Inde consequitur, valorem Missæ etiam *extensive* esse infinitum, atque Missam, si pro pluribus offeratur, ita prodesse singulis, ac si uni soli applicaretur; non secus ac passio Christi, quam pro omnibus sustinuit, ita cuilibet prodest homini, ac si Christus pro ipso solo passus et mortuus esset.

Utraque sententia est probabilis; utraque a maximis Doctoribus propugnatur.

ARTICULUS II.

DE MODO, QUO MISSA SUOS EFFECTUS PRODUCIT.

1715. — Prænotanda. — Missæ sacrificium, ut supra notatum est *(n. 1701 et 1702, 5)* nihil de novo meretur, sed dominicæ passionis fructus nobis applicat. Operatur ergo per modum impetrationis, movendo scilicet Deum ut bona, quæ Christus in cruce meruit, de facto nobis applicet.

Sed et effectus, quos Missa via impetrationis producit, multipliciter sortiri potest, nimirum:

1. *Mediate* vel *immediate.* — *Mediate* producit effectum, quando aliquid nobis impetrat, vi cujus effectus intentus producitur; ut v. gr., si gratiam sanctificantem augeat mediante actu caritatis. — *Immediate* producit, quando per se, nullo alio intermedio, effectum operatur.

2. *Ex opere operantis* vel *ex opere operato.* — *Ex opere operantis* effectum producit, si propter ministri offerentis sanctitatem et devotionem effectum sortitur. — *Ex opere operato*, quando intuitu meritorum Christi, atque vi propria rei oblatæ et principalis offerentis, independenter a ministri sanctitate et devotione, effectum producit.

3. *Infallibiliter* vel *fallibiliter.* — *Infallibiliter* operatur, si ex divino decreto et independenter ab omni conditione, effectum suum semper obtinet. — *Fallibiliter*, quando dependenter a conditione, quæ ex parte hominis deficere potest, effectum suum consequitur.

Quibus notatis, sint sequentes propositiones.

1716. — Prop. I. *Missæ sacrificium effectus suos principaliter producit ex opere operato* [1]. — Certa et communis.

Prob. Missæ sacrificium effectus suos sortiri ex opere operato, independenter a ministri bonitate, a Tridentino aperte innuitur. Legimus enim, *Sess. XXII, cap. 2:* « Hujus oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit. » Et hujus effectus statim causam addit, dicens: « Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit... Cujus quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur. » Quibus aperte indicatur, Missam hunc fructum sortiri, non ob ministri sanctitatem, sed ob ipsius Missæ, victimæ scilicet et principalis offerentis, dignitatem.

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, sess. XXII, n. 19 et seq.; Salmantic., Dis. XIII, n. 78.

Idem erui potest ex verbis ejusdem Sess., cap. 1: « Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest. » Si autem munda est oblatio, non obstante offerentis indignitate aut malitia; ergo per se placet Deo, et, independenter a ministri merito, effectum suum consequitur.

Corollarium. Ergo: « Sacrificium Missæ, in quantum pertinet ad fructum principalem, tam prodest si offeratur a malo sacerdote, quam a bono, cum valor Missæ sit ex opere operato pendens a meritis Christi. » *(S. Alph., Mor. VI, n. 312).*

1717. — Prop. II. *Missæ sacrificium aliquem etiam effectum producit ex opere operantis.* — Certa.

Prob. In sacrificio Missæ, præter opus in persona Christi positum, multæ adsunt preces, quæ in nomine Ecclesiæ funduntur. Sed preces Ecclesiæ Deo semper sunt gratæ, et virtutem possident impetrandi multa bona iis, pro quibus funduntur.

Præterea, ipse sacerdos sacrificio cooperatur et preces fundit; porro, ista cooperatio, preces istæ sacerdotis quatenus personæ privatæ, præter meritum quod ipsi conferunt, vim etiam habent impetrandi aliis. tum peccatorum remissionem, tum satisfactionem pœnarum, tum alia bona.

Proinde, Missæ sacrificium, præter effectum quem sortitur ex opere operato, aliquem etiam effectum obtinet ex opere operantis, propter dignitatem scilicet Ecclesiæ et ministri offerentis.

Corollarium. Cum Ecclesia Deo semper grata existat, effectus, quem Missa sortitur propter preces, quatenus in nomine Ecclesiæ funduntur, idem est sive Missa celebretur a sacerdote bono, sive a malo, dummodo hic non sit excommunicatus vitandus, quo in casu Ecclesiam non repræsentaret.

Effectus vero, quem Missa sortitur ob easdem preces, quatenus sacerdos orat nomine proprio, major minorve est pro sacerdotis sanctitate et devotione.

1718. — Prop. III. *Remissionem peccatorum, et infusionem aut augmentum gratiæ sanctificantis, sacrificium Missæ non operatur immediate, sed mediate tantum.* — Communis.

Prob. **A.** — Quoad remissionem mortalium. — Missæ sacrificium remittere mortalia non immediate per se, ad instar sacramentorum mortuorum, sed mediante actu contritionis aut caritatis, quem eliciendi gratiam impetrat, probatur:

I. **Ex Tridentino.** « Hujus oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. » — « Ergo, *ait S. Alph.*, Deus intuitu hujus sacrificii immediate placatur, et deinde movetur ad pœnitentiæ donum concedendum, per quam immediate delentur peccata. » *(Mor. VI, n. 311).*

II. **Ex Comparatione cum sacrificio Crucis.** Missæ sacrificium non majorem habet efficaciam, quam sacrificium Crucis. Atqui, sacrificium Crucis non immediate remittit peccata, sed mediate tantum, impetrando scilicet gratiam ad pœnitentiam agendam. *(Cf. S. Th., P. 3, q. 79, a. 7, ad 2).*

III. **Ex Necessitate sacramenti Pœnitentiæ.** Sacramentum Pœnitentiæ re aut voto susceptum, est omnibus relapsis ad salutem necessarium necessitate medii. *(Cf. n. 1745).* Atqui, hoc falsum esset, si sacrificium Missæ immediate per se peccatum remitteret. Ergo.

B. — Quoad remissione venialium. — Quod dicitur de mortalibus « idem, *ait S. Alph.*, dicendum est de culpis venialibus, cum S. Thoma,... Suarez... Salmantic., contra Canum et Valentiam, qui volunt venialia remitti per se virtute sacrificii. Quia, cum venialia sint quædam maculæ animæ, propria voluntate contractæ, non tolluntur sine pia animi actione, quæ venialibus illis repugnet. » *(Loc. cit.).* Sed pia animi actio, non immediate, sed mediante gratia actuali, a sacrificio causari potest. Ergo. *(Cf. Salmantic., Disp. XIII, n. 82 et seq.).*

C. — Quoad infusionem primæ gratiæ sanctificantis. — Sequitur ex dictis de peccato mortali. Si enim sacrificium per se immediate peccatum remittere nequit, ergo nec primam gratiam immediate infundere potest.

D. — Quoad augmentum gratiæ. — Sacrificium Missæ gratiam augere immediate per se ex opere operato, affirmant nonnulli. — *Communior* tamen sententia docet, Missam augere gratiam non immediate, sed mediantibus actibus, ad quos eli-

ciendos auxilium impetrat. Etenim de augmento immediato, nulla adest divina promissio, ac proinde illud sine fundamento asseritur.

Præterea, multa inde sequerentur inconvenientia; v. gr., si Missa gratiam immediate augeret, dicendum foret puerum, pro quo celebrantur Missæ, magis sanctificari; quod communi sensui Ecclesiæ repugnat; vel adultum justum, qui nulla fere opera meritoria posuit, sed pro quo multæ celebratæ sunt Missæ, sanctiorem esse et jus habere ad majorem gloriam, quam alium, qui plura opera bona fecit, sed pro quo nullæ celebratæ sunt Missæ. *(Cf. Salmantic., loc. cit., n. 85 et seq.).*

1719. — Prop. IV. *Remissionem pœnæ peccatis debitæ, gratias actuales, et bona temporalia ad salutem conducentia, sacrificium Missæ immediate procurat.*

Prob. **A.** — Quoad remissionem pœnæ. — Docet Tridentinum, animas in purgatorio juvari oblatione sacrificii Missæ. Porro, aliter juvari non possunt, quam immediata pœnarum remissione.

Præterea, cum remissio pœnæ debitæ non pendeat ex libero arbitrio hominis debitoris, sed ex voluntate Dei creditoris, fieri potest ab extrinseco, absque intrinseca mutatione voluntatis humanæ; ac proinde non necesse est ut actus ex parte hominis ad talem remissionem concurrat, sed potest a Deo concedi immediate, independenter ab hominis cooperatione. Deus igitur, placatus oblatione sanguinis Christi, qui ei in Missa offertur, satisfactiones Christi applicat, et sic pœnam ex toto vel ex parte condonat immediate, absque actu ex parte hominis. *(Cf. Salmantic., n. 90).*

B. — Quoad gratias actuales et bona temporalia. — Elargitio gratiarum actualium, et bonorum temporalium, ut sanitatis, pacis, fructuum terræ, etc., non proxime pendet a libertate humani arbitrii; nec aliquid aliud præsupponit in homine, quo mediante ea bona acquirere debeat, sicuti contingit pro remissione peccatorum. Ac proinde potest Missæ sacrificium via impetrationis hæc bona immediate conferre.

1720. — Prop. V. *Sacrificium Missæ, ex effectibus ad quos obtinendos offertur, alios sortitur infallibiliter, alios fallibiliter.*

Cum ex una parte sacrificium Missæ effectus suos sortiatur ex opere operato per modum impetrationis; cum ex altera, virtutem impetrativam habeat vi rei oblatæ et principalis offerentis, qui est Christus Dominus, cujus preces semper exaudiuntur a Deo; ideirco dicendum est:

Omnes effectus, quos Missa producit *immediate*, et qui ex parte hominis nullam præsupponunt cooperationem, semper infallibiliter causari.

Effectus vero, quos Missa producit *mediate*, et qui liberam hominis cooperationem, quæ deficere potest, præsupponunt, causari tantum fallibiliter. Exinde

Deduces I. a) Gratias actuales, saltem sufficientes, semper infallibiliter concedi virtute sacrificii Missæ.

b) Bona temporalia, si sunt ad salutem vere necessaria aut utilia, semper infallibiliter obtineri.

c) Remissionem pœnæ temporalis infallibiliter obtineri; non quidem semper remissionem totius pœnæ, ut notat S. Th., *q. 77, a. 5*, sed partis pœnæ, in vivis juxta eorum dispositionem et devotionem; in defunctis juxta inscrutabilia divinæ justitiæ consilia.

Omnes siquidem effectus isti a Dei largitate unice dependent, et nullam ex parte liberi arbitrii cooperationem exigunt.

Deduces II. Sacrificium Missæ non producere semper infallibiliter, nec remissionem peccati mortalis aut venialis, nec gratiæ sanctificantis augmentum. Ad hos enim effectus requiritur cooperatio liberi arbitrii, quæ ex hominis culpa deficere potest. *(Cf. n. 1718).*

Illis tamen, pro quibus Missa ad hos effectus offertur, gratiæ sufficientes ad ipsos obtinendos semper infallibiliter conceduntur; quibus si homines cooperantur, virtute sacrificii tum remissionem culpæ, tum augmentum gratiæ infallibiliter consequuntur.

EXPLICIT TRACTATUS DE SS. EUCHARISTIA.

TRACTATUS DUODECIMUS.

DE PŒNITENTIA.[1]

Conspectus generalis.

- CAP. I. De Virtute Pœnitentiæ.
  - A. 1. De objecto pœnitentiæ
    - materiali.
    - formali.
  - A. 2. De habitu pœnitentiæ.
  - A. 3. De subjecto pœnitentiæ.
- CAP. II. De Notione et Existentia Sacramenti Pœnitentiæ.
  - A. 1. De potestate clavium.
  - A. 2. De exercitio potestatis clavium.
- CAP. III. De Natura Sacramenti Pœnitentiæ.
  - A. 1. De materia remota.
  - A. 2. De materia proxima in genere.
  - A. 3. De forma.
- CAP. IV. De Partibus Pœnitentiæ.
  - A. 1. De Contritione
    - in genere.
    - in ordine ad Sacrament.
    - De proposito.
  - A. 2. De Confessione.
  - A. 3. De Satisfactione
    - in genere.
    - sacramentali.
- CAP. V. De Subjecto et Ministro.
  - A. 1. De Subjecto.
  - A. 2. De Ministro.
- CAP. VI. De Effectibus Pœnitentiæ.
- APPENDIX: De Indulgentiis.
  - A. 1. De natura indulgentiarum.
  - A. 2. De conditionibus requisitis.

[1] **Auctores consulendi:** *S. Thomas*, P. 3, q. 84 et seq.; Suppl., q. 1 et seq. — *S. Alphons.*, Mor., l. VI, n. 425 et seq.; Cont. hær., sess. XIV; Instit. catech., P. II, c. 5. - *Salmanticenses.* — *Gonet.* — *Gotti.* — *Isambert.* — *De Lugo.* — *Bellarmin.* — *Tanner.* — *Tournely.* — *De Augustinis.* — *Marc,* Instit., De Pœnit. — Catech. Rom., P. II, c. 5.

INTRODUCTIO.

1721. – « Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, *ait Trident., Sess. XIV, cap. 1,* ut justitiam in Baptismo, ipsius beneficio et gratia susceptam constanter tuerentur; non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et dæmonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur. »

Postquam igitur consideravimus, quomodo per Baptismum homo in vitam supernaturalem renascitur, per Confirmationem perfectus constituitur christianus, atque per SS. Eucharistiam cœlesti alimonia ad spiritualis vitæ sustentationem reficitur, jam inspiciendum est qua ratione homini, qui peccato mortem spiritualem incurrerit, vita supernaturalis in sacramento Pœnitentiæ restituatur.

1722. — Divisio tractatus. — Cum sacramentum Pœnitentiæ sit ipsum virtutis pœnitentiæ exercitium, a Christo Domino ad dignitatem sacramenti elevatum, accurata notio pœnitentiæ qua virtutis ad penitiorem pœnitentiæ qua sacramenti cognitionem multum confert. Quædam ergo præmittenda sunt de pœnitentia quatenus est virtus. Quibus absolutis, tradetur pœnitentiæ qua sacramenti notio, simulque hujus sacramenti existentia contra hæreticorum cavillationes vindicabitur. — Probata sacramenti existentia, ejus natura erit scrutanda. — Cum autem Pœnitentia illud sibi proprium habeat ut ejus materia proxima constet ex actibus pœnitentis, ideo, inspectis quæ ad hujus sacramenti naturam in genere spectant, specialiter de ejus materia proxima dicendum erit. Demum de subjecto, ministro et effectibus Pœnitentiæ quædam erunt addenda.

Sex igitur Capita in hocce tractatu ponentur.

In I. sermo erit de pœnitentia quatenus est virtus.

In II. notio pœnitentiæ quatenus est sacramentum tradetur, et simul hujus existentia probabitur.

In III. de natura hujus sacramenti in genere tractabitur.

In IV. de partibus Pœnitentiæ, seu de actibus, qui ejus materiam proximam constituunt, dicetur.

In V. agetur de subjecto et ministro.

In VI. effectus Pœnitentiæ recensebuntur.

Et quoniam indulgentiæ aptissima sunt media, quibus absolvamur a pœnis, quæ propter peccata per pœnitentiam quoad reatum culpæ condonata nobis luendæ supersint, idcirco in fine tractatus Appendix *de Indulgentiis* adjicietur.

CAPUT I.

DE VIRTUTE PŒNITENTIÆ [1].

1723. — Pœnitentia quatenus virtus a *S. Alphonso (Mor., l. VI, n. 434)* definitur: *Virtus tendens in destructionem peccati in quantum est offensa Dei, medio dolore et satisfactione.*

Dicitur: *virtus*, moralis scilicet et supernaturalis per se infusa; *tendens in destructionem peccati*, quibus verbis manifestatur objectum materiale pœnitentiæ: peccatum scilicet ut destruendum; *in quantum est offensa Dei*, quibus exhibetur objectum formale seu motivum, ob quod pœnitentia operatur ad destructionem peccati; *medio dolore et satisfactione*, quibus indicantur actus pœnitentiæ.

Cum actus eliciti pœnitentiæ sint materia proxima pœnitentiæ qua sacramenti, de ipsis infra, ubi de natura sacramenti agendum erit, sermo instituetur. Unde in præsenti unice dicendum est: I. de objecto pœnitentiæ; II. de habitu virtutis pœnitentiæ; III. de subjecto pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

DE OBJECTO PŒNITENTIÆ.

Pœnitentia, stricte sumpta, duplex, sicut quælibet virtus, habet objectum, materiale scilicet et formale. Unde in § 1. de objecto ejus materiali, et in § 2. de objecto formali dicendum est.

[1] Cf. S. Th., P. 3, q. 85.

§ 1. *De Objecto materiali pœnitentiæ.*

1724. — Objectum *materiale*, seu materia circa quam versatur pœnitentia quatenus virtus specialis, est *peccatum personale proprium jam commissum, ut detestandum et destruendum.*

Dicitur: *peccatum*, tum *mortale*, tum *veniale*, utroque enim, licet modo diverso, Deus offenditur, et jus divinum læditur; et etiam peccatum jam *condonatum*, quia etsi condonatum, fuit tamen vera Dei offensa, ac proinde homo illud semper detestari potest, et operari, ut Deo pro illata offensa magis semper ac magis satisfaciat.

Dicitur: peccatum *personale*, ad excludendum peccatum originale, quod homo propria sua voluntate physica non commisit, sed communi voluntate Adami, et quod vitare non potuit. Pœnitere autem est deflere aliquid a se minus recte factum.

Dicitur: peccatum *proprium*, ad excludendum peccatum alterius; pœnitere enim est retractare aliquid minus rectum antea libere positum. Porro, nemo quidpiam, nisi quod ipse propria sua voluntate voluit, retractare potest.

Dicitur: peccatum *jam commissum*, ad excludendum peccatum futurum. Etenim « pœnitere est de aliquo prius a se facto dolere. » *(Q. 85, a. 1)*. Sed nullus deflet quod nondum commisit. *(Suppl., q. 2, a. 4)*.

Dicitur: peccatum *ut detestandum et destruendum*, ad indicandam *rationem sub qua* pœnitentia peccatum attingit. « Materia pœnitentiæ, *ait S. Th.*, sunt peccata, non acceptanda, sed detestanda, et destruenda. » *(Q. 84, a. 2)*. Proinde, « peccatum ut est remissibile vel expiabile est propria materia istius virtutis quæ pœnitentia dicitur. » *(4. Sent., D. 14, q. 1, a. 3, sol. 4)*. Ex consequenti, illud peccatum quod ratione status, ut in damnatis, irremissibile factum est, nequit esse objectum pœnitentiæ.

1725. — **NB.** Pœnitentia quandoque intelligitur non in sensu stricto et qua virtus specialis, sed in sensu quodam lato, quatenus nimirum significat tum detestationem peccati prout est injuriosum Deo, tum actum voluntatis, quo vult aliquis jus divinum illæsum servari, vel

læsum reparari; qua ratione pœnitentia non dicit rigorosum ordinem ad peccatum proprium, sed potest etiam esse de peccato originali et de peccatis aliorum.

§ 2. *De Objecto formali pœnitentiæ.*

1726. — Circa objectum formale seu motivum, quod pœnitentiam in sua specie infima constituit, plures adsunt sententiæ. Secundum probabiliorem et communiorem, objectum formale pœnitentiæ est *reparatio juris læsi divinæ Majestatis.*

In quolibet peccato, præter turpitudinem contra propriam virtutem, v. gr.. injustitiam in furto; et præter malum proprium hominis peccantis, v. gr., reatum pœnæ, quem homo incurrit; in quolibet peccato, inquam, adest injuria juri divino illata, ratione cujus peccatum est offensa Dei. Deus enim jus habet, ut sit finis ultimus hominis, et ut talis ab ipso appetatur. Quolibet autem peccato avertit se homo a Deo tanquam a fine, et ad creaturam tanquam ad finem se convertit: quo summa juri divino infertur injuria, Deusque summe offenditur.

Reparare injuriam hanc Deo illatam, resarcire jus divinum læsum, medio dolore et satisfactione, en præcise motivum, quod pœnitentiam contra peccatum movet, et eam ab omni alia virtute specifice distinguit. « In pœnitentia, *ait S. Th.*, invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. » *(Q. 85, a. 2).*

1727. — Quæ juris divini reparatio duo necessario includit: displicentiam scilicet facti præteriti in quantum est offensa Dei, et emendationis propositum in quo includitur voluntas jus divinum læsum compensandi. « Pœnitentia, *inquit S. Th.*, non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato; ad hoc enim sufficeret caritas; sed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commisso in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ non fit per

solam cessationem offensæ; sed exigitur ulterius quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis contra alterum commissis. » *(Q. 85, a. 3).*

Igitur, detestari peccatum præcise quatenus offensam Dei, et, in quantum fieri potest, injuriam Deo per peccatum illatam compensare, hoc virtuti pœnitentiæ ita proprium est, ut alii nulli virtuti competat. Sic, v. gr., caritas peccatum detestatur ut malum Dei extrinsecum, quod summæ ejus amabilitati adversatur; religio illud detestatur, quatenus est irreverentia cultui divino opposita; uno verbo, quælibet virtus adversatur habitui vitii oppositi sub ea ratione qua illum expellit. Sola vero pœnitentia ad destructionem peccati tendit in quantum est offensa Dei, emendabilis per actum pœnitentis ex gratia divina.

Corollarium. — Dolere igitur de peccato commisso unice quia est turpitudo virtuti opposita, aut fons malorum homini impendentium, non est actus veræ pœnitentiæ.

ARTICULUS II.

DE HABITU PŒNITENTIÆ.

Cum pœnitentia, ut ex modo dictis constat, et materiam determinatam et speciale objectum formale habeat, specialis est virtus, a qualibet alia specifice distincta. Sed ulterius inquiri potest, cujus scilicet speciei sit virtus, et utrum sit virtus naturalis, an supernaturalis.

1728. — Prop. I. *Pœnitentia est virtus moralis, non vero theologica.* — Certa.

Prob. « Virtus theologica, *inquit S. Th.*, habet idem pro objecto et pro fine. Hoc autem non est in pœnitentia; quia objectum ejus est peccatum commissum, quod intendit expiare; finis autem est Deus, cui intendit reconciliari; et ideo non est virtus theologica, sed inter morales virtutes numeranda est. » *(4. Sent., D. 14, q. 1, a. 1, sol. 4).*

1729. — Prop. II. *Pœnitentia reducitur ad justitiam commutativam, non quasi species ejus, sed quasi pars potentialis.* — Communis.

Prob. I. Pars: *Reducitur ad justitiam commutativam.* Resarcire jus alienum læsum, deferendo scilicet personæ læsæ aliquid in compensationem offensæ, illud ad justitiam commutativam pertinet. « Sicut est commutatio quædam in beneficiis, *inquit S. Th.*, cum scilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit, ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa vel invitus punitur, quod pertinet ad vindicativam justitiam, vel voluntarie recompensat emendam, quod pertinet ad pœnitentiam. » *(Q. 85, a. 3, ad 3).* Atqui, proprium pœnitentiæ est, voluntarie resarcire jus divinum læsum, puniendo videlicet in se peccatum, et deferendo Deo satisfactionem debitam in illatæ offensæ recompensationem. Ergo pœnitentia ad justitiam commutativam pertinet.

Prob. II. Pars: *Non quasi species, sed quasi pars potentialis.*

Species alicujus virtutis illi dicuntur habitus, qui virtutis naturam plene et perfecte participant; « *partes autem potentiales* alicujus virtutis dicuntur virtutes adjunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus, vel materias, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis, » *(2. 2, q. 48)*, et reducuntur ad ipsam virtutem tanquam imperfectum ad perfectum. Atqui, pœnitentia non pertingit ad perfectam justitiæ rationem. Ergo.

Prob. min. Perfecta justitia in perfecta æqualitate consistit, ut nempe tantum restituatur quantum fuerit ablatum. Atqui homo, quantumcumque sit pœnitens, nunquam jus divinum peccato læsum ad perfectam æqualitatem reparare potest, ut constat ex dictis in Tr. de Incarnatione, *(n. 859)*. Per peccatum enim Deo infinita illata fuit injuria; recompensatio vero, quam homo Deo deferre potest, essentialiter est finita; proinde, homo jus divinum læsum nunquam ad perfectam æqualitatem resarcire potest. *(Cf. 4. Sent., D. 11, q. 1, a. 1, sol. 5).*

1730. — **Prop. III.** *Pœnitentia, quæ ad salutem requiritur, est virtus supernaturalis per se infusa.* — Certa.

Prob. Virtus, cujus actus sunt essentialiter supernaturales, est ipsa essentialiter supernaturalis et per se infusa. Atqui, actus Pœnitentiæ salutaris sunt essentialiter supernaturales. Ergo.

Prob. min. 1. **Ex Trident.,** *Sess. VI, can. 3:* « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem... pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; A. S. » Quibus patet, actum pœnitentiæ salutaris esse essentialiter supernaturalem.

2. **Ex Script. S.** In S. Scriptura, actus pœnitentiæ salutaris ad Deum ut ad auctorem referuntur. Legimus (Jerem. XXXI, 18, 19): *Converte me et convertar... Postquam convertisti me, egi pœnitentiam.* — (Thren. V, 21): *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.*

3. **Ex Ratione.** Actus illi sunt essentialiter supernaturales, qui per se et ex natura sua hominem ad finem supernaturalem ordinant. Atqui, hujusmodi sunt actus Pœnitentiæ, qui hominem Deo reconciliant, eique prosunt ad vitam æternam consequendam. Ergo.

1731. — **Scholium.** Pœnitentia est igitur virtus a Deo immediate infusa, una cum gratia sanctificante, a qua, sicut omnes aliæ virtutes infusæ, tanquam e radice efflorescit.

Attamen, sicut homo non habens habitum caritatis, potest sub speciali Spiritus Sancti impulsu, actum perfectæ caritatis elicere, ita etiam carens habitu pœnitentiæ, potest sub Spiritus Sancti inspiratione, actum perfectæ pœnitentiæ elicere, quo, ut infra dicetur *(n. 1763)* et gratiam accipiat, et habitum virtutis pœnitentiæ consequatur.

ARTICULUS III.

DE SUBJECTO PŒNITENTIÆ.

Duplex distinguitur alicujus habitus subjectum: *proximum* scilicet et *remotum*. Subjectum *proximum* est ea animæ potentia, in qua habitus immediate residet, et quæ ejus actus elicit; *remotum* est creatura intellectualis, quæ ejusmodi virtutem in se recipit, et aliquem ejus actum exercere potest.

1732. — **Prop. I.** *Subjectum proximum virtutis pœnitentiæ est voluntas.* — Communis.

Prob. Pœnitentia, quatenus virtus, est pars potentialis justitiæ *(n. 1729)*. « Justitia autem, *inquit S. Th.*, habet pro subjecto appetitum rationis, qui est voluntas. Unde manifestum est quod pœnitentia, secundum quod est virtus, est in voluntate sicut in subjecto, et proprius ejus actus est propositum emendandi illud quod contra Deum commissum est. » *(Q. 85, a. 4)*.

1733. — **Scholium.** *De pœnitentia quatenus est passio.*

Dictum est in propositione, *pœnitentiam quatenus virtutem esse in voluntate*: potest autem pœnitentia considerari etiam quatenus passio. « Pœnitere, *ait S. Th.*, est de aliquo prius a se facto dolere. Sed dolor vel tristitia dupliciter dicitur: uno modo secundum quod est passio quædam appetitus sensitivi, et quantum ad hoc Pœnitentia non est virtus, sed passio », quæ subjectatur in concupiscibili. *(Q. 85, a. 1)*. Ex quo sequitur, dolorem sensibilem in parte sensitiva non esse de ratione veræ pœnitentiæ, licet ei plerumque conjungatur, propter redundantiam partis superioris animæ in inferiorem; sed dolorem essentialem veræ pœnitentiæ residere in ipsa voluntate, et est, *ut ait S. Th.*, « displicentia seu reprobatio facti præteriti, cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum pœnæ. » *(Q. 85, a. 1, ad 3)*; et ideo pœnitentia recte dicitur « dolor cordis et amaritudo animæ pro malis quæ quisque commisit. » *(4. Sent., D. 14, q. 1, a. 1, sol. 6)*.

Notandum tamen est cum *Isamberto*: « Ex actibus pœnitentiæ frequenter exercitis a voluntate habitum aliquem sæpe generari in appetitu sensitivo; quia ex forti vel frequenti exercitio actus pœnitentiæ quædam *proclivitas* nascitur in appetitu sensitivo ad concipiendum dolorem suo modo, id est *sub ratione rei corporeæ*; ob naturalem sympathiam et consensionem qua actus unius potentiæ redundat in aliam. Iste tamen habitus pœnitentiæ generatus in appetitu sensitivo non meretur nomen virtutis, nisi valde improprie quatenus subest pœnitentiæ et electioni voluntatis... Hunc autem dolorem et detestationem peccati, quam appetitus sensitivus format suo modo correspondentem detestationi et dolori voluntatis de peccato prout est injuriosum Deo, aliqui ex theologis vocant complementum virtutis pœnitentiæ. » *(Disp. IV, a. 2)*.

1734. — **Prop. II.** *Subjectum remotum pœnitentiæ est omnis et sola creatura rationalis, in qua est vel esse potest*

materia propria pœnitentiæ, scilicet peccatum proprium prout remissibile et expiabile. — Certa.

Prob. Habitus sunt propter actus, et actus propter objectum circa quod versantur. Ergo, ubi est vel esse potest objectum, ibi potest esse actus proportionatus, et consequenter etiam habitus.

Porro, objectum materiale pœnitentiæ est peccatum proprium quatenus remissibile et expiabile; et sola creatura ratione prædita peccatum committere potest. Ergo omnis et sola creatura rationalis, in qua est vel esse potest peccatum remissibile, est remotum virtutis pœnitentiæ subjectum. *(Cf. Suppl., q. 16, a. 1).*

1735. — Corollaria. Ex dictis:

Deduces I: In Christo Domino non fuisse pœnitentiam proprie dictam, nec quoad actum, nec quoad habitum. Ratione enim unionis hypostaticæ Christus fuit intrinsece impeccabilis, ac proinde nulla potuit in illo adesse materia pœnitentiæ.

Si vero pœnitentia sensu latiori sumatur, prout nempe dicit detestationem peccati in genere, nihil prohibet actum pœnitentiæ Christo attribui. Ipse enim summo odio peccatum detestatur, ut Dei offensam; quæ tamen displicentia et detestatio in Christo non ab habitu pœnitentiæ, sed ab habitu caritatis eliciebantur.

Deduces II: In B. Virgine non fuisse actum pœnitentiæ proprie dictæ: nullum siquidem peccatum unquam commisit nec committere potuit, propter omnimodam impeccabilitatem ipsi divinitus concessam; actum vero pœnitentiæ improprie dictæ in ea fuisse, non secus ac in Christo.

An autem in Virgine Maria fuerit habitus pœnitentiæ, controvertitur. Ratio dubitandi est, quia, licet B. Virgo fuerit omnino impeccabilis ex gratiæ privilegio, ex natura tamen sua peccabilis fuit, sicut quælibet creatura; ac proinde, inspecta sola ejus natura, potuisset peccatum in ea inveniri, et consequenter etiam habitus pœnitentiæ videtur in ea fuisse.

Probabilior tamen sententia negat; quia, licet B. Virginis impeccabilitas orta sit ex gratia, adeo tamen fuit perfecta

ut impossibile fuerit aliquod peccatum in ea inveniri; ac proinde, non existente materia possibili, nec habitus exstitit. — Præterea, ad dignitatem Matris Dei pertinere videtur, ut etiam sub hoc respectu filio suo, qui habitu pœnitentiæ caruit, assimilata sit.

Deduces III: In Angelis sive bonis sive malis nec actum nec habitum pœnitentiæ adesse. « Peccatum Angeli, *ait S. Th.*, est irremissibile. Et quia peccatum ut est remissibile vel expiabile, est propria materia istius virtutis quæ pœnitentia dicitur, ideo cum materia non possit eis competere, non adest eis potentia exeundi in actum, et ideo nec habitus eis convenit; et ideo Angeli susceptivi pœnitentiæ virtutis esse non possunt. » *(Suppl., q. 16, a. 3).*

Deduces IV: In animabus damnatis nec actum nec habitum pœnitentiæ adesse. *Non actum*, quia secundum legem divinæ providentiæ peccatum damnatorum irremissibile est; præterea, ad actum pœnitentiæ requiritur gratia, quæ in inferno non amplius conceditur. — *Non habitum*, quia nulla virtus infusa remanet in damnatis.

Est tamen in damnatis, sive Angelis, sive hominibus, quidam actus pœnitentiæ, secundum illud (Sap. V, 3): *Intra se gementes et pœnitentiam agentes.* Quæ tamen pœnitentia est dolor et tristitia de peccato, non quatenus est offensa Dei, sed unice quatenus est proprio bono nocivum, ac proinde non est actus veræ pœnitentiæ. *(Suppl., q. 16, a. 3).*

Deduces V: In omnibus viatoribus justis adesse tum habitum tum actum pœnitentiæ. *Adest habitus*, quia infunditur cum gratia sanctificante; præterea, justi quamvis forsan peccatum « non commiserint, possunt tamen committere, et ideo eis habitum pœnitentiæ habere competit. » *(Suppl., q. 16, a. 1, ad 1).* — *Adest actus*, vel saltem adesse potest, quia, secluso speciali privilegio, nequit etiam justus per totam vitam omnia vitare venialia, quæ sunt materia, circa quam actus pœnitentiæ elici potest.

Deduces VI: In animabus beatis remanere habitum pœnitentiæ, quia in eis præcessit vel præcedere potuit peccatum remissibile; non remanere autem actum pœnitentiæ.

qualis est in præsenti vita, quia in cœlis non superest peccatum remittendum; sed in cœlis actus pœnitentiæ est « gratias agere Deo pro misericordia relaxante peccata. » *(Suppl., q. 16, a. 2).*

CAPUT II.

DE NOTIONE ET EXISTENTIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

1736. — Definitio. — Pœnitentia, quatenus Sacramentum, definitur: *Novæ Legis sacramentum a Christo institutum, quo per absolutionem sacerdotalem homini contrito, confesso, et satisfacere proponenti, remittuntur peccata post Baptismum commissa.*

Dicitur: *quo per absolutionem sacerdotalem*, quibus verbis indicatur Pœnitentiæ forma, quæ in sacerdotis absolutione consistit; *homini*, ad indicandum subjectum Pœnitentiæ; *contrito, confesso, et satisfacere proponenti*, quibus verbis refertur materia proxima hujus sacramenti, actus videlicet pœnitentis; *remittuntur peccata post Baptismum commissa*, quæ verba tum effectum, tum materiam remotam Pœnitentiæ indicant.

1737. — Tempus institutionis. — « Dominus, *inquit Tridentinum, Sess. XIV, cap. 1*, sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* » (Joan. XX, 23).

1738. — Nomina. — Sacramentum Pœnitentiæ pluribus vocatur nominibus: *secunda post naufragium tabula, Baptismus laboriosus, confessio* quæ græce dicitur *exomologesis, reconciliatio*, etc.

1739. — Errores. — Circa sacramentum Pœnitentiæ plures exorti sunt errores. *Novatianus* potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa Ecclesiæ denegavit. Ejus vero discipuli, *Novatiani* et *Cathari* dicti, hunc errorem mitigarunt, docentes, penes Ecclesiam

esse quidem potestatem absolvendi a peccatis levioribus, non autem a criminibus quibusdam atrocioribus, ut ab apostasia, fornicatione, etc. – Idem etiam docuerunt *Montanistæ*, sæculo II.

Lutherus circa Pœnitentiæ sacramentum anceps hæsit; illud modo admittens, modo negans.

Calvinus illud aperte rejecit; docuit, Pœnitentiam nihil aliud esse quam Baptismum memoria revocatum, quo a peccatis pro totius vitæ cursu abluimur. « Sic autem cogitandum est, *inquit*, quocumque baptizemur tempore, nos semel in omnem vitam ablui et purgari: itaque quoties lapsi fuerimus, repetenda erit Baptismi memoria, et hac armandus animus, ut de peccatorum remissione certus securusque sit. » *(Instit., l. IV, c. 15)*.

Exinde deducit: *a)* In pœnitentia una cum reatu culpæ, semper etiam virtute passionis Christi totam remitti pœnam, quia non minorem efficaciam habet Baptismus *memoria* quam *re* susceptus. — *b)* Verba Christi: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* nihil aliud significare, nisi potestatem declarandi peccata esse dimissa, vel potestatem prædicandi Evangelium ad fidem excitandam, per quam memoria Baptismi ad remissionem peccatorum revocatur.

Anglicani confessionis utilitatem agnoscunt, necessitatem vero rejiciunt. — *Ritualistæ* confessionem inter sacramenta computant.

Ut existentia sacramenti Pœnitentiæ rite probetur, primo dicendum est de potestate clavium in genere; deinde demonstrandum est, exercitium hujus potestatis verum esse sacramentum.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE CLAVIUM.

1740. — Potestas clavium, *generice* sumpta, omnem denotat potestatem, quam Christus B. Petro et Ecclesiæ tradidit; *proprie* vero et *stricte* sumpta, denotat potestatem remittendi peccata tum quoad culpam et pœnam, ut fit in sacramento Pœnitentiæ, tum quoad solam pœnam, ut fit per indulgentiarum concessionem. Apte vocatur *potestas clavium*, secundum illud Christi Domini: *Tibi dabo claves regni cælorum*, quia, ut *ait S. Th.*: « in corporalibus dicitur clavis instrumentum quo ostium aperitur. Regni autem ostium per peccatum clauditur et quantum ad maculam, et quantum ad reatum pœnæ. Et ideo potestas qua tale obstaculum removetur, dicitur clavis. » *(Suppl., q. 17, a. 1)*.

Claves Ecclesiæ a Patribus definiuntur: *Potestas ligandi ac solvendi, qua ecclesiasticus judex dignos recipere et indignos excludere debet a Regno.*

Quoad hanc potestatem tria sunt probanda, ipsam nempe: revera datam fuisse Ecclesiæ; ad omnia prorsus extendi peccata; atque exerceri actu judiciali.

1741. — Prop. I. *Existit in Ecclesia potestas remittendi peccata* [1].

De fide, ex Trid., Sess. XIV, can. 3: « Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis...* non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit...; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Existit in Ecclesia potestas clavium, si Christus eam Apostolis promisit, revera contulit, et Apostoli ea usi sunt. Atqui Christus eam promisit, eam contulit, et Apostoli ea usi sunt. Ergo.

Prob. min. 1. Quoad promissionem. — Legimus Christum B. Petro dixisse (Matth. XVI, 19): *Tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.* — Et omnibus Apostolis (Matth. XVIII, 18): *Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.*

His verbis constat, Christum B. Petro omnibusque Apostolis promisisse, non solum potestatem voluntates per veras leges ligandi: *quodcumque ligaveris*, etc., sed etiam potestatem ea solvendi vincula, quæ hominem ab ingressu cœli prohibere possunt: *quodcumque solveris*, etc. Atqui, vincula, quæ hominem ab ingressu cœli cohibent, sunt peccata. Ergo Christus Apostolis potestatem solvendi peccata promisit.

[1] Cf. S. Th., *Suppl.*, q. 17.

2. Quoad actualem collationem. — Legimus Christum redivivum Apostolos his verbis allocutum esse (Joan. XX, 22, 23): *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ verba ex Tridentino, can. 3 citato, de sola potestate remittendi peccata intelligenda sunt. Ergo Christus Apostolis reapse contulit potestatem clavium.

Quæ collatio potestatis clavium ex verbis Christi immediate præcedentibus mire confirmatur. Dixerat enim Christus (Joan. XX, 21): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Porro, Christus non solum ad prædicandum, sed etiam ad peccata remittenda, missus est, sicut constat Matth. IX, 2; Luc. VII, 47. Ergo et Apostoli non solum ad prædicandum, sed etiam ad remittenda peccata, missi sunt.

3. Quoad usum. — Apostolos potestate clavium usos esse, ex modo agendi B. Pauli, qui incestuosum Corinthium resipiscentem absolvit, clare manifestatur. *(I Cor. V, 5).*

Hanc autem potestatem clavium in Apostolorum successores transiisse, atque perpetuo in Ecclesia durare, ex dictis in tractatu de Ecclesia constat. Cum enim Christus Ecclesiam ad finem usque mundi duraturam voluerit, eidem etiam in perpetuum elargitus est media, sine quibus finem suum, id est, animarum salutem, consequi non posset.

II. **Ex Traditione.** SS. Patres, qua Græci qua Latini, unanimiter docent, Christum Ecclesiæ potestatem clavium reliquisse. « Memento, *inquit Tertullianus*, Dominum claves ejus Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse. » *(Scorpiacum, c. 10). — Firmilianus* ad S. Cyprianum scribit: « Potestas peccatorum remittendorum Apostolis data est et Ecclesiis, quas illi, a Christo missi, constituerunt, et Episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt. » *(Ep. n. 16). — S. Chrysostomus* ait: « Neque solum sacerdotes regenerant, sed etiam condonandorum peccatorum obtinent potestatem. » *(De Sacerdotio, l. 3).*

III. **Ex Praxi Ecclesiæ,** quæ tum hæreticos potestatem clavium negantes semper condemnavit: « Novatianos, *ait Trid., Sess. XIV, cap. 1.* remittendi potestatem olim pertinaciter

negantes, magna ratione Ecclesia catholica tanquam hæreticos explosit atque condemnavit; » — tum pœnitentiam tam privatam quam publicam ad peccatorum remissionem valere semper docuit. « Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, *ait S. Leo M.*, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. » *(Ep. 108 ad Theod.)*.

1742. — Prop. II. *Potestas clavium ad omnia peccata post Baptismum commissa sese extendit.*

De fide, ex Trident., Sess. XIV, can. 1, in quo definitur, Pœnitentiæ sacramentum esse institutum pro fidelibus Deo reconciliandis *quoties post Baptismum in peccata labuntur;* et can. 7, in quo definitur, hominem teneri ad confitendum *omnia et singula peccata mortalia;* si autem homo debet omnia confiteri, potest etiam virtute clavium ab omnibus absolvi. Huc facit etiam can. 29, Sess. VI.

Prob. I. **Ex Script. S.** Christus, promittendo potestatem clavium, dixit: *Quodcumque solveris,... quæcumque solveritis;* et conferendo eamdem potestatem, ait: *Quorum remiseritis peccata.* Nullum peccatum, quantumvis grave, excipit Christus; sed potestatem ad omnia solvenda tribuit. Potestas igitur clavium ad omnia crimina se extendit.

Idem constat ex verbis Joannis (I Ep. I, 9): *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* Porro, ut infra dicetur, *(n. 1745)*, in Nova Lege, non datur peccatorum remissio nisi per sacramentum Pœnitentiæ *re* vel *voto* susceptum. Ergo potestas clavium ad omnia crimina se extendit.

Confirmatur hæc doctrina modo agendi Apostoli, qui incestuosum Corinthium a gravissimo incesti crimine absolvit; et B. Petri, qui Simonem magum ad pœnitentiam adhortavit.

II. **Ex Analogia cum Lege Veteri.** In Lege Veteri nullum fuit peccatum irremissibile, ut constat ex Prophetis.

Lavamini, inquit Isaias. I, *mundi estote... Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Ergo nec in Lege Nova datur peccatum irremissibile, alioquin deterior foret conditio sub Lege gratiæ quam sub Lege mosaica.

III. **Ex Traditione,** cujus testes sunt S. Patres et Concilia.

Ait *S. Pacianus:* « *Quæcumque solveritis,* omnino nihil excepit. Quæcumque, inquit, vel magna vel modica. » *(Ep. 3 ad Sympron.).* — *S. Fulgentius:* « Qui non credit, intra Ecclesiam catholicam cuncta relaxari posse peccata, ipse sibi remissionem peccatorum denegat. » *(De remiss. peccat., l. I, c. 23).* — *S. Ambrosius:* « Distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda a vobis putetis, et quæ sine remedio esse arbitremini; sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. » *(De pœnit., l. I, c. 3, n. 10).*

Statim ac orti sunt *Montanistæ*, aliqua peccata irremissibilia prædicantes, damnati sunt a plurimis episcopis Africæ et Phrygiæ, anno 172; et *Novatiani* in Concilio Romano, sub S. Cornelio, et Carthaginiensi sub S. Cypriano, damnati sunt. Unde ait *S. August.:* « Fuerunt qui dicerent quibusdam peccatis non esse dandam pœnitentiam, et exclusi sunt de Ecclesia, et hæretici facti sunt. In quibuscumque peccatis non perdit viscera pia Mater Ecclesia. » *(Serm. II De utilit. pœnit.).*

IV. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Licet olim in Ecclesia severior de lapsis in atrociora quædam crimina existeret disciplina, nunquam tamen Ecclesia pœnitentiam in articulo mortis denegavit; et qui morientibus eam denegare vellent, severe semper reprobavit.

Legimus in Concilio Nicæno (an. 325), can. 13: « De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua et canonica servetur, ut si quis egreditur de corpore, ultimo et maxime necessario viatico minime privetur... Generatim vero et nullo excepto, quolibet excedente et Eucharistiam flagitante, Episcopus cum probatione impertiatur. »

Innocentius I. hac de re scribit: « Tribuetur ergo cum Pœnitentia Extrema Unctio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur. » *(Ep. 6 ad Exsup., c. 2).*

Cœlestinus Papa, in epist. 4 ad Episc. Vienn. et Narbon., n. 3, ait: « Cognovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet... Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere. »

V. **Ex Ratione.** 1. Vult Deus omnes, quamdiu vivunt, salvos fieri, eisque gratias ad salutem sufficientes elargitur; omnes etiam, quotquot sunt, salutem sperare tenentur. Omnes ergo, quamdiu vivunt, possunt cujusque peccati veniam consequi. Porro, peccatum post Baptismum non condonatur nisi ex ordine ad claves. Potestas igitur clavium ad omnia peccata se extendit.

2. Christus ad salutem omnium, et ad omnia delenda peccata, mortuus est. Atqui, eo fine instituta est Ecclesia, ut Redemptionis fructum ad finem usque mundi hominibus applicaret; quem finem consequi non posset, nisi potestatem haberet absolvendi ab omnibus peccatis. Ergo.

1743. — Prop. III. *Potestas clavium vero actu judiciali exercetur.*

De fide, ex Trid., Sess. XIV, can. 9: « Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; A. S. »

NB. In hac prop., natura potestatis clavium penitius inspicitur. — Protestantes potestatem clavium proterve explicant. Docent: *a)* eam nihil aliud esse, quam potestatem prædicandi; *b)* verba *solvere* et *ligare* nihil aliud significare, quam declarare aliquid esse licitum aut illicitum; *c)* verba *remittere peccata* non aliud significare, quam declarare ea esse remissa, et *retinere*, quam declarare ea non esse remissa.

Fides autem catholica docet, absolutionem sacerdotis esse verum actum judicialem. Porro, duo sunt judicis munera, nempe: causam auctoritative examinare, et, causa diligenter discussa, reum auctoritative a suo delicto absolvere vel non absolvere. Cui duplici muneri duplex in judice correspondet potestas, potestas scilicet causam auctoritative examinandi, quæ vocatur *clavis scientiæ*, et potestas judicium auctoritative ferendi, quæ vocatur *clavis potestatis. (Cf. S. Th., Suppl., q. 17, a. 3).*

Prob. **Ex Script. S. et Traditione.** Legimus (Joan. XX, 21, 23): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Cf. etiam Matth. XVI, 19; XVIII, 18.

Jamvero, his ex verbis constat, Apostolos missos esse, sicut Christus fuerat missus; sed Christus missus est non ad declarandum peccata esse dimissa, sed ad ea vere remittenda tanquam verus judex, sententiam auctoritative proferendo. Ergo et Apostoli sunt veri judices.

Præterea, iisdem verbis manifeste constat, tum causæ inquisitionem debere institui, tum sententiam esse auctoritativam, ac proinde potestatem clavium exerceri vero judicio. Enimvero:

a) Institui debet causæ inquisitio: Christus Apostolis jussit, ut aliis peccata remitterent, aliis retinerent; ut scilicet, quos invenissent dignos, absolverent; quos vero indignos, non absolverent. Jamvero, ad noscendum quinam sint absolutione digni, quinam vero non sint digni, necesse est ut peccata probe noscantur, diligensque circa ea præcedat discussio.

« Causæ pensandæ sunt, *ait S. Greg. M.*, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. » *(Hom. 26 in Joan. 20).* — Et *Theodoretus:* « Sicut sacerdos lepram judicat, ita oportet ipsum et judicem esse peccatorum animæ. » *(In Ex., q. 15).*

b) Sententia est auctoritativa, id est, sacerdos peccata vere remittit. Constat ex verbis Christi, sacerdotis sententiam antevertere sententiam Dei, Deumque sacerdotis sententiam ratam habere in cœlis. Atqui sententia, quæ præcedit Dei sententiam de remissione peccatorum, quamque Deus ratam habet pro eorum remissione, non potest esse declaratoria tan-

tum sententiæ a Deo latæ; sed est vere et proprie remittens peccata. Sacerdotum ergo sententia peccata vere remittit.

« A terra, *inquit S. Joan. Chrysost.*, judicandi principalem auctoritatem sumit cœlum. Nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum, et quidquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in supernis comprobat. » *(Hom. 5 de verb. Isai.).*

S. Hilarius: « O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in cœlo. » *(In cap. 16 Matth., n. 7).*

S. Athanasius: « Si nondum soluta sunt vincula tua, trade te ipsum discipulis Jesu: adsunt enim, qui nos solvant, accepta ea a Salvatore potestate: Quodocumque ligaveris, etc. » *(Ap. Migne, T. 28, p. 183).*

ARTICULUS II.

DE EXERCITIO POTESTATIS CLAVIUM.

Ex supra dictis notum est, adesse in Ecclesia potestatem clavium ad remittenda peccata post Baptismum commissa. Jamvero docet fides catholica, istius potestatis exercitium specialem constituere ritum sacramentalem, sacramentum scilicet Pœnitentiæ, quod ex opere operato peccata dimittit et gratiam infundit.

1744. — Prop. I. *Pœnitentia, in qua potestas clavium exercetur, est verum et proprie dictum Novæ Legis sacramentum, a Baptismo distinctum.*

De fide, ex Trid., Sess. XIV, can. 1: « Si quis dixerit in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; A. S. » — *Et can. 2:* « Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœ-

nitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; A. S.»

Prob. I. Pars: *Pœnitentia est verum sacramentum.*

I. **Ex Script. S.** In verbis, quibus instituta fuit Pœnitentia *(Joan. XX, 21, 23)*, omnia indicantur elementa ad verum et proprie dictum sacramentum constituendum, scilicet signum sensibile, promissio gratiæ, et Christi institutio. Ergo Pœnitentia est verum sacramentum.

Prob. antec. a) Adest signum sensibile. Ex dictis *n. 1743* notum est, per potestatem clavium peccata remitti actu judiciali. Atqui, ad actum judicialem duo saltem requiruntur, nempe: ex parte pœnitentis requiritur peccatorum externa manifestatio, sine qua peccata a sacerdote nec cognosci nec dijudicari possunt; et ex parte sacerdotis absolventis requiritur externa judicii manifestatio, sine qua pœnitens, se a peccatis esse absolutum, scire non potest.

b) Adest promissio gratiæ. In pœnitentia promittitur peccatorum condonatio: sed sine gratiæ infusione non remittitur peccatum mortale.

c) Adest Christi institutio, ut ex evangelica narratione compertum est. — Pœnitentiam autem institutam esse in perpetuum, quamdiu existet Ecclesia, supra jam notatum est, *n. 1741.*

II. **Ex Traditione.** S. Patres Pœnitentiam frequenter cum Baptismo conferunt, eique effectum eumdem, licet modo diverso, attribuunt. Ait *S. Ambrosius:* « In Baptismo remissio peccatorum est; neque interest utrum per Pœnitentiam an per lavacrum hoc jus sibi datum vindicent (sacerdotes): unum in utroque mysterium est.» *(De Pœnit., l. I, c. 8, n. 36).* — *S. Chrysost.:* « Neque solum sacerdotes regenerant, sed etiam condonandorum peccatorum obtinent potestatem.» *(De Sacerdot., l. 3).* — *S. August.:* « Si a catechumeno factum est (homicidium) Baptismo abluitur; si a baptizato, pœnitentia et reconciliatione sanatur.» *(De adult. conjug., l. II, c. 16).*

III. **Ex Præscriptione** et Ecclesiarum consensu, de quibus sat dictum est in Tract. de Sacramentis, *n. 1434.*

IV. **Ex Ratione convenientiæ.** Decuit suavem Dei providentiam medium aliquod sensibile instituisse, quo homines a peccatis post Baptismum commissis liberarentur. Cognovit enim Deus figmentum nostrum, cognovit et continuum luctamen, cui omnes post baptismum obnoxii essemus, et in quo multos esse lapsuros prævidit. Porro, optimum remedium ad ea peccata solvenda, fuit sacramenti institutio, virtute cujus et facilior evaderet reditus ad Deum, et de peccatorum remissione certiores redderemur, et sic cum majori fiducia atque pacis tranquillitate in Dei servitio perseverare possemus. *(Cf. Catech. Rom., De Pœnit., n. 10).*

Prob. II. Pars: *Est sacramentum a Baptismo distinctum.*

I. **Ex Traditione.** S. Patres, sicuti constat ex testimoniis in prima parte relatis, de Baptismo et Pœnitentia ut de distinctis sacramentis semper loquuntur. Ait etiam *S. Cyrill. Alex.:* « Duobus modis Dei spiritu pleni vel afflati homines, peccata remittunt vel retinent, vel cum dignos admittunt ad Baptismum, ac indignos excludunt, vel cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoscunt. » *(In Joan., l. XII, c. 56).*

II. **Ex Ratione.** 1. Christus potestatem retinendi peccata Apostolis elargitus est. Atqui, si Pœnitentia non foret distinctum sacramentum a Baptismate, sacerdotes peccata retinere non possent, cum potestatem non habeant faciendi ut baptizati non sint baptizati, aut peccatoribus memoria Baptismi non recurrat. Pœnitentia est igitur a Baptismo omnino distincta.

2. Baptismus et Pœnitentia ab invicem differunt:

a) Ratione institutionis, cum Baptismus ante Christi mortem, Pœnitentia vero post Christi resurrectionem, aliisque verbis, fuerit instituta.

b) Ratione subjecti, subjectum Baptismi est infidelis, Pœnitentiæ vero solus fidelis in peccatum relapsus.

c) Ratione necessitatis, Baptismus est omnibus ad salutem necessarius; Pœnitentia solis fidelibus, qui post Baptismum in mortale lapsi sunt.

d) Ratione ministri, quilibet homo valide baptizat; solus sacerdos est minister Pœnitentiæ.

e) Ratione materiæ et formæ, aqua et ablutio sunt Baptismi materia; peccata et actus pœnitentis sunt materia Pœnitentiæ; verba formæ utriusque sunt etiam plane diversa.

f) Ratione effectus, Baptismus characterem imprimit, et delet omne peccatum tum originale tum actuale, et quoad culpam et quoad totam pœnam; Pœnitentia characterem non imprimit, et sola peccata actualia post Baptismum commissa delet, nec omnem pœnam peccatis debitam semper aufert.

Atqui, sacramenta quæ adeo inter se differunt, unum et idem numero esse nequeunt. Pœnitentia igitur est sacramentum a Baptismo plane diversum.

1745. — Prop. II. *Sacramentum Pœnitentiæ re vel voto susceptum, est omnibus fidelibus, qui post Baptismum in peccatum mortale lapsi sunt, necessarium necessitate medii.*

De fide, ex Trid., Sess. XIV, cap. 2: « Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus. » Et cap. 4: « Ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto quod in illa concluditur, non esse ascribendam. » Sed Baptismus est necessarius necessitate medii. Ergo et Pœnitentia.

Prob. I. **Ex Script. S.** Constat ex verbis institutionis, eam esse virtutem potestatis clavium, ut quæ peccata sacerdos absolverit in terris, Deus ipse condonet in cœlis; quæ vero sacerdos retinuerit, Deus ipse retineat in cœlo. Porro, si independenter ab usu clavium peccata a Deo condonarentur, sacerdos ea retinere non posset; et sic vana redderetur Apostolorum potestas retinendi peccata, falsaque demonstrarentur verba Christi hoc sacramentum instituentis. Ergo independenter ab usu clavium non datur peccatorum remissio.

Præterea, sacerdos virtute clavium, sicut cœlum aperire, ita et clausum tenere potest. Atqui, si independenter a clavibus peccator peccati sui veniam accipere et cœlum intrare valeret, sacerdos non posset cœlum clausum tenere, et sic ejus potestas irrisoria foret.

II. **Ex Traditione.** Ait *Tertullianus:* « An melius est damnatum latere, quam palam absolvi. » *(De Pœnit., c. 10).* Quibus clare innuit, absque eo sacramento non dari peccatorum remissionem.

S. August.: « Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago... Ergo sine causa dictum est: quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ? » *(Sermo 329, alias 49).* — *S. Basilius:* « Necessario iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. » *(Regula 288, ex brevioribus).*

1746. — **Corollarium.** Cum igitur peccata post Baptismum commissa, secundum ordinariam Dei providentiam, non aliter quam virtute clavium condonentur, sequitur, sacramentum Pœnitentiæ esse omnibus, qui post Baptismum lapsi sunt, necessarium necessitate medii, omnesque proinde hujusmodi fideles teneri ex præcepto divino ad tribunal Pœnitentiæ recurrere, ut peccati sui veniam consequantur.

CAPUT III.

DE NATURA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Omnia Novæ Legis sacramenta rebus constant tanquam materia, et verbis tanquam forma *(n. 1143)*: materia autem potest esse vel remota vel proxima. Agemus igitur: In art. I. de materia remota Pœnitentiæ; in II. de materia proxima; in III. de forma.

Cum autem, ut ex dicendis constabit, materia proxima sint tres actus pœnitentis, contritio scilicet, confessio, et satisfactio, ideirco in hoc capite de materia proxima in genere tantum, in sequenti vero de eadem specialius sermo erit.

ARTICULUS I.

DE MATERIA REMOTA PŒNITENTIÆ.

1747. — Pœnitentiæ materia remota et removenda sunt omnia peccata post Baptismum commissa, sive mortalia, sive

venialia, etiam peccata virtute clavium antea jam remissa; ita tamen ut mortalia, virtute clavium nondum directe remissa, sint materia necessaria; venialia vero aut mortalia jam virtute clavium remissa, sint materia libera, sed sufficiens. Statuantur ergo sequentes propositiones.

1748. — **Prop. I.** *Materia remota sacramenti Pœnitentiæ sunt omnia et sola peccata post Baptismum commissa.* — Communis.

Prob. I. Pars: *Omnia peccata sunt materia remota.*

Id omne, quod habet rationem offensæ Dei, est materia remota Pœnitentiæ, sicuti ex fine hujus sacramenti constat: est enim institutum ad nos Deo reconciliandum, et ad tollendum id omne, quo Deus offenditur. Atqui, omne peccatum, sive sit mortale, sive veniale, veram Dei offensam, licet modo diverso, constituit. Ergo quodlibet peccatum est hujus sacramenti materia remota.

Prob. II. Pars: *sola peccata post Baptismum commissa.*

Ea sola peccata, ad quæ remittenda potestas clavium data est Ecclesiæ, materiam remotam Pœnitentiæ constituunt. Atqui, potestas clavium data est ad sola fidelium peccata delenda, ut patet tum ex Trid., Sess. XIV, cap. 1 et 5, et can. 1; tum ex natura istius potestatis. Data est enim hæc potestas, quæ per modum veri judicii exerceatur; sed judex de iis solis, qui suæ jurisdictioni subduntur, auctoritative judicare valet. Ergo Ecclesia de solis peccatis fidelium judicare potest; ac proinde peccatum originale, et actualia ante Baptismum commissa, nequeunt esse materia sacramenti Pœnitentiæ.

1749. — **Prop. II.** *Peccata mortalia virtute clavium nondum directe remissa, sunt hujus sacramenti materia necessaria; venialia vero et mortalia virtute clavium jam remissa, sunt ejus materia libera sed sufficiens.*

Pars I: *peccata mortalia nondum confessa esse materiam necessariam*, est *de fide*, ex Trid., Sess. XIV, can. 7: « Si quis dixerit, in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccato-

rum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia;... A. S. »

Prob. Illud est hujus sacramenti materia necessaria, quod sine sacramento re vel voto suscepto remitti nequit. Atqui, nullum peccatum mortale absque Pœnitentiæ sacramento re vel voto suscepto remitti potest. *(Cf. n. 1745)*. Ergo.

Pars II: *venialia esse materiam liberam*, est *certa* ex Trid., XIV, cap. 5, docente: *venialia citra culpam taceri posse.*

Prob. 1. Illud peccatum est materia libera, quod multis aliis viis deleri potest, absque sacramento Pœntitentiæ. Atqui, tale est peccatum veniale, quod motu caritatis vel contritionis directe deleri potest. Ergo.

2. Venialia cum gratia sanctificante coexistere possunt. Potest igitur Pœnitentia primam gratiam producere et mortalia remittere, quin remittat venialia. Inde sequitur venialia non esse materiam necessariam.

Quod vero dicitur de venialibus, dicendum est etiam de mortalibus jam confessis: remissa enim non redeunt; ergo non datur amplius obligatio ea clavibus subjiciendi.

Pars III: *Venialia esse materiam sufficientem*, est *certa*, ex Trid., XIV, cap. 5, dicente: *venialia recte et utiliter declarari in confessione;* et can. 7: « Si quis dixerit non licere confiteri peccata venialia: A. S. » Quibus constat, sacramentum in illis suum effectum sortiri, et consequenter venialia esse materiam sufficientem.

Prob. Christus, conferendo potestatem clavium, dixit modo generali: *quorum remiseritis peccata*. Atqui venialia, etsi animam gratia non spoliant, sunt tamen vera peccata, et Dei offensam constituunt. Venialia igitur sunt materia sufficiens.

Confirmatur ex praxi piorum et sanctorum, qui cum solis venialibus, sciente et approbante Ecclesia, ad sacrum tribunal accedunt.

Pars IV: *Peccata jam confessa esse materiam sufficientem*, est sententia *communis*.

Prob. 1. Ex verbis Benedicti XI *(Const. Inter cunctos)*: « Licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata,

tamen ut eorum peccatorum iteretur confessio, reputamus salutare. »

2. Ex praxi piorum et sanctorum, qui peccata antea jam confessa clavibus iterum subjiciunt, quo majores ex nova absolutione consequantur gratias.

3. « Ratio autem theologica est, *ait P. Marc*, quia peccatum, etsi jam remissum, manet tamen commissum, ideoque potest peccator illud iterum detestari ac judiciariæ sacerdotis potestati subjicere, qui potest pariter absolutionis sententiam in illud iterare. » *(Inst., n. 1657).*

« Nec obstat dicere, *ait S. Alph.*, peccatum deletum non esse amplius peccatum : peccatum enim, etsi remissum, semper peccatum est commissum ; sufficit autem ut sacramentum habeat effectum in actu primo, nempe quod præbeat gratiam deletivam peccati, quamvis per accidens in actu secundo peccatum non deleat. » *(Mor., l. VI, n. 427).*

ARTICULUS II.

DE MATERIA PROXIMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

1750. — Circa materiam proximam sacramenti Pœnitentiæ singularem opinionem tenet Scotus *(4. Sent., D. 14, q. 4 ; D. 16, q. 1)*, cum nonnullis aliis tam antiquioribus quam recentioribus. Docet nimirum, totam Pœnitentiæ essentiam consistere in absolutione sacerdotis, quæ, quatenus est actus externus, materiam proximam, quatenus vero significat remissionem peccatorum, formam Pœnitentiæ constituit ; actus vero pœnitentis esse tantum *dispositiones* seu *conditiones* ad sacramentum suscipiendum necessarias, non autem ipsius sacramenti partes essentiales.

Verior tamen et *communior* sententia docet cum S. Th. *(P. 3, q. 84 et 90)*, S. Alphonso *(Cont. hær., c. 6, n. 30 et seq.)*, Salmanticensibus, Suarez, De Lugo, Isamberto, etc., tres actus pœnitentis, nimirum contritionem, confessionem, et satisfactionem, esse materiam proximam hujus sacramenti : contritionem quidem et confessionem partes essentiales, sa-

tisfactionem vero partem integralem; ita ut sacramentum Pœnitentiæ intrinsece ex absolutione sacerdotis tanquam forma, et ex actibus pœnitentis tanquam materia componatur.

1751. — **Prop. I.** *Tres actus pœnitentis, nempe: contritio, confessio et satisfactio sunt materia proxima sacramenti Pœnitentiæ.*

Prob. I. **Ex Conciliis.** Legimus *in Florent., decr. pro Arm.:* « Quartum sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis... cordis contritio.... cum proposito non peccandi de cætero;... oris confessio;... satisfactio pro peccatis. »

Et *in Trident., XIV, cap. 3:* « Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, et satisfactio; qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur. » — Eadem fere verba habet in can. 4.

In quæ verba sic argumentari licet:

1. Duo præfata concilia aliorum sacramentorum materiam et formam distincte designant; pro Pœnitentia vero nullam aliam assignant materiam, quam tres actus pœnitentis. Ergo actus illi materiam Pœnitentiæ vere constituunt; nisi dicere velimus, hæc concilia Pœnitentiæ materiam designare noluisse, quod vix aliquis concedere posset.

Nec obstat dicere, concilia hos actus vocasse *quasi materiam*, non autem materiam. Etenim, ut ait *Catech. Rom. (De Pœnit., n. 13):* « Neque vero hi actus *quasi materia* a s. synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant; sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo et chrisma in Confirmatione. »

2. Actus pœnitentis a Tridentino vocantur *partes Pœnitentiæ*. Sed, ut ait *S. Alph. (loc. cit. n. 31)*, cum *Juenin (Instit., De Pœnit., q. 2, concl. 2):* « Sacramenti partes sunt illi intrinsecæ; atqui materia intrinseca et materia *ex qua*

idem omnino sunt; ergo illi actus sunt materia *ex qua* sacramenti Pœnitentiæ. »

3. Actus illi, secundum Tridentinum, requiruntur *ad integritatem sacramenti*, et *ut partes ejus*. Atqui simplex dispositio requisita ex parte subjecti, non potest dici pertinere ad integritatem sacramenti, nec esse pars sacramenti. Igitur, non sunt actus illi simplices dispositiones ad sacramentum, sed ad ipsum intrinsece pertinent.

4. Demum, illi actus conditiones omnes possident, quæ ex parte materiæ ad sacramentum intrinsece constituendum requiruntur; sunt enim: *a) divinitus instituti*, quia *ex Dei institutione requiruntur*, ut ait Trident.; — *b)* sunt *signa sensibilia:* confessio per se est sensibilis; contritio vero et satisfactio per accidens, per confessionem scilicet, sensibiles redduntur: — *c) concurrunt ad productionem gratiæ*, quia secundum Trid., requiruntur *ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem;* quibus verbis clare innuitur, eos actus ita ad sacramentum requiri, ut concurrant etiam ad remissionem peccati. Et *S. Th., (q. 86, a. 6)*, ait: « Remissio culpæ est effectus Pœnitentiæ, principalius quidem ex virtute clavium quas habent ministri... secundario autem ex vi actuum pœnitentis. » — Et *(q. 90, a. 2, ad 2):* « Satisfactio confert gratiam, prout est in proposito, et auget eam, prout est in exsecutione. »

II. **Ex Ratione.** Pœnitentia a Christo Domino per modum judicii instituta est. Atqui, ad judicium duo elementa constitutiva concurrere debent, materia scilicet judicii, et sententia judicis. In hoc autem sacramento materia judicii præbetur actibus pœnitentis. Ergo actus pœnitentis ad intrinsecam constitutionem judicii sacramentalis requiruntur.

1752. — **Prop. II.** *Confessio et contritio sunt partes materiales essentiales Pœnitentiæ; satisfactio vero pars materialis integralis* [1]. — Communis.

[1] Cf. Isamb., Disp. VII, a. 4 et 5.

Prob. *Partes essentiales* alicujus rei illæ dicuntur, quæ ad rem constituendam ita concurrunt, ut, una deficiente, tollatur rei essentia; talis, v. gr., est anima in composito humano; *pars vero integralis non essentialis* illa dicitur, quæ requiritur ut res undequaque sit perfecta et integra; ita tamen, ut ipsa deficiente, rei essentia non tollatur; hujusmodi, v. gr., est pes in corpore humano.

Atqui, confessio et contritio ad sacramenti Pœnitentiæ integritatem ita requiruntur, ut, deficiente confessione aut contritione, sacramentum non perficiatur; satisfactio vero ita ad sacramenti integritatem requiritur, ut, ea deficiente, sacramentum nihilominus perficiatur. Ergo confessio et contritio sunt partes essentiales Pœnitentiæ; satisfactio vero pars integralis, non essentialis.

Prob. minor per partes. 1. Requiri *confessionem peccatorum*, ut sacramentum Pœnitentiæ perfici possit, est *de fide*, ex Trid., XIV, can. 9: « Si quis dixerit... non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; A. S. » — Et cap. 6, ait: « Constat enim, sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse. » *(Cf. n. 1743).*

2. *Contritionem* ita esse necessariam, ut sine ea sacramentum perfici nequeat, etiam ad fidem pertinet, ex Trid., XIV, cap. 4: « Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius. » Ergo et in sacramento Pœnitentiæ hic motus contritionis est necessarius, ut possit dari absolutio. *(Cf. n. 1761).*

3. *Satisfactionem* (actualem scilicet, non autem propositum satisfaciendi, quod in vera contritione necessario includitur), *non esse partem essentialem*, sine qua non posset confici sacramentum, est *certum* ex prop. 5 Petri Oxomensis, a Sixto IV damnata: « Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta. » *(Denz., n. 614).*

Eamdem vero actualem satisfactionem *esse sacramenti partem integralem*, ex ipsius sacramenti natura manifestum est. Istud enim sacramentum institutum est ad plenam et perfectam peccatorum remissionem consequendam. Plena autem et perfecta peccatorum remissio consistit non solum in

liberatione a reatu culpæ et pœnæ æternæ, sed etiam in omnimoda pœnæ temporalis remissione. Porro, satisfactio primo et per se ordinata est ad plenam pœnæ temporalis remissionem operandam. Ergo, ut sacramentum suum effectum plene inducere possit, requiritur satisfactio. Hæc est igitur pars integralis.

4. *Prob. minor quoad omnes partes simul.* Sacramentum Pœnitentiæ est a Christo institutum per modum judicii ad hominem Deo reconciliandum. Atqui, ad tale judicium tres actus pœnitentis necessario requiruntur, confessio quidem et contritio tanquam partes essentiales, satisfactio vero tanquam pars integralis. Enimvero:

a) Ad judicium essentialiter requiritur ut judex causam cognoscat. Porro, in hoc sacramento causa judicanda sunt peccata, quæ non alia via quam pœnitentis confessione cognosci possunt. Confessio igitur pœnitentis ad sacramentum essentialiter requiritur.

b) Pœnitentia est essentialiter judicium *reconciliativum*, ordinatum ad delicti remissionem et ad hominem Deo reconciliandum. Porro, ad judicium reconciliativum essentialiter requiritur, ut reus delictum suum retractet, et de eo doleat. Qui enim de delicto suo gauderet, non esset remissionis dignus, nec capax qui Deo reconciliaretur. Ergo ad Pœnitentiam ita necessario requiritur contritio, ut sine ea sacramentum subsistere nequeat.

c) Pœnitentia est etiam judicium *vindicativum*, et ut tale expostulat satisfactionem. Sed cum hæc actualis satisfactio ordinetur, non directe ad remissionem reatus culpæ, sed ad tollendum reatum pœnæ, ipsa non essentialiter requiritur ut sacramentum remissionem culpæ operetur, dummodo adsit propositum satisfaciendi, sine quo ipsa contritio deficeret. Ergo actualis satisfactio non est pars essentialis sacramenti, sed integralis tantum.

ARTICULUS III.

DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ [1].

1753. — Forma in Sacr. Pœnitentiæ usurpanda est hæc: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen;* sicut constat ex Florentino et Tridentino. Ait Trid., XIV, cap. 3: « Docet S. Synodus sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo, etc.* » — Et in Catech. Rom. (De Pœnit., n. 14) legimus: « Est autem forma: *Ego te absolvo;* quam non solum ex illis verbis licet colligere: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis:* sed ex eadem Christi Domini doctrina ab Apostolis tradita accepimus. »

Circa hanc formam plura moventur dubia.

1754. — **Quæritur I.** *An omnia prædicta verba sint de essentia formæ.*

Resp. « Certum est apud omnes, *ait S. Alph.*, verba *te absolvo*, ad essentiam formæ pertinere. » *(Mor., VI, 430).*

An autem tota forma his verbis *te absolvo* perficiatur, disputant.

Plures sentiunt, verba *a peccatis tuis* ad essentiam formæ pertinere, quia per ea significatio verbi *absolvo* determinatur; nonnulli etiam, etsi pauciores, verba *in nomine Patris* etc., de essentia formæ esse putant, ita ut sine eis sacramentum perfici nequeat.

Communissima tamen et speculative probabilior sententia docet, totam et integram formam in his verbis *te absolvo* consistere; cætera vero addi ad magis explicitam formæ significationem.

[1] Cf. S. Th., q. 84, a. 3; Opusc. 18 (alias 22); S. Alph., *Mor.*, l. VI, n. 428 et seq.; De August., *De Pœnit.*, a. 11; Isamb., Disp. 8.

Prob. 1. Sacramenta efficiunt quod significant. Porro, effectus Pœnitentiæ est remotio peccatorum, quæ verbis *te absolvo* significatur. Ergo, his verbis semel prolatis, effectus sacramenti producitur; ac proinde non requiruntur alia verba ad essentiam formæ. « Quoniam sacramenta, *inquit Catech. Rom.*, id significant, quod efficiunt, et illa verba: *Ego te absolvo* ostendunt peccatorum remissionem hujus sacramenti administratione effici: planum est, hanc esse Pœnitentiæ perfectam formam. » *(De Pœnit., n. 11; cf. S. Th., q. 84, a. 3).*

Porro, cum verbulum *ego* essentialiter includatur in verbo *absolvo*, necesse non est ut explicite exprimatur.

2. Pœnitentia est judicium ad instar judicii forensis. Sed in judicio forensi, ad sententiam absolutoriam pronuntiandam, hæc duo verba *te absolvo*, sufficiunt. Inde recte deducitur, eadem in judicio sacramentali sufficere.

3. Verba *in nomine Patris*, etc., non esse de essentia formæ, planum est « cum in institutione hujus sacramenti nullam mentionem Christus fecerit de hac invocatione SS. Trinitatis, sicut fecit in sacramento Baptismi. » *(S. Alph., loc. cit.).*

4. Verba *a peccatis tuis* non requiri ad essentiam formæ, ex eo constat, quod sine eis sensus formæ perfecte est determinatus. Eo enim ipso quod verba *te absolvo* proferuntur super accusationem peccatorum a pœnitente factam, satis jam manifestatur, ea determinate significare absolutionem a peccatis, quæ hic et nunc clavibus subjecta sunt; sicut etiam nec in judicio forensi requiritur ut delictum in sententia absolutoria exprimatur.

NB. Quæ modo dicta sunt, valent pro speculatione; ast cum oppositæ sententiæ probabilitate non careant, in praxi necesse est ut integra forma, qualem Rituale indicat, semper pronuntietur.

1755. — Quæritur II. *An valida sit absolutio scriptis data.*

Resp. *Negative.* Legimus in Florentino, decr. pro Arm.: « Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit: ego te absolvo. » Porro illa duo: *verba quæ profert,* et *dicit,* denotant locutionem, et non scriptionem.

Præterea, Clemens VIII, (20 Junii 1602), proscripsit ut falsam et temerariam hanc prop.: « Licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere »; et prohibuit « neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur. » *(Denz., 962)*. — Et Paulus V, (14 Julii 1605) declaravit hoc decretum quoque valere de absolutione danda, etiam si confessio in præsentia præcessisset. *(Denz., 963)*.

Jamvero, hoc decreto absolutio scriptis data declaratur invalida. « Nam si Pontifex, *inquit S. Alph.*, tantum illicitam eam intendisset declarare, ipsa aliquando, urgente necessitate, valide et licite dari posset, cum leges ecclesiasticæ non possint obligare cum gravissimo damno, et tanto magis si illud est spirituale. » *(Mor., VI, 428)*.

1756. — Quæritur III. *Utrum forma debeat esse indicativa, an sufficiat deprecatoria.*

Resp. Certum est, ex Concil. Trid., Sess. XIV, cap. 3, in Ecclesia Latina solam formam indicativam esse usurpandam; ac proinde, si quis sua privata auctoritate formam deprecatoriam, v. gr., *Dominus te absolvat*, etc., adhiberet, absolutio foret secundum plerosque invalida, secundum omnes, saltem dubia.

Sed multum disputant theologi, an scilicet forma debeat necessario esse indicativa, ita ut forma deprecatoria nunquam potuerit esse valida.

Prima sententia docet cum S. Th. *(Opusc. 18 vel 22)*, ad valorem sacramenti formam debere esse *indicativam*, deprecatoriam vero nunquam fuisse validam. Ratio est: quia Christus hoc sacramentum instituit per modum judicii, in quo sacerdos, tanquam minister Christi, munere veri judicis fungitur. Sed, judicis partes sunt reum absolvere, et non alterum deprecari qui absolvat. Ergo et ipse sacerdos debet in hoc sacramento peccata vere absolvere, quod fit sola forma indicativa; ac proinde forma deprecatoria ex institutione Christi est invalida.

Secunda sententia docet, formam deprecativam fuisse antiquitus in Ecclesia Romana, et esse adhuc hodie in Ecclesia Græca validam. Compertum enim esse videtur ex monumentis historicis, in Ecclesia Latina usque ad sæculum XII formam deprecatoriam fuisse in usu, ut probat *Morinus (l. VIII, c. 8)*, cujus opinionem sequuntur S. Alphonsus *(Cont. hær., c. VI, n. 72 et 84)*, Gotti, Witasse, Tournely, Perrone, Hurter, multique alii. Præterea, sicut testatur Denzinger *(Ritus Orient., De Pœnit., § 2)*, forma absolutionis apud Orientales, si Armenos excipias, adhuc nunc est deprecativa; quæ forma, *ait S. Alph. (loc. cit.)*, est etiam ab Ecclesia approbata.

Proinde dicendum est, formam deprecatoriam olim in Ecclesia Latina fuisse validam, et adhuc nunc ipsam esse validam apud Græcos.

Ratio est: quia Ecclesia in re tanti momenti errare non potuit; ac proinde si Ecclesia formam deprecativam adhibuit, vel saltem toleravit, argumentum est indubium eam formam fuisse validam, et adhuc nunc apud Græcos esse validam.

Tertia sententia distinguit formam formaliter deprecatoriam a forma materialiter deprecatoria. Forma dicitur *formaliter* deprecatoria, quando qui eam pronuntiat vere intendit alium deprecari, ut absolvat; dicitur *materialiter* deprecatoria, quando forma, etsi proferatur verbis deprecatoriis, pronuntiatur tamen cum intentione vere absolvendi, et non rogandi; sicut, v. gr., quando judex dicit de reo: *Absolvatur*, ipse vere absolvere intendit. *(Cf. De Augustinis, art. 11).*

Docet proinde hæc sententia, formam formaliter deprecatoriam nunquam fuisse validam, ob rationes in prima sententia allatas; — formam vero materialiter deprecatoriam, utpote quæ æquivaleat indicativæ, esse validam; atque eo sensu fuisse antiquitus usurpatam.

CAPUT IV.

DE PARTIBUS PŒNITENTIÆ.

Tres, sicuti supra notatum est *(n. 1751)*, enumerantur Pœnitentiæ partes, *contritio* scilicet, *confessio*, et *satisfactio*, quæ sunt ipsimet actus virtutis pœnitentiæ a Christo Domino ad dignitatem sacramenti elevati. Ut igitur natura sacramenti Pœnitentiæ perfecte innotescat, de hisce tribus actibus in specie est agendum. Quocirca, in art. I. sermo erit de contritione; in II. de confessione; in III. de satisfactione.

ARTICULUS I.

DE CONTRITIONE [1].

Contritio duo elementa necessario complectitur, *dolorem* scilicet de peccato commisso, et *propositum* non peccandi de cætero. — Præterea, contritio inspici potest vel in genere, quatenus nempe est actus virtutis pœnitentiæ; vel specialius,

[1] Cf. S. Th., *Suppl.*, q. 1-5; S. Alph., *Mor.*, l. VI, n. 433 et seq.; *Cont. hær.*, c. 6, n. 37 et seq.; *Institut. catech.*, P. II, c. 5.

nimirum quatenus ordinata ad sacramentum Pœnitentiæ. Quam ob rem, in § 1. contritionem considerabimus in genere; in § 2. quatenus ad sacramentum ordinatam; et in § 3. de proposito sermo erit.

§ 1. *De Contritione in genere.*

1757. — Definitio. — Contritio a Trid., Sess. XIV, cap. 4, definitur: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

Dicitur: *dolor,* id est afflictio, seu tristitia animam crucians ob offensam in Deum commissam. — *Animi,* ad indicandum dolorem illum esse cordis et voluntatis; neque necessarium esse, ut sentiatur in corpore, licet plerumque dolor sensibilis verum animi dolorem comitetur. — Ac *detestatio,* id est, odium peccati, et ejus retractatio, ita ut voluntas vellet non peccasse. — *De peccato commisso,* de omni scilicet actu propria voluntate perpetrato, quo Deus est offensus. — *Cum proposito non peccandi de cætero,* nam vera retractatio peccati stare nequit absque firma a novis peccatis abstinendi voluntate.

Cum in Nova Lege passio Christi non operetur ad remissionem peccatorum nisi per sacramenta, inde sequitur, contritionem, ut sit vera, in infidelibus debere conjunctum habere propositum seu votum saltem implicitum suscipiendi Baptismum; in fidelibus autem votum confitendi. *(Suppl., q. 1, a. 1, et q. 5, a. 2, ad 1).*

1758. — Essentia contritionis. — Contritio, ut ait Trid., est *animi dolor et detestatio de peccato commisso.* Dubitatur proinde in quonam ex his duobus consistat essentialiter contritio.

« Alii, *ait S. Alph.*, dicunt consistere in dolore, qui præsupponit detestationem, ut Gonet. Alii vero dicunt consistere in detestatione quam sequitur dolor; et hæc sententia est satis communis, et verior videtur cum Suarez, Sporer... ex D. Thoma, qui docet: *Exigitur ad remissionem, ut homo actualiter peccatum commissum detestetur.* Ratio, quia non quidem dolor est causa detestationis, sed detestatio est causa doloris; et dolor ideo est utilis, quia procedit a peccati detestatione, quæ principaliter est abolitio culpæ, cum sit velle non peccasse. Cæterum... non dubitandum quin in contritione utrumque re-

quiratur, tam dolor quam detestatio, et quod revera in uno alterum exercite contineatur; qui enim suum detestatur peccatum, necessario de ipso dolet; et contra, qui de peccato dolet, illud necessario detestatur. » *(Mor., l. VI, n. 435).*

1759. — Qualitates contritionis. — Quatuor enumerantur qualitates contritionis: debet nimirum esse *vera, supernaturalis, appretiative summa,* et *universalis* saltem respectu mortalium.

1. Vera, id est, *sincera* et *efficax,* et non solum ficta aut existimata. « Opus est, *ait S. Alph.,* ut anima verum concipiat dolorem, veram displicentiam, veram amaritudinem de peccato commisso, utque illud detestetur et abhorreat. » *(Inst. catech., P. II, c. 5, n. 13).*

Ratio est, quia contritio est *animi dolor,* id est dolor et afflictio cordis et voluntatis. — Præterea, quamdiu voluntas in deordinatione manet, manet et ipsa culpa. Voluntatem autem a deordinatione libere admissa cessare, illud contingere nequit, nisi ipsa retractet, quod fecit; quæ retractatio absque vera et efficaci contritione fieri nequit.

2. Supernaturalis, *tam ratione principii,* id est, debet poni sub impulsu gratiæ actualis; *quam ratione motivi,* id est, debet in anima excitari ob motivum fide propositum.

a) Ratione principii: Definitur in Trid., Sess. VI, can. 3, absque gratia neminem pœnitere posse sicut oportet; et in S. Scriptura, pœnitentia soli gratiæ attribuitur; demum, contritio est dispositio ad justificationem; sed nemo absque motione gratiæ sese ad justificationem præparare potest.

b) Ratione motivi: Constat ex prop. 57ª ab Innocentio XI damnata: « Probabile est sufficere contritionem naturalem, modo honestam. » — Quantumcumque igitur homo doleret de peccato, quia repugnat rationi, vel quia privat fama, sanitate, etc., talis dolor nullatenus valeret ad justificationem consequendam, quia hæc est ordinis supernaturalis. — Occasio tamen istius contritionis potest esse naturalis, ut constat exemplo Ninivitarum.

Dolor ille supernaturalis, utpote ordinatus ad gratiam sanctificantem consequendam, necessario conjunctam habet

spem veniæ; deficiente enim spe veniæ, dolor foret desperantis. *(S. Alph., Inst. catech., c. 5, n. 18).*

3. Appretiative summa. — Contritio potest dici summa tripliciter: *intensive, extensive*, et *appretiative*. — Est summa *intensive*, quando dolor voluntatis, quem quis de peccato commisso experitur, omnem alium dolorem quantitate superat. — Est summa *extensive*, quando per majorem temporis tractum perdurat. — Est summa *appretiative*, quando quis offensam Dei tanquam majus malum considerat, quam quodcumque aliud malum, ac proinde eam magis detestatur quam quodcumque aliud malum, fugamque peccati pluris æstimat quam cujuscumque alterius mali evitationem aut cujuscumque boni assecutionem. Jamvero:

a) Necesse non est contritionem esse summam intensive[1].

Prob. Deus contritis et pœnitentibus, absque graduum limitatione, veniam promittit (Zach. I, 2): *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.*

Præterea, virtutes earumque actus, in quocumque sint gradu, specificam suam bonitatem retinent, quia semper sub eadem ratione formali in sua objecta tendunt. Atqui, pœnitentia est virtus, cujus proprius actus est detestari peccatum ut offensam Dei. Ergo, in quocumque actu reperietur illa detestatio, erit vere et essentialiter contritio. Contritio igitur, qua contritio, certum gradum intensionis non expostulat. « Quantumcumque parvus sit dolor, *ait S. Th.*, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet. » *(Suppl., q. 5, a. 3).* — Quo tamen intensior est dolor, eo perfectior est etiam contritio.

b) Necesse non est contritionem per aliquot tempus determinatum durare.

Prob. Scriptura determinatam contritionis durationem non expostulat; sed pœnitentibus statim veniam promittit. (Ezech. XXXIII, 12): *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Unde ait S. Leo: « Apud Deum nullas patitur moras vera conversio. » *(Ep. 82, c. 4).*

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, VI, n. 441 et seq.

Præterea, actus interni voluntatis determinatum durationis tempus non requirunt, sed tenuissimo temporis puncto perfecte elici possunt, ut patet, v. gr., de actibus peccaminosis internis. Porro, contritio est actus internus voluntatis. Ergo determinatum durationis terminum non expostulat, sed brevissimo temporis puncto consummari potest.

c) Necesse est contritionem esse summam appretiative.

Prob. Cum peccatum amori Dei opponatur, dolor in contritione eodem modo debet esse summus, quo Dei dilectio debet esse summa. Atqui, homo Deum amore appretiativo super omnia diligere tenetur, secundum illud (Matth. X, 37): *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Ergo detestatio peccati in contritione requisita debet necessario esse summa appretiative.

4. Universalis, *saltem respectu mortalium.* — Omnia mortalia conveniunt in ratione aversionis a Deo, et omnia veram Dei offensam constituunt. Fieri autem nequit vel aliquem de uno vere dolere in quantum est offensa Dei, et in alio sibi complacere; vel aliquem ad Deum converti detestando unum peccatum, et ab eo aversum manere per affectum ad aliud. *(S. Th., 3, q. 86, a. 3).*

Præterea, *ait S. Alph.*, « nullum mortale remittitur peccatum sine infusione gratiæ; sed ista gratia cum peccato mortali esse non potest; ideoque nulla culpa gravis potest alicui remitti quin omnia remittantur. » *(Inst. catech., c. 5, n. 17).*

NB. Dictum est, *saltem respectu mortalium,* quia cum venialia sint non habitui sed fervori caritatis contraria, unum potest remitti sine alio; ac proinde homo de uno etiam vere dolere potest, quin de aliis doleat.

1760. — Divisio contritionis. — Tridentinum, XIV, cap. 4, duplicem distinguit contritionem, *perfectam* scilicet, et *imperfectam* seu *attritionem.*

Contritio perfecta ea est, quæ elicitur ex motivo caritatis; et quam Tridentinum vocat *caritate perfectam. (S. Alph., Mor., VI, n. 436).* — Definitur: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, in quantum est offensivum Dei summi Boni super omnia diligibilis.* Hæc simpliciter vocatur *contritio.*

Contritio imperfecta seu *attritio* ea est, qua quis dolet de peccato commisso in quantum est offensa Dei propter motivum caritate inferius; hæc, ait Trident. *(loc. cit.)*: « ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur. » — « Contritio itaque, *ait S. Alph.*, est peccati dolor propter injuriam Deo factam; attritio vero est dolor offensionis factæ Deo propter malum quod nobis evenit. » *(Inst. cathec., c. 5, n. 20)*.

Cum igitur contritio et attritio habeant motiva diversa, in comperto est, contritionem et attritionem specifice ab invicem differre.

Quibus notatis, sint sequentes propositiones:

1761. — Prop. I. *Actus contritionis est ad remissionem peccati mortalis necessarius necessitate medii et præcepti tam divini quam naturalis.*

NB. Propositio sumi debet in extensione sua latissima, prout scilicet extenditur ad quoslibet homines in mortali existentes, sive sint fideles, sive infideles, sive ante Christi adventum exstiterint, sive post ejus adventum existant.

Item, vox *actus contritionis*, tota sua latitudine accipi debet, prout nimirum significat tum actum contritionis perfectæ, qui requiritur si homo justificatur extra sacramentum, tum actum attritionis, qui sufficit cum susceptione sacramenti Pœnitentiæ.

Pars I: *Actus contritionis est necessarius necessitate medii*, ad fidem pertinet. ex Trid., XIV, cap. 4: « Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius. » *Cf. etiam cap. 1.*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Jerem. XVIII, 8): *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo... agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* « Et sic e contrario, *ait S. Th.*, videtur quod si homo pœnitentiam non agat, Deus ei non remittat offensam. » *(P. 3, q. 86, a. 2)*.

(Luc. XIII, 5): *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* — (Act. III, 19): *Pœnitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Quibus verbis compertum est, sine pœnitentia nullum peccatum remitti, ac proinde contritionem esse necessariam necessitate medii.

II. **Ex Ratione.** 1. « Manente causa, manet effectus, *ait S. Th.*. Causa autem quare aliquis privatur gratia per peccatum, est inæqualitas peccatoris, qua Deum offendit; unde quamdiu ista inæqualitas ad æqualitatem non reducitur, non potest privatio gratiæ cessare. Hoc autem facit pœnitentia per suum actum. Unde sine actu pœnitentiæ peccatori salus esse non potest. » *(4. Sent., D. 14, q. 2, a. 5).*

2. « Cum peccatum sit Dei offensa, *inquit S. Th.*, eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam... Non autem contingere potest quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis ejus. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ, et proposito emendandi, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ, secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est quod peccatum aliquod remittatur sine pœnitentia. » *(P. 3, q. 86, a. 2).*

Pars II: *est necessarius ex præcepto divino*, est CERTA.

Prob. Legimus (Ezech. XVIII, 30): *Agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* — (Act. II, 38): *Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum.* — Quæ verba verum præceptum denotant.

Præterea, Christus Dominus pœnitentiam sub forma præcepti prædicavit (Matth. IV, 17): *Exinde cœpit Jesus prædicare et dicere: pœnitentiam agite.*

Demum, omnibus impositum est præceptum diligendi Deum super omnia (Luc. X, 27): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Atqui, eadem lex, quæ præscribit amorem Dei super omnia, obligat etiam tum ad detestandum quidquid ei displicet, tum ad ejus amicitiam, si quis eam amiserit, recuperandum.

Pars III: *est necessarius ex præcepto naturali*, est CERTA.

Prob. 1. Vi juris naturalis quilibet tenetur alteri, quem læsit, satisfacere in quantum potest. Atqui peccando, homo

jura Dei læsit. Ergo vi juris naturalis homo tenetur juri Dei satisfacere; quod per solam pœnitentiam fieri potest.

2. Ex jure naturali quilibet iis tenetur uti mediis, sine quibus finis ultimi assecutio redditur impossibilis. Atqui, pro homine peccatore contritio de peccatis est medium sine quo salus est impossibilis. Ergo actus contritionis necessarius est ex præcepto naturali.

1762. — Scholium. *De pœnitentia requisita ad remissionem venialium.*

NB. Quæstio de illis venialibus solum movetur, quæ in homine justo inveniuntur. Qui enim existit in mortali, nullius peccati venialis veniam obtinere potest, nisi simul condonetur mortale. *(S. Th., P. 3, q. 87, a. 4).*

Resp. Ad remissionem venialium requiri contritionem sive explicitam, sive implicitam quæ in actu caritatis necessario includitur. Ratio est: quia veniale, etsi animam gratia non privat, est tamen offensa Dei, est vera voluntatis deordinatio. Ac proinde, ut condonetur, necesse est ut voluntas illud detestetur ac retractet, sive explicite per actum contritionis, sive virtualiter per actum caritatis. *(Cf. 4. Sent., D. 16, q. 1 et 2. De Malo, q. 7, a. 11).*

Cum autem unum veniale possit remitti sine alio, ea tantum remittuntur in hac vita, quæ homo retractat sive formaliter per contritionem, sive virtualiter per actum caritatis; ac proinde ut homo omnium venialium per contritionem aut per actum amoris veniam consequatur, necesse est ut ejus voluntas generaliter excludat omnem affectum ad venialia, eaque omnia saltem implicite detestetur.

Si quis autem in venialibus moriatur, hæc post mortem condonari apud omnes in confesso est. Quomodo autem condonentur in altera vita, disputant auctores. Opinio communior et probabilior tenet, hæc venialia quoad reatum culpæ remitti per actum caritatis perfectæ, quem anima in ipsa separatione a corpore producit. « In altera vita, *inquit S. Alph.*, solæ remittuntur culpæ veniales; et hæ non remittuntur per pœnas, sed per primum actum amoris erga Deum, quem anima,

egrediendo e vita, eliciet; qui actus caritatis, utpote intensissimus, includit earum detestationem.» (*Cont. hær.*, sess. XXV, n. 5; cf. *ibid.*, n. 17) [1].

1763. — **Prop. II.** *Contritio perfecta hominem semper justificat, etiam sine actuali susceptione sacramenti Pœnitentiæ, licet non absque ejus voto* [2].

Ad fidem pertinet, ex Trid., XIV, cap. 4: « Docet præterea (S. Synodus), etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. »

Prop. est contra Baium, cujus prop. 71ª damnata sic sonat: « Per contritionem etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione sacramentorum. »

Prob. I. Pars: *contritio perfecta hominem semper justificat.*

I. **Ex Script. S.** Legimus (Ezech. XVIII, 27): *Cum averterit se impius ab impietate sua, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit* — (Ps. L, 19): *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* — (Ezech. XXXIII, 12): *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Jamvero, his ex verbis constat, in Veteri Lege per contritionem perfectam homines gratiam justificationis consequi potuisse. Porro, non minor est vis contritionis in Lege Nova. Ergo.

II. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia, etsi peroptet ut qui sacramenta vivorum, quæ statum gratiæ præsupponunt, recipere debent, prius confiteantur, si sunt in mortali, permittit tamen ut ea recipiant, dummodo conterantur. Legimus enim in Pontificali Urbani VIII: « Adulti deberent prius peccata confiteri et postea confirmari, vel saltem de mortalibus, si in

[1] Cf. Gonet., *Clyp.*, Disp. V, a. 4; De Lugo, Disp. IX, sect. 2, n. 34; Isamb., Disp. 25, a. 13. — [2] Cf. De Lugo, Disp. V, sect. 8; Gonet, *Clyp.*, Disp. III, a. 3; S. Alph., *Mor.*, VI, n. 441, et seq.

ea inciderint, conterantur. » Atqui, si contritio perfecta hominem non justificaret, Ecclesiam talem licentiam nunquam concedere potuisset. Ergo.

III. **Ex Ratione.** « Cum contritio ex solo motivo caritatis oriatur, *ait S. Alph.*, non potest contritio existere, nisi præcedat simulque coexistat caritas; nam contritio nihil aliud est quam dolor de peccato, quatenus offensa Dei summe dilecti; unde qui conteritur, necesse est ut exercite, etsi non reflexe, actum caritatis eliciat, et ideo S. Thomas dixit: *Actus et habitus caritatis simul sunt tempore cum actu et habitu pœnitentiæ. (P. 3, q. 35, a. 6).* Posito igitur quod contritio sit etiam vera caritas, sive necessario cum caritate conjuncta, necessario etiam dici debet quod remittat peccatum. » *Mor., VI, n. 442; cf. n. 1377).*

Prob. II. Pars: *requiritur tamen votum sacramenti.*

I. **Ex Condemnatione** prop. 1.^m^ Petri Oxomensis, a Sixto IV: « Peccata mortalia, quantum ad culpam et pœnam alterius sæculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves. » *(Denz., n. 610).*

II. **Ex S. Thoma.** « Numquam potest esse vera contritio, *inquit*, sine voto clavium Ecclesiæ, quantumcumque sit dolor de peccato præterito, et propositum abstinendi in futurum; et ideo in contritione culpa remittitur. » *(Quodl., 4, a. 10).*

III. **Ex Ratione.** Id, quod ex Christi institutione est unicum medium ad remittendum peccatum mortale post Baptismum commissum, necessario requiritur *re* vel *voto* ad peccatum reapse auferendum. Atqui, tale est sacramentum Pœnitentiæ. Ergo, ut contritio peccatum post Baptismum commissum auferat, adjunctum habere debet votum sacramenti.

Sufficit autem, secundum opinionem probabiliorem et communiorem, votum sacramenti esse implicitum; dicit enim Trid., *illud in contritione includi.* Quod autem in alio includitur, implicitum est, non explicitum. *(Cf. S. Alph., Mor., VI, 437).*

NB. Dictum est in prop.: *licet non absque voto sacramenti Pœnitentiæ*, quia hic agitur de peccatis post Baptismum commissis. In infidelibus enim, ut contritio peccatum remittat, requiritur votum saltem implicitum Baptismi *(cf. n. 1526)*, non autem Pœnitentiæ, cujus ipsi sunt incapaces.

1764. — Prop. III. *Attritio ex metu gehennæ pœnarumque concepta, bona est atque utilis ad salutem.*

De fide, ex Trid., Sess. XIV, can. 5: « Si quis dixerit, eam contritionem quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam;... A. S. » — *Cf. etiam cap. 4, et Sess. VI, can. 8.*

Prop. statuitur contra Lutherum docentem, talem contritionem nec bonam nec licitam esse, sed reddere hominem hypocritam et magis peccatorem.

NB. Metus gehennæ atque pœnarum dicitur *timor servilis*. Timor servilis duplex distinguitur: *serviliter servilis*, et *simpliciter servilis*. — Timor *serviliter servilis* ille vocatur, quo quis ita propter pœnam a peccato abstinet vel illud detestatur, ut si non adesset pœna, peccatum committeret. Hic actus est positive malus, quia non excludit voluntatem peccandi, neque peccatum vere detestatur. *(Cf. S. Alph., Mor., VI, n. 442, obj. 2).* — Timor *simpliciter servilis* ille vocatur, quo quis odit culpam propter pœnam, et dolet offendisse Deum propter metum inferni, cum voluntate non peccandi de cætero. Hic actus, qui oritur ex caritate ordinata erga seipsum, simpliciter est bonus; de quo solo intelligenda est propositio.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Prov. I, 7): *Timor Domini principium sapientiæ.* Quæ verba S. Patres de timore servili, qui sapientiam inchoat, explicant, non autem de filiali, qui eam perficit et consummat.

Apud Matth. X, 28, legimus Christum dixisse: *Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* — Et B. Joannes Bapt. Judæos his verbis compellit (Luc. III, 8): *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ... jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.* Jamvero, si timor servilis laudabilis, aut bonus, aut ad salutem utilis non esset, nec Christus nec Joannes ad illum homines adhortati essent.

II. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Solent S. Patres et concionatores omnes populo christiano novissima sæpius exponere, ut ex cogitatione mortis, pœnarum infernalium, et judiciorum Dei timorem incutiant, eosque ad pœnitentiam adducant. Porro, talis praxis universaliter recepta, testimonium est irrefragabile pœnitentiam ex timore divinorum judiciorum conceptam plurimum valere ad salutem.

III. **Ex Ratione.** In attritione ex metu gehennæ concepta, tria possunt considerari, videlicet: intentio finis, electio medii, et ordinatio medii ad finem. — *Finis* est liberatio a pœna: quod est honestum atque bonum, cum quilibet teneatur seipsum diligere. — *Medium* est detestatio peccati, quatenus offensæ Dei: quod honestissimum esse, conspicuum est. — *Ordinatio* medii ad finem est etiam bona, quia ex natura sua nullum medium aptius est ad vitandam pœnam, quam culpæ evitatio. Ergo et ipsa attritio bona est atque honesta.

§ 2. *De Contritione in ordine ad Sacramentum.*

1765. — Docuerunt nonnulli antiquiores scholastici, qui ante Concil. Tridentinum floruerunt, contritionem caritate perfectam necessariam esse, ut homo in sacramento Pœnitentiæ peccatorum remissionem consequi valeat. — Nec desunt theologi post Tridentinum, qui docent, attritionem ex metu gehennæ non sufficere ad sacramentum, sed requiri contritionem procedentem ex caritate, remissa autem et inchoata tantum; contritionem vero, quæ justificat extra sacramentum, esse solam contritionem procedentem ex caritate intensa. Demum Jansenistæ docent, in sacramento semper necessario requiri contritionem caritate perfectam, qua sola remittuntur peccata; ministerio autem sacerdotis solum tolli reatum pœnæ. *(Cf. Denz., n. 936-938).*

1766. — **Prop. I.** *Ad remissionem peccatorum in sacramento Pœnitentiæ obtinendam, non requiritur contritio caritate perfecta, sed sufficit attritio* [1]. — Certa et communis.

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, VI, n. 440 et seq.; *Instit. catech.*, c. 5, n. 21 et seq.; *Cont. hær.*, sess. XIV, n. 42 et seq.; Gonet, *Clyp.*, Disp. VII, a. 3, § 3; Isamb., Disp. XIV, a. 4 et seq.

Prob. I. **Ex Ratione.** « Sacramenta, *ait S. Alph., (Mor., n. 440)*, id efficiunt, et actu efficiunt, quod significant; cum autem hoc sacramentum ex Christi institutione sit sacramentum mortuorum, et per se primam valeat conferre gratiam, oportet, *(ut docet S. Th., q. 84, a. 3, ad 5)*, ut sacerdos pœnitentem absolvens ostendat illum absolutum non solum significative, sed etiam effective, id est, ut, ipso proferente formam absolutionis, verba illa non solum significent, sed etiam efficiant remissionem peccati. Hinc dicimus quod si attritio ad remissionem non sufficeret, et requireretur contritio, quæ extra sacramentum hominem justificat, omnes pœnitentes deberent justificati accedere ad hoc sacramentum », et sic sacramentum remissionem peccati nunquam actu efficeret.

Nec valet dicere, non requiri quidem contritionem conjunctam cum caritate intensa, sed sufficere contritionem conjunctam cum caritate remissa et inchoata; quia, ut ex dictis *(n. 1760 et 1763)* patet, contritio quæ procedit ex caritate prædominante quantumvis remissa, dummodo ad rationem veræ caritatis pertingat, est vera et perfecta contritio, quæ hominem illico justificat; ac proinde si in hoc sacramento requireretur contritio conjuncta cum caritate etiam remississima, peccata nunquam directe a sacerdote in Pœnitentia remitterentur. *(Cf. S. Alph., Mor., n. 411 et seq.)*

II. **Ex Tridentino.** Tridentinum, XIV, cap. 4, statim ac docuerat contritionem perfectam etiam extra sacramentum hominem Deo reconciliare, addidit: « Illam vero contritionem imperfectam quæ attritio dicitur... declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ disponit. »

In quæ verba sic argumentari licet:

Affirmat Concilium, attritionem ex metu gehennæ hominem ad gratiam in sacramento impetrandam disponere.

Atqui hæc dispositio, de qua loquitur Concilium, est dispositio proxima, ad quam statim sequitur infusio gratiæ. Ergo in sacramento Pœnitentiæ attritio sufficit ad remissionem peccatorum.

Prob. min. a) Concilium « distinguit duplicem dispositionem ad gratiam recipiendam, *ait S. Alph.*, unam extra sacramentum quæ est contritio perfecta et cujus prius meminit; et aliam in sacramento quæ est attritio et de qua posterius loquitur. Si ergo Concilium assignat contritionem perfectam ut proximam dispositionem ad gratiæ consecutionem extra sacramentum, pariter assignat hic attritionem pro dispositione proxima ad gratiam in sacramento obtinendam.

b) « Præterea, Concilium distinguit inter attritionem extra sacramentum, et hanc esse dicit donum Spiritus Sancti viamque parare ad justitiam ac consequenter esse dispositionem remotam ad gratiam, licet non sufficiat ad justificationem; et inter attritionem intra sacramentum, et hanc vocat dispositionem ad gratiam in sacramento recipiendam: ergo hanc supponit dispositionem proximam, alias inutiliter distinxisset.

c) « Id confirmatur patenter ab eodem Concilio, ubi post relata verba statim subditur: *Quamobrem falso quidem calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre.* Nequaquam autem hæretici calumniabantur scriptores catholicos illos qui dicebant sacramentum Pœnitentiæ gratiam conferre contritis, sed eos tantum qui dicebant conferre attritis; eo quod aiebant hos pœnitentes non carere bono motu ac sufficienti dispositione ad gratiam in sacramento impetrandam... Verum S. Synodus declarat, falso his scriptoribus ab hæreticis calumniam inferri: ergo horum sententiam consilium consequenter aperte ab illorum calumniis vindicando approbavit. » *(Mor., VI, n. 440).*

1767. — Quæritur. *Utrum in attritione requiratur amor quidam initialis.*

Resp. Certum est ex Tridentino, amorem quemdam initialem ad justificationem semper requiri. Declarat enim Concilium, Sess. VI,

cap. 6: peccatores, qui ad justificationem disponuntur, *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.*

Certum est etiam ex supradictis, hunc amorem non esse caritatem perfectam, qua Deus appretiative super omnia diligitur: hic enim amor etiam extra sacramentum statim justificat, quantumvis sit remissus.

Sed ille amor est *initium quoddam caritatis,* quod, ut docet S. Alph. *(Mor., 442, obj. 3),* in ipsa attritione jam essentialiter includitur. Enimvero:

a) In attritione adest timor divinæ vindictæ. Sed: *Timor Dei initium dilectionis ejus.* (Eccli. XXV, 16). — Quamvis enim in attritione homo peccatum detestetur ex metu gehennæ, illud tamen detestatur quatenus est offensa Dei. Detestatio autem offensæ divinæ ex timore pœnarum, etsi non pertingat ad rationem veræ caritatis, est tamen quædam præparatio ad eam, ratione cujus recte dici potest quoddam ejus initium. « Timor, qui est initium dilectionis, *ait S. Th.,* est timor servilis, qui introducit caritatem, sicut seta introducit linum, ut S. Augustinus dicit. » *(2. 2, q. 19, a. 8).*

b) In attritione necessario includitur spes veniæ. Porro, spes veniæ desiderium includit reconciliationis cum Deo et amicitiæ ejus redintegrandæ; quod desiderium jam quoddam est caritatis initium, quo homo Deum ut suum justificatorem diligere incipit.

c) In attritione includitur spes æternæ beatitudinis. Sed spes illa est quoddam amoris initium, quo homo Deum ut suum glorificatorem diligere incipit. « Ex hoc quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, *ait S. Th.,* movemur in ipsum, sicut in bonum nostrum, et sic incipimus eum amare. » *(1. 2, q. 40, a. 7).* — Et *S. Alph.:* « Qui amat Deum tanquam sibi summum bonum, et excludit omnem voluntatem peccandi, tunc elicit actum bonum supernaturalem; et licet non habeat caritatem perfectam, illam tamen non excludit, eamque jam incipit habere, et aliquo modo ad Deum se convertit. » *(Mor., VI, n. 442).*

d) In attritione necessario includitur propositum non peccandi de cætero, et servandi omnia divina mandata. Sed mandatum habemus Deum super omnia diligendi. Ergo attritio etiam illud mandatum servandi propositum complectitur: quod propositum recte dicitur initium quoddam caritatis.

1768. — Scholium. *De attritione tanquam ultima dispositione ad gratiam* [1].

Alia, ut ex dictis notum est, requiritur in homine dispositio, si extra sacramentum justificatur; et alia si justificatur in sacramento, et hoc quidem ex sapientissima Dei voluntate.

[1] Isamb., Disp. XIV, a. 13; *Catech. Rom.,* P. II, c. 5, n. 36.

Extra sacramentum, ut peccatum remittatur, et ut gratia, quæ est habitualis conversio ad Deum, infundatur, necesse est ut homo caritate actuali ad Deum se convertat; et hoc quidem congruenter: « quia sicut per peccatum, quod est actualis contemptus Dei, homo avertitur a Deo, ita per amorem actualem debet se ad Deum convertere. » *(S. Alph., Mor., VI, 442, 1ª obj.).*

Quia vero Pœnitentiæ sacramentum est divinum instrumentum, quod virtutem passionis Christi in se possidet ad delenda peccata et ad gratiam ex opere operato infundendam, ideo ut homo in sacramento remissionem consequatur, et habitualiter ad Deum per gratiam convertatur, necesse non est, ut ipse actuali caritate ad Deum se convertat, sed minor in eo sufficit ea dispositio, quæ per attritionem habetur.

Et in hac divina dispositione maxime relucet Christi benignitas erga homines, quia peccatoribus facilius est attritionem quam contritionem perfectam habere. « Cum pœnitentia sit revocatio a peccato, *ait S. Th.*, oportet originem ejus in nobis accipi secundum dispositionem existentis in peccato. Ille autem qui in peccato est, non habet gustum sanum, ut ex dulcedine divinæ bonitatis a peccato revocetur; sed habet affectum infectum amore sui inordinato; et ideo per pœnas quæ naturæ suæ contrariantur et voluntati, a peccato revocatur; ut Philosophus dicit de talibus, *quod proprias delectationes prosequuntur, et fugiunt oppositas tristitias, boni autem, et vere delectabilis neque intellectum habent, neque gustativi existunt;* et ideo in eis ut in pluribus ex timore pœnitentia initium sumit; quamvis etiam in aliquibus ex amore pœnitentia inchoetur. » *(4. Sent., D. 14, q. 1, a. 2, sol. 1).*

1769. — Prop. II. *Actus contritionis ad sacramentum requisitus debet esse formalis et sensibilis.* — Certa.

Prob. I. Pars: *debet esse formalis,* id est, explicitus actus contritionis, et non solum implicitus et virtualis, qualis in actu caritatis includitur.

Prob. Id quod ad dignitatem sacramenti tanquam pars essentialis elevatum est a Christo, est ipse proprius actus virtutis pœnitentiæ. Sed proprius actus virtutis pœnitentiæ est actus formalis contritionis. Ergo ad validitatem sacramenti requiritur actus formalis pœnitentiæ, sive accusatio fiat de mortalibus, sive de solis venialibus. « Certum est, *ait S. Alph.*, quod etsi extra sacramentum *sufficit aliquis motus gratiæ vel caritatis ad ejus* (venialis) *remissionem,* ut docet S. Th. *(P. 3, q. 87, a. 2),* tamen in sacramento omnino requiritur dolor formalis, nec sufficit virtualis. » *(Mor., VI, n. 449).*

Prob. II. Pars: *debet esse sensibilis,* id est, exterius manifestatus.

Actus contritionis est pars essentialis sacramenti. Atqui, sacramentum est essentialiter signum sensibile. Ergo omnes ejus partes essentiales, ac proinde etiam actus contritionis, debent esse sensibiles.

1770. — Scholium. *De externa manifestatione doloris.*

Id quod ad sacramenti dignitatem elevatum est, est ipse actus contritionis, qui in voluntate essentialiter perficitur: debet tamen exterius manifestari ut sacerdoti innotescat. Cum autem ex una parte Christus nullum specialem modum, quo manifestari debeat, determinaverit, et ex altera, actus internus pluribus modis externari possit, ad valorem sacramenti sufficit ut dolor internus quocumque modo sensibilis reddatur. Proinde externari potest dolor tum verbis, ut si quis dicat se dolere de peccatis, aut veniam petat; tum signis, ut nutibus, lacrymis, tonsione pectoris; tum ipsa dolorosa peccatorum confessione. His enim omnibus sacerdos de contritionis existentia certior redditur.

1771. — Quæritur I. *An contritio debeat præcedere absolutionem et confessionem.*

Resp. 1. Necesse est omnino contritionem elici antequam pœnitens accipiat absolutionem. Contritio enim est pars materialis sacramenti; absolutio vero est forma; ac proinde si non ante, sed post absolutionem actus contritionis eliceretur, forma non posset materiæ applicari, et nullum conficeretur sacramentum.

2. An autem contritio debeat ipsam confessionem præcedere, disputatur. Alii affirmant: ratio, quia confessio non est simplex narratio peccatorum, sed debet esse accusatio dolorosa, directa ad remissionem obtinendam, et ideo debet dolore informari. — Alii *communius* et *probabilius* negant: ratio, etsi non sufficit ut confessio sit simplex narratio peccatorum, sufficit tamen ut sit accusatio sacramentalis, « et ad hoc sufficit ut confessio fiat animo obtinendi absolutionem, et deinde dolor manifestetur saltem per petitionem aut exspectationem absolutionis, sic etenim confessio bene sacramentalis evadit. » *(S. Alph., Mor., VI, 445).*

1772. — Quæritur II. *An actus doloris debeat elici in ordine ad confessionem.*

Resp. *Prima sententia affirmat:* ratio, quia sicut ille, qui in aliis sacramentis adhibet materiam, debet eam ordinare ad sacramentum, v. gr., ablutionem ad Baptismum, ita etiam suscipiens Pœnitentiam debet dolorem, qui est materia proxima, ad sacramentum ordinare.

Secunda sententia speculative probabilior negat: ratio: « tum quia ex Trid., Sess. XIV, cap. 4, illa attritio dicitur disponere ad impetrandam veniam in sacramento, quæ voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ; quæ omnia verificantur in casu nostro; tum quia tunc dolor, licet non fuerit ordinatus ad confessionem relatione antecedenti, ordinatur tamen relatione consequenti, eo quod tunc adhuc verificatur dolor patefieri per confessionem. » *(S. Alph., Mor., VI, 447).*

1773. — Quæritur III. *Quænam requiritur unio inter actum contritionis et absolutionem.*

Resp. Sacramentum Pœnitentiæ perficitur per modum judicii; in judicio autem necesse non est omnes actus eodem tempore poni, sed potest mora aliqua inter discussionem causæ et sententiam intercedere. Consequenter, nec in Pœnitentia requiritur ut eodem tempore ponatur actus contritionis et impertiatur absolutio; sed sufficit unio moralis inter utrumque.

Ad hanc autem unionem moralem constituendam non sat est ut actus contritionis sit habitualis, id est, aliquando habitus et non retractatus. Ratio: quia dolor ad sacramentum necessarius est actus, qui debet hic et nunc ad sacramentum concurrere. Sed dolor habitualis, utpote jam non existens ut actus verus, non potest hic et nunc ad sacramentum concurrere.

Sed requiritur et sufficit actus virtualis, id est, antea elicitus et virtualiter perseverans; quia tali actui potest forma sacramenti vere applicari.

Per quodnam autem temporis spatium perseverare possit virtualiter actus contritionis, ex variis circumstantiis dijudicandum est. « Ego non dubito asserere, *ait S. Alph.,* quoties confessio derivat ex peccatorum dolore, semper virtualiter perseverare dolorem saltem per unum, aut alterum diem, dum illa confessio est doloris effectus. Secus autem, si quis ex mera devotione, aut ad votum aut pœnitentiam implendam, confiteatur. » *(Hom. Ap., Tr. XVI, 20; cf. Mor., VI, n. 446).* In praxi tamen consulitur, ut actus contritionis ante absolutionem renovetur.

§ 3. *De Proposito non peccandi de cætero.*

1774. — Propositum non peccandi de cætero est: *Deliberata voluntas firmiter statuens evitationem peccati in posterum.* (Polm.) Vel, sicut *ait S. Alph.:* « Est voluntas firma et deliberata, quodcumque malum potius tolerandi, quam iterum in peccatum relabendi. » *(Instit. catech., c. 5, n. 27).*

Prop. *Ad veram contritionem requiritur propositum non peccandi de cætero.*

Ad fidem pertinet, ex Trid., quod, Sess. XIV, cap. 4, in definitione contritionis ponit *propositum non peccandi de cætero*, et ad attritionem requirit *voluntatem, quæ peccatum excludat.*

Prob. I. **Ex Script. S.** (Joan. V, 14), Christus dixit paralytico, quem sanavit: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare;* et (cap. VII) mulieri adulteræ post remissum peccatum dixit: *Vade et jam amplius noli peccare.* — Apud Isaiam, I, 16, legimus: *Lavamini, auferte malum cogitationum vestrarum; quiescite agere perverse, discite bene facere.* — (Ezech. XVIII, 31): *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, et facite vobis cor novum.* Quibus ex verbis patet, ad veram peccati detestationem omnino requiri voluntatem non peccandi de cætero.

II. **Ex Traditione.** « Est autem pœnitentia, *ait S. Ambrosius*, mala præterita plangere, et plangendo iterum non committere. » *(Serm. fer. III post Domin. I Quadr.)* — Quibus verbis citatis, addit *Magister Sent., (4. Sent., D. 14)* : « Qui ergo a malis sic mentem revocat ut commissa plangat, et plangenda committere non velit, nec satisfacere negligit, vere pœnitet. »

III. **Ex Ratione.** Cum contritio sit detestatio de peccato commisso, non vera potest concipi peccati detestatio, nisi simul adsit propositum illud vitandi in posterum. Qui enim de præterito peccato dolet, quin futura vitare statuat, « irrisor est, et non pœnitens, *ait S. Isidorus,*... nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. » *(De sum. bono, l. II, c. 16).*

« Natura quoque ipsa et ratio plane ostendunt, *ait Catech. Rom., (c. 5, n. 32)*, duo illa ad contritionem esse in primis necessaria: dolorem scilicet peccati admissi, et propositum cautionemque, ne quid hujusmodi in posterum committatur. Nam qui amico reconciliari velit, quem injuria aliqua affecerit, et doleat oportet, quod in eum injuriosus et contumeliosus fuerit, et diligenter reliquo tempore provideat, ne qua in re amicitiam læsisse videatur. »

1775. — **Scholium I.** *De qualitatibus propositi.*

Verum propositum tres debet habere qualitates; debet nimirum esse *firmum, universale,* et *efficax.*

1. « Propositum *firmum, ait S. Alph.,* importat ut pœnitens habeat voluntatem omnino deliberatam non recidendi, et sit animo ita dispositus, ut nullius mali timore et nullius boni cupidine peccatum in posterum admittere velit. » *(Mor., VI, n. 451).*

2. Debet esse *universale* circa peccata mortalia, nec sufficit propositum particulare circa hoc vel illud peccatum. Dicit enim Tridentinum: *cum proposito non peccandi de cætero,* ac proinde loquitur de omni peccato vitando. — Præterea, omnia mortalia conveniunt in ratione aversionis a Deo, ac proinde nemo seipsum ad Deum convertere potest, detestando unum mortale, nisi omnia simul detestetur, sibique proponat in posterum per quamcumque vetitam conversionem ad creaturam, a Deo se non amplius avertere.

Dictum est *circa mortalia;* « quia quoad venialia aliquis propositum habere potest unum veniale peccatum vitandi, et aliud non, et cum tali proposito bona potest esse confessio. » *(S. Alph., Instit. catech., c. 5, n. 29).*

3. « Requiritur ut propositum sit *efficax,* id est aptum efficere quod proponitur; et ideo oportet quod pœnitens non solum proponat peccatum vitare, sed etiam media adhibere ad peccatum vitandum, et signanter occasiones proximas peccandi, ut communiter docent doctores. » *(S. Alph., Mor., VI, 451).*

1776. — **Scholium II.** *De natura propositi ad valorem sacramenti requisiti* [1].

Propositum non peccandi de cætero ad valorem sacramenti Pœnitentiæ requiri, in confesso est apud omnes; si vero agitur de natura istius propositi, utrum scilicet debeat esse *formale* et *explicitum,* an sufficiat *virtuale* et *implicitum* quod

[1] Cf. S. Alph., *Mor.,* VI, n. 450; *Contr. hær.,* sess. XIV, n. 38; *Vindic. Alphons.,* P. V, q. 6.

in omni vera contritione aut attritione necessario includitur, magna inter theologos fervet controversia.

Tres hac de re adsunt sententiæ.

Prima docet, requiri propositum formale et explicitum. Ratio est, quia Tridentinum contritionem definit: *Dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Cum autem propositum implicitum jam essentialiter in vero dolore includatur, si Tridentinum non intendisset loqui de proposito explicito, sine causa sufficienti propositum non peccandi de cætero addidisset [1].

Secunda docet, propositum virtuale et implicitum, quod in dolore continetur, sufficere. Ratio est, quia ubi adest vera aversio a peccato cum vera conversione ad Deum, ibi etiam adest vera pœnitentia et vera contritio. Atqui, cum vera aversio a peccato sit odium peccati et alienatio voluntatis ab eo, ipsa absque explicito in posterum non peccandi proposito existere potest; et cum contritio sit aversio a peccato in quantum est offensivum Dei, una cum tali aversione adest etiam vera conversio ad Deum; formalis enim ratio istius detestationis importat Deum ut terminum *ad quem.*

Præterea, Tridentinum docet, attritionem, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, disponere hominem ad impetrandam gratiam in Sacramento. Sed in vera attritione jam includitur voluntas excludendi peccatum, absque proposito explicito. Ergo, etiam juxta Tridentinum, propositum implicitum sufficit [2].

Tertia sententia distinguit, et docet: si pœnitens de vita in futuro ducenda nihil cogitet, sufficit propositum implicitum in ipso dolore inclusum, propter rationes in secunda sententia allatas. Si vero de futuro cogitet, requiritur propositum explicitum; ratio est, quia qui de futuro cogitat et negative se habet, cum scienter aliquid contritioni intrinsecum omittat, hic ne implicitum quidem propositum nec veram contritionem aut attritionem habet.

[1] Cf. Bellarm., *De Pœnit.*, l. II, c. 6. — [2] Cf. Isamb., Disp. IX, a. 3.

Præterea, juxta Tridentinum, quisque per pœnitentiam debet novam vitam inchoare; ac proinde, qui de futuro cogitat, nec expresse sibi proponit vitam emendare, satis pœnitere non videtur. Futurum igitur cogitans necessario debet propositum explicitum et formale concipere.

Hæ duæ ultimæ sententiæ speculative sunt quidem probabiliores; sed quia prima est etiam probabilis, in praxi ante factum tanquam tutior est sequenda, quia agitur de valore sacramenti.

ARTICULUS II.

DE CONFESSIONE.

1777. — Confessio sacramentalis est: *Accusatio propriorum peccatorum facta sacerdoti legitime approbato, ad eorum veniam virtute clavium recipiendam.*

Confessionis divinam institutionem omnes negant protestantes, qui, quamvis usum peccata confitendi tanquam antiquam Ecclesiæ consuetudinem agnoscant, ipsum tamen liberum fuisse contendunt, nequaquam vero necessarium ex jure divino; obligationemque confitendi, quæ nunc viget in Ecclesia, a Concilio Lateranensi sub Innocentio III inductam fuisse perhibent. Quamdam tamen confessionis speciem admittunt, sed generalem tantum confessionem et quidem soli Deo factam; in usum vero confitendi *secrete* omnia et singula peccata, quem Lutherus *cruentissimam carnificinam* vocavit, ardentissime invehuntur.

1778. — **Prop. I.** *Lapsis in mortale, peccatorum confessio sacerdoti facta, est jure divino ad salutem necessaria* [1].

De fide, ex Trid., Sess. XIV, can. 6: « Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino...; A. S. » — Et can. 9: « Si quis dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit; A. S. » — *Cf. etiam cap. 5.*

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, sess. XIV, n. 54 et seq.; Bellarm., *De Pœnit.*, l. III, c. 2 et seq.; Isamb., Disp. XV.

Prob. I. **Ex Script. S.** Constat ex Scripturis, confessionem peccatorum esse a Christo Domino institutam tanquam medium ad salutem necessarium. Enimvero, etsi in eis « expressa confessionis institutio non legitur », *ut ait S. Th., Suppl. q. 6, a. 6, ad 2*, confessionis tamen divina institutio ex verbis, quibus Christus Pœnitentiæ sacramentum instituit, invicte eruitur. Qui enim aliquod instituit officium ad finem taliter ordinatum, ut istius finis assecutio alia via sit impossibilis, ille vult ex consequenti ea etiam institui, quæ ad hoc officium exsequendum absolute sunt necessaria. Atqui, ex una parte, Christus instituendo sacramentum Pœnitentiæ, sacerdotes ita peccatorum judices constituit, ut extra eorum judicium impossibile sit peccati condonationem accipere; ex altera autem parte, ad exercendum judicium prorsus necessaria est juridica criminis cognitio, quæ in casu fieri nequit nisi per liberam et voluntariam pœnitentis confessionem, cum plerumque de peccatis occultis soli pœnitenti notis agatur. Eo igitur ipso quod Christus Pœnitentiam instituit per modum judicii, confessionem etiam instituit peccatorum ipsamque obligatoriam reddidit.

Præterea, legimus (I Joan. I, 9): *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat peccata nostra.* « Quæ verba, *ait S. Alph.*, de confessione sacramentali intelligi debent, quandoquidem hæc sola repromissionem accepit remissionis peccatorum, secundum illud: *Quorum remiseritis, etc.* Secus enim, si per quamlibet confessionem Deo factam peccata remitterentur, quomodo dici posset: *Quorum remiseritis, etc.?* Et sacerdotes quomodo ligare aut solvere possent, si pœnitens, confitendo Deo peccata sua, ab ipso Deo absolutionem acciperet? » *(Cont. hær., Sess. XIV, n. 54).*

(Act. XIX, 18): *Multique credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos.* Quæ verba plures S. Patres de peccatorum accusatione multum probabiliter intelligunt.

(Jac. V, 16): *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Quibus verbis, ut docet *S. Th. (Suppl., q. 6, a. 6, ad 2; q. 8, a. 1, ad 1)*, B. Jacobus præceptum de confessione promulgavit.

II. **Ex Traditione.** Confessionem sacramentalem primis jam sæculis in Ecclesia viguisse, et quidem ut obligatoriam, numerosissima Patrum testimonia luculenter testantur. Aliqua tantum retulisse sat erit.

Tertullianus scribit: « Plerosque hoc opus ut publicationem sui aut effugere aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quam salutis... An melius est damnatum latere, quam palam absolvi? » *(De Pœnit., c. 12).*

S. Cyprianus: « Confiteantur singuli, quæso vos fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. » *(De lapsis, n. 29).*

Origenes: « Est et septima, licet dura et laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, quum lavat peccator in lacrymis suis stratum suum... et quum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum et quærere medicinam. » *(Hom. 2. in Levit.)*

S. Ambrosius: « Si vis justificari, fatere peccatum tuum; solvet enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum. » *(De Pœnit., l. II, c. 1).*

III. **Ex Præscriptione.** Quando protestantes divinam confessionis institutionem ejusque obligationem negare aggressi sunt, peccatorum accusatio, non solum in Ecclesia Romana, sed in sectis schismaticis, ubique erat in usu velut obligatio ex Christi institutione ad remissionem peccatorum et ad salutem necessaria; et nullum ab adversariis potest indicari tempus, quo confessio vel in usu non fuerit, vel tanquam jure divino necessaria habita non fuerit. Porro, « quod universa tenet Ecclesia, *ait S. August.*, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » *(Cont. Donat., l. IV, c. 24).* Ergo.

IV. **Ex Ratione,** *ex ipsa scilicet confessionis difficultate.* — Peccatorum, etiam occultissimorum, manifestatio est res difficillima, omnibus onerosa, omnibusque naturaliter repugnans. Hujusmodi autem obligationem nec S. Pontifices aut Con-

cilia imponere potuissent, nec populus christianus submisso capite tam universaliter accepisset. Cum igitur semper et ubique in Ecclesia viguerit lex tam onerosa, inde irrefragabile deducitur argumentum, omnibus semper persuasissimum fuisse peccatorum manifestationem et a Christo Domino fuisse institutam, atque omnibus, qui post commissum peccatum veniam consequi vellent, tanquam necessariam fuisse præscriptam.

1779. — Prop. II. *In confessione omnia peccata mortalia debent quoad speciem et numerum jure divino singillatim declarari.*

De fide, ex Trid., XIV, can. 7: « Si quis dixerit, in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta et quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, et circumstantias quæ peccati speciem mutant...; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Ex verbis, quibus a Christo institutum est sacramentum Pœnitentiæ, compertum est, sacerdotis officium esse conscientiam pœnitentis juridice examinare, ut, cognita causa, peccata absolutione remittat, aut, si pœnitentem indispositum invenerit, retineat. Atqui, omnia et singula peccata mortalia habent rationem causæ a sacerdote examinandæ. Ergo omnia et singula declaranda sunt.

II. **Ex Traditione.** Huc faciunt testimonia in superiore prop. allata. — Præterea, *ait S. Hieronym.:* « Cum (sacerdos) peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus est, quive solvendus. » *(In Matth. XVI, 19).*

III. **Ex Conciliis.** Antiquissima Concilia specificam peccatorum accusationem requirunt. In Concil. *Laodicensi* præscribitur, *can. 2,* quod « pro *qualitate* peccati tempus pœnitentiæ tribuendum est. » — In *Carthag. III.* can. 31: « Ut pœnitentibus secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur. » — In *Cabilonensi II,* can. 32: « solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut

ex utrisque plena sit confessio: scilicet ut ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, et ea quibus in sola cogitatione delinquitur. » *(Cf. Bellarm., De Pœnit., l. III, c. 5).*

1780. — Corollarium. Cum confessio sit ex institutione divina, sequitur, neminem unquam a præcepto confessionis dispensari posse. « Sicut Papa non potest dispensare, *ait S. Th.*, ut aliquis sine Baptismo salvetur, ita nec quod salvetur sine confessione. » *(Suppl. q. 6, a. 6).*

1781. — Scholium I. *De confessione auriculari.*

In Ecclesia primitiva, ad quintum sæculum usque, duplex in usu fuit confitendi modus, *secreto* scilicet et *public*e. Confessio *secreta* seu *auricularis* ea est, quæ soli fit sacerdoti; *publica* vero, qua pœnitens peccata sua sacerdoti, palam, coram fidelibus manifestat.

Antiquiores quidam theologi docuerunt, Christum Dominum confessionem instituisse atque præcepisse, modum tamen quo fieri deberet, secreto scilicet an publice, non determinasse, sed determinandum reliquisse Ecclesiæ.

Recentiores vero communiter docent, modum secreto confitendi a Christo fuisse determinatum, quin tamen Christus modum publice confitendi prohibuerit, quando scilicet pœnitens ex judicio sacerdotis, vel ad suum majorem profectum, vel ad fidelium ædificationem, peccata sua libere coram fratribus manifestare voluerit.

Qua de re legimus in Tridentino, Sess. XIV, *can. 6:* « Si quis dixerit modum secreto confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum: A. S. » Et *cap. 5:* « Quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ utilitatem, delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino præcepto mandatum: nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. »

1782. — Scholium II. *De conditionibus confessionis sacramentalis.*

Quatuor enumerantur sacramentalis confessionis conditiones: debet nimirum esse *vocalis, secreta, vera*, et *integra*. De quibus, cum ad praxim referantur, longiori sermone in parte morali tractabitur.

ARTICULUS III.

DE SATISFACTIONE [1].

Satisfactio considerari potest vel prout est actus virtutis pœnitentiæ, vel prout est pars integralis sacramenti. Quocirca in § 1 de satisfactione in genere, quatenus scilicet est actus virtutis, in § 2 vero de satisfactione, quatenus est pars sacramenti, disputabimus.

§ 1. *De Satisfactione in genere.*

1783. — Definitio. — Satisfactio, vi nominis, significat *facere satis* ad recompensandam injuriam alicui illatam. Definitur: *Voluntaria sui punitio ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, eumque sic placandum ut temporalem pœnam remittat.* Dicitur:

a) Voluntaria sui punitio: tum ad indicandum satisfactionem esse actum virtutis, tum ad eam a *satispassione*, quæ est toleratio pœnæ a principio extrinseco vi impositæ, distinguendam.

b) Ad compensandam injuriam: quo satisfactio a restitutione distinguitur; restitutio enim est reparatio damni proximo in bonis externis illati; satisfactio autem, injuriæ alicui per actionem contumeliosam irrogatæ.

c) Deo per peccatum illatam: per peccatum homo jura divina lædit, postponendo Deum creaturis: quo et Deo summa infertur injuria, et homo dignus efficitur, qui severe puniatur.

d) Eumque sic placandum ut temporalem pœnam remittat: quæ verba commonstrant hic non agi de satisfactione pro culpa; hæc in eo consistit, quod Deo offertur aliquid ad

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, sess. XIV, n. 75 et seq.; S. Th. *Suppl.*, q. 12-15; Salmantic., Disp. X; Gonet, *Clyp.*, Disp, XIII; Isamb., Disp. XXVIII.

eum sic placandum, ut nobis culpam dimittat, pristinamque restituat amicitiam. Hanc a solo Christo de condigno exsolvi potuisse, jam in tractatu de Incarnatione vidimus, *(n. 859)*; sed agi tantum de satisfactione pro pœna temporali, quæ nobis, remissa culpa et pœna æterna, plerumque luenda remanet.

1784. — Errores. — Circa doctrinam de satisfactione erraverunt præsertim protestantes. Docent: *a)* Satisfactionem nullatenus esse necessariam, quia una cum reatu culpæ semper etiam, propter applicationem satisfactionum Christi, tota remittitur pœna temporalis, ita ut justificatis nihil prorsus expiandum remaneat. — *b)* Posito etiam quod aliqua pœna temporalis luenda remaneret, satisfacere tamen non possemus, cum opera nostra bona apud Deum nullum valorem ad satisfaciendum habeant.

Duo igitur præsertim probatione indigent, videlicet: *a)* peccato quoad reatum culpæ remisso, plerumque remanere pœnam temporalem, quam exsolvere tenemur; *b)* opera nostra bona pro meritis pœnis reapse satisfacere posse.

1785. — Prop. I. *Culpa per pœnitentiam remissa, plerumque non remittitur tota pœna temporalis peccatis debita* [1].

De fide, ex Trid., Sess. XIV, can. 12: Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo...; A. S. » — Et Sess. VI, can. 30: « Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ...; A. S. »

NB. Dicitur in prop.: *remissa culpa per pœnitentiam*, sive per contritionem perfectam extra sacramentum, sive per realem sacramenti Pœnitentiæ susceptionem; *plerumque*, quia aliquando tantus esse potest fervor contritionis, ut una cum culpa totam etiam temporalem pœnam auferat *(S. Th., Suppl., q. 5, a. 2)*; *non remittitur tota pœna temporalis*, quia auferendo culpam, contritio juxta mensuram sui fervoris aliquid etiam de pœna temporali semper aufert, licet plerumque non totam pœnam.

[1] Cf. Isamb., Disp. XXVIII, a. 2; Bellarm., *De Pœnit.*, l. IV, c. 2; Gotti, *De Pœnit.*, q. 3, dub. 1, § 2.

Prob. I. **Ex Script. S.** Pœnam temporalem, remisso peccato quoad reatum culpæ, plerumque luendam remanere, Scriptura Sacra stupendis commendat factis.

Adamus delicti sui veniam consecutus erat, sicuti constat Sap. X, 2, eique tamen dictum est (Gen. III, 17-19): *Quia comedisti de ligno... maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ... donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* »

Moyses et Aaron remissionem peccati incredulitatis a Deo obtinuerant, quibus tamen propter illud peccatum dictum est: (Deut. XXXII, 51, 52): *Quia prævaricati estis contra me... videbis terram, et non ingredieris in eam.* (Cf. Num. XX, 12).

Murmurantem populum israeliticum Moyses precibus suis Deo reconciliaverat; in punitionem tamen sui criminis, omnes, exceptis Caleb et Josue, in deserto mortui sunt. *(Num. XIV, 19-23).*

David adulterii veniam obtinuerat, et tamen Dominus per os Nathan dixit ad eum (II Reg. XII, 13, 14): *Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Verumtamen... filius, qui natus est tibi, morte morietur.*

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Gregorius:* « David post confessionem audire meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum,* et tamen multis post cruciatibus afflictus et fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exsolvit. » *(Mor., l. IX, c. 34).*

S. Cyprianus: « Ad Dominum toto corde redeamus. Iram et offensam ejus, jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus. » *(De lapsis).*

Præterea, jam in primitiva Ecclesia, sicut ex canonibus pœnitentialibus manifestum est, pœnæ satisfactoriæ et quidem severissimæ pœnitentibus imponebantur; semper in Ecclesia viguit fides in purgatorium, in quo animæ nondum satis purgatæ, divinæ justitiæ pro commissis peccatis satisfaciunt; semper in usu fuerunt indulgentiæ tam pro vivis quam pro defunctis: quæ omnia invicto sunt argumento totam pœnam una cum reatu culpæ non semper remitti.

III. **Ex Ratione congruentiæ.** *(Cf. Trid., Sess. XIV, cap. 8).*

1. Quemadmodum apud homines, si quis proximi honorem læsit, sat non est ut de suo facto interius doleat, sed debet etiam exterius quidpiam præstare, ut detractum honorem, quo potest modo, restituat: quod quidem respectu partis læsæ rationem satisfactionis, respectu vero satisfacientis, rationem pœnæ habet; ita etiam convenientissimum est, hominem, præter actum contritionis quo de suo peccato doleat, aliquid pati, ut, eo modo quo potest, Deo pro offensa satisfaciat illatamque injuriam recompenset.

2. Peccando, creaturis male usus est homo, prohibitam ex eis delectationem percipiens; quocirca congruum est omnino, ut in compensationem injuriæ Deo per vetitam delectationem illatæ, aliquid pœnale etiam patiatur.

3. Peccata quoad gravitatem sunt diversa, diversamque merentur pœnam; per veram tamen contritionem quantumvis parvam, omnia peccata condonantur, et jus ad regnum cœlorum restituitur. Cum autem Deus reddat unicuique secundum opera sua, decet ejus justitiam et æquitatem, ut qui de gravioribus sceleribus cum parva contritione absolvitur, per majores pœnas temporales compensationem aliquam afferat.

4. Satisfactiones pœnales, ut ait Trid., Sess. XIV, cap. 8, homines edocent non levia esse peccata commissa, eos a peccato magnopere revocant et quasi fræno quodam coercent, atque pœnitentes in futurum cautiores et vigilantiores efficiunt. Peccatorum quoque reliquiis medentur, et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actibus tollunt.

5. Denique « divinæ justitiæ ratio exigere videtur, *ait Trid. (loc cit.)*, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. » *(Cf. S. Th., Suppl., q. 18, a. 2).*

1786. — **Prop. II.** *Pro pœna temporali quæ, remissa culpa, exsolvenda remanet, homo Deo perfecte satisfacere potest* [1].

De fide, ex Trid., XIV, can. 13: « Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis; A. S. »

NB. 1. Dicitur: *homo Deo perfecte satisfacere potest,* quod verbulum *perfecte* non æqualitatem quantitatis denotat, quasi homo tantam Deo posset deferre satisfactionem, quantam ex rigore justitiæ deberet, *(cf. S. Th., Suppl., q. 13, a. 1)*; sed indicat, hominem etiam in præsenti vita pro tota ea quantitate pœnæ satisfacere posse, quam Deus pro sua justitia et benignitate cuilibet in suorum peccatorum vindictam taxaverit.

2. Pœna temporalis a Deo pro peccatis taxata, duplex distinguitur: una est visibilis, publica aut quasi publica, ad publicam vindicativæ Dei justitiæ manifestationem, cujusmodi, v. gr., fuit mors filii, quem David ex adulterio progenuerat; hæc pœna *aliquando* per satisfactionem tolli potest, ut patet exemplo Ninivitarum, qui sua pœnitentia urbis eversionem vitarunt; *sed non semper,* quia pro tali pœna Deus aliquando nullam compensationem acceptare decrevit, sicuti apparet in morte filii David, quem pater nullis lacrymis a morte liberare valuit, et in morte ob Adami peccatum omnibus hominibus inflicta, a qua nullus, quantumvis justus, sese immunem præservare potest.

Altera pœna est a Deo pro peccato juxta communem providentiæ regulam ita taxata, ut homo pro ea vel operibus satisfactoriis in hac vita satisfacere, vel in purgatorio satispati possit. Non de prima, sed de hac secunda pœna intelligenda est propositio.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Dan. IV, 24): *Peccata tua eleemosynis redime.* — (Prov. XVI, 6): *Misericordia et veritate redimitur iniquitas.* — (Tob. IV, 11): *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Quæ verba de peccato redimendo quoad solum reatum pœnæ intelligi queunt, cum reatus culpæ per solam contritionem auferatur.

[1] Cf. Isamb., Disp. XXVIII, a. 7 et seq.; Bellarm., l. IV, c. 8.

Præterea, (Luc. III, 8): *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Si autem homo Deo pro peccato satisfacere nequiret, eum Spiritus Sanctus ad pœnitentiam non adhortaretur.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Ambros.:* « Sicuti qui pecuniam solvunt, debitum reddunt,... sic compensatione caritatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati pœna dissolvitur. » *(In Luc. l. VIII, c. 12). — S. Gregor.:* « Non solum confitenda sunt peccata, sed etiam pœnitentiæ austeritate delenda. » *(L. VI in I Reg., c. 15).*

III. **Ex Ratione.** « Deus, *ait S. Th.*, est magis misericors quam aliquis homo. Sed homini est possibile satisfacere. Ergo possibile est Deo satisfacere. » *(Suppl., q. 13, a. 1).*

1787. — Scholium. *De natura satisfactionis.*

Occasione præcedentis propositionis quærunt auctores, *utrum homo in præsenti vita de condigno, an solum de congruo satisfacere possit.*

Docent alii, satisfactionem hominis in præsenti vita esse tantum de congruo, cum nulla hujus vitæ pœna purgatorii pœnas adæquare possit; alii e contra docent, hujus vitæ satisfactiones esse de condigno.

Quæ differentia potius est de nomine quam de re; enimvero, utriusque sententiæ auctores docent: *a)* hominem posse in præsenti vita pro pœnis a divina justitia taxatis adeo perfecte satisfacere, ut statim post mortem in cœlum evolet. Docet enim Tridentinum, hominem Deo in præsenti vita satisfacere posse, quæ satisfactio tanquam perfecta utique intelligi debet. — *b)* Minorem requiri pœnam in præsenti vita pro perfecta satisfactione, quam in purgatorio; licet vero pœnæ præsentis vitæ et purgatorii sint inæquales in intensione et duratione, æquales tamen sunt in ratione justæ solutionis, cum pro eodem peccato redimendo, diversa, secundum statuum diversitatem, prætia a divina justitia taxentur. — *c)* Nullam nostram satisfactionem esse ex rigore justitiæ, cum Deo nunquam tantum reddere possimus, quantum vi strictæ justitiæ debeamus.

1788. — **Quæritur I.** *Quanta pœna post remissam culpam justis exsolvenda remaneat.*

Resp. Quantitas luendæ pœnæ nobis est impervia: quippe pendet ab inscrutabili misericordiæ et justitiæ divinæ judicio. Etenim, ut notant Salmanticenses (*Disp. X, n. 7; et XI, n. 102*), pœna temporalis quæ luenda remanet, duplici ex capite oritur: *a)* quia sic Deus pœnam remittit, ut in temporalem tamen commutet; *b)* quia peccatum, quatenus est præcise inordinata conversio ad creaturam, in qua voluntas indebite delectatur, meretur pœnam temporalem, quæ, culpa condonata et pœna æterna remissa, expianda remanet. (*Cf. S. Th., P. 3, q. 86, a. 4*). Jamvero pœnæ æternæ in temporalem commutatio a libera Dei voluntate, quæ nobis est impervia, dependet; quantitas etiam pœnæ promeritæ ratione inordinatæ conversionis, nos quoque latet. Duo tantum nobis nota sunt, videlicet: quo gravius est peccatum, cæteris paribus, eo gravior etiam remanet pœna temporalis luenda (*S. Th., Suppl., q. 8, a. 7*); et quo intensior est contritio, vel quo ferventior et frequentior est sacramenti Pœnitentiæ susceptio, eo plus de pœna temporali etiam remittitur. Proinde, cuilibet satagendum est ut post commissum peccatum, frequentius Deo opera satisfactoria deferat, et cum ferventiori contritione sua peccata detestetur.

1789. — **Quæritur II.** *Quænam sint præcipua opera satisfactoria.*

Resp. Omnia opera supernaturaliter bona, tam sponte suscepta quam aliunde imposita sed patienter tolerata, etiam actus mere interni, possunt esse satisfactoria pro pœna peccatis debita, « quia respectu ad nos per naturæ lapsæ statum quæcumque virtuosa actio rationem habet pœnæ, ex eo quod, amissa originali justitia, omnes ad terrena et propria commoda proni sumus. » (*S. Alph., Mor., VI, n. 514*).

Tria tamen præcipua enumerantur opera satisfactoria, ad quæ cætera reducuntur, nempe: *eleemosyna, jejunium,* et *oratio.* « Satisfactio, *ait S. Th.*, debet esse talis per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemus nisi tria bona, scilicet bona animæ, et bona corporis, et bona fortunæ, scilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunæ subtrahimus nobis aliquid per eleemosynam; sed ex bonis corporis per jejunium; ex bonis autem animæ non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti, sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter; et hoc fit per orationem. — Competit etiam iste numerus ex parte illa qua satisfactio peccatorum causas excidit, quia radices peccatorum tres ponuntur (I Joan. II, 16), scilicet: *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium; contra concupiscentiam oculorum ordinatur eleemosyna; contra superbiam vitæ ordinatur oratio. » (*Suppl., q. 15, a. 3*).

1790. — Quæritur III. *Quænam sint satisfactorii operis conditiones* [1],

Resp. Ut opus sit vere satisfactorium, conditiones quædam requiruntur tum ex parte ejus qui satisfacit, tum ex parte operis, tum ex parte Dei. *(Cf. dicta de merito, n. 1267).*

A. — Ex parte illius qui satisfacit, requiritur: *a) Status viæ:* « Pœna illa quam animæ in purgatorio sustinent, *ait S. Th.*, non potest proprie dici satisfactio, quia satisfactio opus meritorium requirit; sed largo modo dicitur satisfactio pœnæ debitæ solutio. » *(4. Sent., D. 17, q. 2, a. 4, q. 3, ad 3)*: Quæ satisfactio in purgatorio vocatur *satispassio.* — *b) Status gratiæ:* Satisfactio est amicabilis Deo exhibita compensatio; ac proinde fieri debet per actum ab amico tanquam amico procedentem. Sed sola gratia habitualis hominem Dei amicum constituit.

B. — Ex parte operis, requiritur: *a) ut sit liberum* seu *volontarium;* quia opus satisfactorium est actus moralis et humanus, ac proinde voluntarius.

Possunt tamen Deo in satisfactionem offerri opera lege præscripta, et flagella a Deo immissa; quia « quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra, *ait S. Th.*, tamen quantum ad aliquid sunt, prout scilicet eis patienter utamur, et sic homo facit de necessitate virtutem: inde et meritoria et satisfactoria esse possunt. » *(Suppl., n. 15, a. 2, ad 1).*

b) Ut sit moraliter bonum; debet enim cedere in honorem Dei; præterea, si non esset moraliter bonum, novam potius pœnam quam pœnæ remissionem mereretur.

c) Ut sit supernaturale, scilicet ex gratia procedens. Teste Trid., XIV, cap. 8, nostræ satisfactiones sunt opera ex meritis Christi a nobis posita; quæ autem ex meritis Christi procedunt, supernaturalia sunt.

d) Ut sit pœnale. Opera satisfactoria a Trid. vocantur *pœnæ satisfactoriæ, pœnæ sponte susceptæ, vel a Deo inflictæ, vel a sacerdote impositæ.* Satisfactio enim ordinatur tum ad peccatum præteritum vindicandum, tum ad futurum præcavendum. Ad utrumque autem requiritur opus pœnale. Etenim: peccando, peccator plus sibi indulsit quam debuit; sed « justum est, ut qui voluntati suæ plus indulsit quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur: sic enim erit æqualitas. » *(S. Th., P. 3, q. 86, a. 4).* — « Similiter etiam pœna a culpa futura præservat, quia non facile homo ad peccata redit ex quo pœnam expertus est. » *(Suppl., q. 15. a. 1).*

C. — Ex parte Dei requiritur operis acceptatio, cujus intuitu pœnam remittat. Etenim: reus pœna sponte suscepta judici satisfa-

[1] Cf. Gonet, *Clyp.*, Disp. XIII, a. 2; Tanner, *De Pœnit.*, Disp. X, q. 8, dub. 2.

cere nequit, nisi judex consentiat. Ergo a pari nec homo Deo pro peccato satisfacere potest, nisi Deus ejus opera acceptet. — Præterea, nullus per pœnam leviorem satisfacere potest pro pœna graviori sibi debita, nisi judex in talem permutationem consentiat. Porro per peccatum homo promeruit pœnam purgatorii : ergo non potest per leviores præsentis vitæ pœnas satisfacere, nisi Deus ejus opera acceptet. — *Demum*, nullus operibus aliunde jam debitis creditori satisfacere valet, nisi hic consentiat. Sed omnia opera nostra Deo aliis titulis jam debentur. Indigent proinde libera Dei acceptatione.

Deum autem opera nostra in satisfactionem acceptare, constat ex Tridentino, XIV, cap. 8, quo docemur, satisfactiones nostras Patri per Christum offerri et ab illo acceptari.

1791. — **Quæritur IV.** *An homo teneatur in hac vita satisfacere.* **Resp.** Certum est: *a)* Neminem cœlum intrare posse, nisi prius pœnam temporalem peccatis debitam perfecte exsolverit. — *b)* Neminem justificari sive in sacramento, sive extra sacramentum, nisi propositum satisfaciendi habeat. — *c)* Quemlibet teneri pœnitentiam a sacerdote in sacramento injunctam in hac vita explere, si potest.

Sed controvertitur, an quilibet satisfactionem extrasacramentalem pro pœna debita in præsenti vita exsolvere teneatur, si possit. Affirmant alii; alii vero negant, et quidem probabilius, dummodo agatur de satisfactione præcise quatenus ordinata ad pœnam tollendam. Ratio est: quando ad obtinendum finem duo existunt media, quilibet ad unum præ alio eligendum liber remanet. Sed pœna temporalis exsolvi potest tum in hac vita, tum in purgatorio. Potest igitur homo satisfactionem in purgatorio exsolvendam eligere.

Ratione tamen adjunctorum teneri potest homo in hac vita satisfacere, quando scilicet satisfactio ei necessaria est, ut se a peccatis futuris immunem servare possit.

Semper tamen utilius et securius est in præsenti vita satisfacere, tum quia multo minor nunc requiritur satisfactio quam in purgatorio; tum quia in præsenti vita, opera satisfactoria sunt etiam vitæ æternæ meritoria, in purgatorio autem sunt satisfactoria tantum; tum denique quia satisfactiones sunt remedia ad peccata futura præcavenda.

§ 2. *De Satisfactione sacramentali.*

1792. — Satisfactio sacramentalis, quæ etiam nuncupatur *pœnitentia*, dicitur: *Opus bonum a confessario virtute clavium pœnitenti impositum, tum ad præteritorum peccatorum vindictam, tum ad novæ vitæ custodiam.*

1793. — Prop. *In sacramento Pœnitentiæ confessarius tenetur, per se loquendo, satisfactionem imponere; et pœnitens impositam acceptare et adimplere.* — Certa.

NB. Dicitur *per se loquendo*, quia aliquando per accidens hæc obligatio deesse potest ex parte confessarii, v. gr., in morte imminente ipsius pœnitentis.

Prob. I. Pars: *Confessarius satisfactionem imponere tenetur.*

I. **Ex Concil. Trident.,** Sess. XIV, cap. 8, in quo legimus: « Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere. »

II. **Ex Ratione:** *ex ipso scilicet confessarii officio.* Sacerdos in tribunali Pœnitentiæ est *minister*, *judex*, et *medicus.*

Qua *minister*, confessarius curare tenetur, ut sacramentum perficiatur integre. Atqui satisfactio ad integritatem sacramenti pertinet *(n. 1752)*. Ergo qua minister satisfactionem imponere tenetur.

Qua *judex*, qui non propria auctoritate sed vice Dei judicium pronuntiat, judicium, sicut fert ipse Deus, ferre tenetur. Deus autem ita peccata condonat, ut pœnitentem ad pœnam temporalem nihilominus adstringat. Ergo etiam ipse sacerdos qua judex, dum reum absolvit, proportionatam pœnam in ejus peccatorum vindictam imponat, necesse est.

Qua *medicus*, sacerdos salutaria remedia spiritualiter ægroto adhibere tenetur, ut eum tum a morbis per peccatum contractis sanet, tum a novis peccatis præservet; quod fit per salutaris satisfactionis impositionem, sicut testatur Trid., Sess. XIV, cap. 8.

Prob. II. Pars: *pœnitens injunctam satisfactionem acceptare et adimplere tenetur.*

I. Hæc secunda pars priori respondet: si enim confessarius quamdam satisfactionem imponere tenetur, ergo etiam pœnitens ejus acceptandæ et adimplendæ strictam habet obligationem; secus enim vana foret sacerdotis obligatio.

II. **Ex Ratione.** 1. In omni judicio reus pœnam a judice taxatam solvere tenetur. Ergo etiam in hoc divino judicio implenda est peccatori satisfactio.

2. Pœnitens, non secus ac sacerdos, sacramenti integritatem procurare tenetur: procuratur autem per congruam satisfactionem. Atqui satisfactio non solum a sacerdote pœnitentiam injungente, sed etiam et præsertim a pœnitente injunctam acceptante et exsequente dependet. Ergo.

1794. — Quæritur I. *Quomodo satisfactio sacramentalis producat suum effectum* [1].

Resp. Producit effectum suum non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, ex speciali scilicet virtute, quam vi clavium ex meritis passionis Christi obtinet. Satisfactio enim est pars integrans ipsius sacramenti; sacramentum autem ex opere operato illud, ad quod a Christo Domino institutum est, producit.

Jamvero, teste Trid., XIV, cap. 8, satisfactio instituta est tum ad perfectam peccati remissionem per ablationem totius pœnæ temporalis post justificationem relictæ, tum ad medicamentum infirmitatis et novæ vitæ custodiam. Satisfactio igitur sacramentalis ex opere operato causat remissionem pœnæ temporalis, et ad ulteriora præcavenda peccata atque novam vitam custodiendam specialia impetrat auxilia.

Ex dictis etiam conspicuum est, opera nostra satisfactoria majorem vim virtute clavium habere, quam secus haberent. *(Cf. S. Th., Quodl., 3, a. 28).*

1795. — Quæritur II. *An satisfactio a sacerdote injuncta totam pœnam semper auferat.*

Resp. *Affirmative*, si quantitas satisfactionis impositæ æquivaleat pœnæ a Deo taxatæ; secus vero, *negative*. « Si contingat, *ait S. Th.*, quod sacerdos minorem satisfactionem imponat pœnitenti quam sit illa ad quam obligatur ex quantitate sui peccati, subtracto eo quod remittitur virtute clavium et contritionis præcedentis, nihilominus pœnitens ad aliquid ulterius obligatur; quod si in hac vita non perficiat, in purgatorio exsolvet. » *(Quodl., 3, a. 28).*

[1] Cf. Salmantic., Disp. XI, n. 88 et seq.

1796. — Quæritur III. *An unus possit pro alio satisfacere* [1].

Resp. 1. Si agitur de *satisfactione sacramentali*, dicendum est, neminem posse privata sua auctoritate alium delegare, qui vice sua injunctam pœnitentiam adimpleat, sicut constat ex *prop. 15ª* ab Alexandro VII damnata: « Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. » *(Denz., n. 986)*. — Ratio est, quia actus pœnitentis sunt materia sacramenti; et ideo sicut nemo potest pro alio confiteri aut conteri, ita nec satisfacere.

Cum tamen actualis pœnitentiæ impletio non sit pars essentialis, sed integralis sacramenti, potest aliquis ex licentia confessarii alium sibi ad satisfaciendum substituere: ratio est, quia substitutio a confessario facta efficit, ut ipse actus, quo ab alio satisfactio pro se petitur, locum teneat satisfactionis formalis.

2. Si agitur de *satisfactione extrasacramentali*, dicendum unum pro alio posse satisfacere, quantum ad solutionem pœnæ debitæ. *(Cf. S. Th., Suppl., q. 13, a. 2)*.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (II Machab. XII, 46): *Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Ergo orationes vivorum defunctis prosunt ad solutionem pœnæ, a qua sola possunt adhuc solvi.

II. **Ex Doctrina de communione Sanctorum.** Omnes fideles in caritate existentes unum corpus efformant, ratione cujus « non solum virtus passionis Christi, *ait S. Th.*, communicatur nobis, sed quidquid boni fecerunt omnes Sancti, communicatur in caritate existentibus. Sed tamen specialius illi (id participant) pro quibus specialius fit aliquod bonum: nam unus potest satisfacere pro alio. » *(Opusc. 6)*. — Etenim « quantum ad pœnæ remissionem actus unius efficitur alterius, caritate mediante, per quam omnes unum sumus in Christo. » *(Suppl., q. 13, a. 2, ad 1)*.

[1] Cf. Salmantic., Disp. X, dub. 2.

III. **Ex Doctrina de indulgentiis,** quæ tam vivis quam defunctis ad remissionem pœnæ applicari possunt, ut in appendice dicetur.

—

CAPUT V.

DE PŒNITENTIÆ SUBJECTO ET MINISTRO.

ARTICULUS I.

DE SUBJECTO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

1797. — Subjectum sacramenti Pœnitentiæ est quilibet baptizatus, qui, possidens in se materiam remotam et removendam, actuale scilicet peccatum, potest hujus sacramenti materiam proximam subministrare.

Aliud est subjectum *necessarium*, quod sacramentum recipere tenetur; et aliud subjectum liberum, quod sacramentum recipere potest, sed non tenetur.

Quodnam sit hujus sacramenti subjectum tum necessarium tum liberum, ex dictis in decursu tractatus abunde jam constat. Enimvero:

1. Cum nullum mortale post Baptisma commissum, secundum ordinariam Dei providentiam condonetur nisi virtute clavium, aut saltem cum ordine ad claves, sequitur: subjectum *necessarium* sacramenti Pœnitentiæ esse quemlibet fidelem, qui peccando gratiam sanctificantem amisit. Hujusmodi igitur peccatores ad Pœnitentiam recipiendum tenentur, sicut infideles ad Baptismum. *(Cf. n. 1745, 1749, 1525).*

2. Cum peccatum veniale sine ordine ad claves remitti possit, et materiam nihilominus remotam sufficientem sacramenti constituat, fidelis, qui sola venialia habet, est subjectum *liberum;* potest valide et fructuose sacramentum recipere; sed ad illud recipiendum non adstringitur. *(Cf. n. 1749).*

3. Cum peccata jam remissa sufficientem constituant hujus sacramenti materiam remotam, qui nullum habet nec

veniale nec mortale nondum condonatum, sed habuit antea, potest esse hujus sacramenti subjectum, dummodo materiam proximam debite subministret.

4. Demum, cum citra speciale privilegium fieri nequeat, ut homo per totam vitam a venialibus omnino abstineat, *(cf. n. 1167)*, sequitur, omnes, quantumvis justos, posse subjectum esse hujus sacramenti. Sola excipitur B. V. Maria, quæ materiam remotam non possidens propter omnimodam suam impeccabilitatem, nec materiam proximam hujus sacramenti subministrare potuit.

ARTICULUS II.

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

1798. — Circa ministrum sacramenti Pœnitentiæ erraverunt præsertim *Wicleffitæ* et *Waldenses:* docuerunt, quemlibet justum etiam laicum habere jus a peccatis legitime absolvendi; sacerdotes vero in mortali existentes eo jure spoliari. — Erravit etiam *Lutherus* qui censuit quemlibet fidelem jure divino alium absolvere posse, cum absolutio, ut ait, sit simplex declaratio peccata esse dimissa.

Docet autem Ecclesia catholica, legitimum Pœnitentiæ ministrum esse solum sacerdotem jurisdictione donatum.

1799. — Prop. I. *Solus sacerdos est sacramenti Pœnitentiæ minister.*

De fide, ex Trid., Sess. XIV, can. 10: « Si quis dixerit.... non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: *Quæcumque ligaveritis super terram....* et: *Quorum remiseritis peccata....* quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata....; A. S. » *Cf. etiam cap. 6; et Florent., decr. pro Arm.*

Prob. I. **Ex Script. S.** Illi soli sunt sacramenti Pœnitentiæ ministri, quibus Christus prius promisit, deinde reapse contulit potestatem clavium. Atqui, Christus solis Apostolis eorumque successoribus potestatem clavium prius promisit, deinde reapse contulit; solis enim Apostolis dixit: *Quæcumque ligaveritis.... Quorum remiseritis peccata....;* sicuti constat

ex verbis Tridentini proxime citatis. Ergo soli sacerdotes sunt sacramenti Pœnitentiæ ministri.

II. **Ex Traditione.** S. Patres non alios, nisi solos sacerdotes declarant Pœnitentiæ ministros; sacerdotumque dignitatem ex potestate remittendi peccata mirifice extollunt.

Ait *S. Basilius:* « Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est. » *(Regula, 288).* — *S. Ambrosius:* « Jus hoc (remittendi peccata) solis permissum sacerdotibus est. » *(De Pœnit., l. I, c. 2, n. 7).* — *S. August.:* « Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum.... veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et... a præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum. » *(Serm. 351, c. 4. — Cf. etiam verba Origenis et S. Cypriani, n. 1778).*

III. **Ex Ratione convenientiæ.** 1. Conveniens est, eos solos in corpus Christi mysticum potestatem habere, qui in corpus Christi reale potestatem habent: gratia, enim, quæ in sacramentis confertur, a capite in membra defluit. Sed soli sacerdotes potestatem habent in corpus Christi reale. Ergo. *(Cf. S. Th., Suppl., q. 8, a. 1).*

2. In societate recte ordinata, potestas judiciaria non penes quemque indiscriminatim residere potest, cum ad bene et juste judicandum multa requirantur, quæ non de facili in quolibet reperiri possunt. Sed in societate ecclesiastica Pœnitentia exercetur vero actu judiciali. Ergo conveniens est, non omnes fideles indiscriminatim, sed solos sacerdotes ejus ministros existere.

1800. — Objicitur. Legimus (Jacob. V, 16): *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Quæ verba, fidelibus indiscriminatim dicta, manifeste indicant cuilibet fideli fieri posse confessionem.

Resp. « Jacobus, *inquit S. Th.*, loquitur ex præsuppositione divinæ institutionis; et quia divinitus institutio præcesserat de confessione sacerdotibus facienda, per hoc quod eis potestatem remittendi peccata in Apostolis dedit, ut patet Joan. XX, ideo intelligendum est quod Jacobus sacerdotibus confessionem esse faciendam monuit. » *(Suppl., q. 8, a. 1, ad 1).*

1801. — **Prop. II.** *Ad validam absolutionem, præter potestatem ordinis requiritur in sacerdote potestas jurisdictionis, et quidem jure divino.* — Certa.

NB. « Ad absolutionem a peccatis, *ait S. Th.*, requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis et potestas jurisdictionis. » *(Suppl., q. 20, a, 1).*

Potestas ordinis est auctoritas remittendi peccata, sacerdoti in ipsa ordinatione collata *in actu primo*. Hæc potestas quoad essentiam eadem est ac potestas conficiendi corpus Christi, *teste S. Thoma:* « Character et potestas conficiendi et potestas clavium, *inquit*, est unum et idem per essentiam, sed differt ratione. » *(Suppl., q. 17, a. 2).*

Potestas jurisdictionis est legitima deputatio ut sacerdos in pœnitentes sibi subditos clavibus uti possit.

Prob. I. Pars: *requiritur jurisdictio.*

Legimus in Trid., Sess. XIV, cap. 7: « Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. »

Quibus ex verbis sic argumentari licet: Quod est de intrinseca et essentiali ratione judicii in genere, est etiam de intrinseca et essentiali ratione hujus sacramenti: fuit enim a Domino tanquam verum judicium institutum. Atqui, de intrinseca et essentiali ratione judicii in genere est, ut judex in solos sibi subditos sententiam ferat; si enim in alios judicium ferre præsumeret, nullius valoris foret ejus sententia. Ergo etiam de essentiali et intrinseca ratione pœnitentiæ est, ut sacerdos non possit clavibus uti nisi in solos sibi subditos: fideles autem alicui subduntur per jurisdictionem a legitimo superiore collatam. « Clavis cum ordine datur, *ait S. Th.*, sed exsecutio clavis indiget materia debita, quæ est plebs subdita per jurisdictionem; et ideo antequam jurisdictionem habeat, habet claves, sed non habet actum clavium. »

Prob. II. Pars: *jurisdictio requiritur jure divino.*

Sacramentum Pœnitentiæ ab ipso Christo institutum est per modum judicii. Cum igitur de intrinseca et essentiali ra-

tione judicii sit, ut judex jurisdictionem habeat, inde sequitur, jurisdictionem in ministro hujus sacramenti necessariam esse non solum ex jure ecclesiastico, sed ex jure divino.

1802. — Corollarium. *Ex dictis sequitur:*

I. Hæreticos, schismaticos, atque excommunicatos non toleratos a peccatis valide absolvere non posse. Licet enim in eis remaneat potestas clavium quoad essentiam, ejus tamen usus ex defectu materiæ, id est, subditorum, quos Ecclesia ipsis subtrahit, impeditur.

II. Neminem in seipsum clavibus uti posse, « quia potestas clavium requirit pro materia aliquem subjectum, et ita alium: sibi ipsi enim aliquis subjectus esse non potest. » *(S. Th., Suppl., q. 20, a. 3).*

III. Cum potestas jurisdictionis acquiratur per deputationem factam a legitimo superiore, cujus est personas designare, in quas inferior tanquam in subditos potestate clavium uti valeat, inde sequitur in arbitrio superioris esse, quas lubet personas alicui subjicere, quas autem non lubet, subtrahere. Proinde, potest S. Pontifex per universum mundum quasdam personas aut integras communitates ab episcoporum potestate eximere, sicut potest episcopus in sua diœcesi a presbyterorum potestate.

1803. — Prop. III. *Sacerdos in mortali existens, subditos a peccatis valide absolvere potest.*

De fide, ex Trid., Sess. XIV, can. 10: « Si quis dixerit, sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere...; A. S. »

Prob. Sacerdos, dum utitur clavibus, non est principale agens ad effectum sacramenti producendum, sed tantum *minister*, id est, agens instrumentale applicatum a Christo ad gratiam peccatorum expulsivam conferendam. Atqui, « sicut inter instrumentum et effectum non exigitur similitudo secundum convenientiam in forma, sed secundum proportionem instrumenti ad effectum; ita nec inter instrumentum et principale agens. » *(S. Th., Suppl., q. 19, a. 4, ad 1).* — Et ideo malus sacerdos jurisdictionem habens subditos a peccatis valide absolvere potest, quamvis ipse damnationem sic incurrat.

1804. — Prop. IV. *Legitimus superior inferioris jurisdictionem restringere, et quædam peccata sibi reservare potest.*

De fide, ex Trid., Sess. XIV, can. 11: « Si quis dixerit episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad

externam politiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat; A. S. »

Prob. Sacerdos, etsi habet vi ordinationis potestatem dimittendi peccata, non potest tamen hac sua potestate uti, nisi potestas jurisdictionis, quæ a superioribus in inferiores descendit, ei concedatur. Atqui, sicut penes superiores stat, sacerdoti, quos volunt, in subditos assignare, vel ejus potestati subtrahere, ita etiam penes ipsos stat materiam assignare, circa quam potestas clavium exerceri aut non exerceri potest. Possunt igitur superiores potestatem inferiorum limitare quoad peccata absolvenda, et quædam sibi reservare; in quæ proinde simplex sacerdos, excepto mortis articulo, omni jurisdictione careat. *(Cf. Trid., Sess. XIV, cap. 7; S. Th., Suppl., q. 20, a. 2).*

1805. — Prop. V. *Sacerdos, minister hujus sacramenti, non potest pro arbitrio pœnitentium peccata solvere vel ligare.* — Certa.

Prob. I. **Ex Rituali Romano.** « Videat diligenter sacerdos, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui nulla dant signa doloris. »

II. **Ex Ratione.** « Sacerdos, *ait S. Th.*, operatur in usu clavium sicut instrumentum et minister Dei. Nullum autem instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod movetur a principale agente. Et ideo dicit Dionysius quod *sacerdotibus utendum est virtutibus hierarchicis, quomodo Divinitas eos movetit....* Unde si quis præter illum motum divinum uti sua potestate præsumeret, non consequeretur effectum, et præter hoc a divino ordine averteretur, et sic culpam incurreret. » *(Suppl., q. 18, a. 4).*

Tenetur ergo confessarius ea peccata remittere vel retinere, non quæ pro arbitrio placet, sed quæ post diligens discretionis judicium ab ipso Christo absolvi crederet, si suo loco præsens in terris adesset: alioquin, si est nimis rigidus, salvandorum ruinam causat; si vero nimis benignus et indulgens, peccata solvit quæ in cœlis tamen non solvuntur, pœnitentesque dirigit per latam viam, quæ non ad regnum, sed

ad gehennam ducit. In dubio tamen, *ait S. Alphonsus (Mor., VI, n. 605)*, præstat uti cum pœnitentibus nimia benignitate quam nimia severitate.

—

CAPUT VI.

DE EFFECTIBUS PŒNITENTIÆ.

1806. — Quinam sint præcipui effectus Pœnitentiæ, tam in ratione virtutis quam in ratione sacramenti, ex dictis in decursu tractatus abunde jam constat. Sunt nimirum:

I. Infusio gratiæ sanctificantis, per se primæ; aut ejus augmentum. Contritio enim perfecta hominem justificat, si est in peccato; et caritatem auget, si in gratia jam existit. — Sacramentum autem ex opere operato gratiam producit. *(Cf. n. 1763, 1741).*

II. Remissio peccati mortalis, quod per gratiæ infusionem formaliter expellitur. Pœnitentia enim directe ad peccatum destruendum ordinatur.

III. Remissio pœnæ æternæ peccatis debitæ; impossibile enim est eum, qui caritate Deo adhæret, pœnis infernalibus devinciri.

IV. Remissio pœnæ temporalis peccatis debitæ. Quæ quidem remissio *perfective* fit per adæquatam satisfactionem, quam in spiritu pœnitentiæ homo vel sponte suscipit, vel a sacerdote impositam exsolvit; imo etiam aliquando fit per solam contritionem, ratione scilicet intensionis caritatis, quæ contritionem causat, et doloris sensibilis, quem voluntas excitat. *(Suppl., q. 5, a. 2).*

Per primum vero pœnitentiæ actum, per contritionem scilicet qua gratia infunditur, semper etiam remittitur pars pœnæ temporalis, ratione caritatis et doloris sensibilis concomitantis.

Per realem etiam sacramenti Pœnitentiæ susceptionem pars pœnæ semper remittitur, et major quidem quam per solam contritionem; multiplici quidem de causa, nimirum: *a)* ra-

tione contritionis et doloris sensibilis concomitantis; *b)* ratione « ipsius actus confitentis qui habet pœnam erubescentiæ annexam; et ideo quanto aliquis pluries de eisdem peccatis confitetur, tanto magis pœna minuitur. » *(S. Th., Suppl., q. 10, a. 2).* — *c)* præsertim ratione ipsius absolutionis, quia passio Christi perfectius operatur in sacramentis *re* quam *voto* susceptis. « Et ideo confessus et absolutus, *ait S. Th.*, minus in purgatorio punietur quam contritus tantum. » *(Loc. cit., ad 2).*

V. Virtutum infusarum recuperatio. « Remissio peccatorum, *inquit S. Th.*, non potest esse nisi per infusionem gratiæ. Unde relinquitur quod per pœnitentiam homini gratia infundatur. Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratuitæ, sicut ex essentia animæ fluunt omnes potentiæ. Unde relinquitur quod per pœnitentiam omnes virtutes restituantur. » *(P. 3, q. 89, a. 1).*

VI. Reviviscentia meritorum. Præter enumeratos effectus, de quibus satis in decursu tractatus dictum est, alius Pœnitentiæ adscribitur, de quo paulo fusius agendum est: *Reviviscentia scilicet meritorum.*

1807. — Reviviscentia meritorum est recuperatio pristinæ efficaciæ, quam opera bona habebant perducendi hominem ad vitam æternam, et quam peccato amiserant.

Quatuor distinguuntur genera operum, nempe: opera *viva*, *mortua*, *mortifera*, et *mortificata*. — *Viva* ea dicuntur, quæ ab homine in gratia existente ponuntur, et vim possident illum in vitam æternam perducendi. — *Mortua* dicuntur, quæ sunt quidem bona ex parte objecti, sed quæ, utpote ab homine in peccato existente posita, vitæ æternæ non sunt meritoria. — *Mortifera* dicuntur ipsa peccata, quæ animæ spiritualem mortem inferunt. — *Mortificata* dicuntur ea opera, quæ ab homine gratia sanctificante ornato posita sunt, sed quæ per subsequens peccatum impediuntur, ne mercedem vitæ æternæ accipiant. Sola opera mortificata dicuntur reviviscere, quippe quæ sola efficaciam prius habuerunt, peccato postea amissam.

Circa reviviscentiam operum duo sunt investiganda, an scilicet mortificata vere reviviscant; et quanam in mensura.

1808. — **A.** De ipsa meritorum reviviscentia.

Opera peccato mortificata per pœnitentiam reviviscere, est unanimis theologorum sententia, et citra maximam temeritatem negari non posset.

Prob. I. **Ex Script. S. et Traditione.** Etsi reviviscentia meritorum ex S. Scriptura sacra, si sola sumatur, apodictice probari nequit, ex ea tamen, accedente Patrum et theologorum auctoritate, manifeste deducitur.

Legimus (Gal. III, 1, 4): *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?... Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.* Quem in locum scribit *S. Hieronymus:* « Quicumque ob fidem Christi laboraverit et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat, sic rursus non perdit ea, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur. » — Et *S. Joan. Chrysost.:* « Omnium, inquit (Apostolus), illorum, quæ sustinuistis, isti (pseudoapostoli) jacturam vos facere volunt, et coronam vobis student intervertere. Mox... subtexuit: Si tamen frustra. Si volueritis, inquit, expergisci ac revocare vos ipsos, non frustra passi fueritis. » *(Comment. 2, in cap. 3. ad Gal.).*

(Hebr. VI, 10): *Non enim injustus Deus ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis.* His verbis Apostolus Hebræos alloquitur, ex quibus aliqui, sicut patet ex contextu, lapsi erant in peccatum; et tamen affirmat Deum eorum operis et dilectionis, id est, meritorum ante peccatum acquisitorum, non oblivisci. Si autem Deus eorum non obliviscitur, ergo, reddita gratia per pœnitentiam, redditur operum efficacia ad mercedem. *Cf. Trid., Sess. VI, cap. 16.*

II. **Ex Tridentino.** Legimus, Sess. VI, can. 32: « Si quis dixerit.... ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam.... fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; A. S. » His ex verbis patet, tria esse necessaria ut opus bonum sit meritorium vitæ æternæ, nimirum: *a)* ut fiat ab homine justo; *b)* ut ponatur sub motione gratiæ actualis; *c)* ut homo in gratia

decedat. Atqui tres istæ conditiones in operibus vivis ejus, qui post peccatum resurgit et in gratia decedit, verificantur. Ergo illa opera efficaciam suam pristinam ad vitam æternam iterum possident.

III. **Ex S. Thoma.** Opera meritoria, *inquit* « non habent vim perducendi in vitam æternam solum secundum quod actu existunt, sed etiam postquam esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur, quia Deus semper illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, et sancti de eis gaudebunt... Sed quod isti, qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam æternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vita æterna. Hoc autem impedimentum tollitur per pœnitentiam... Unde restat quod opera prius mortificata, per pœnitentiam recuperent efficaciam perducendi eum qui fecit ea, in vitam æternam, quod est ea reviviscere. Et ita patet quod opera mortificata per pœnitentiam reviviscunt. » *(P. 3, q. 89, a. 5).*

1809. — B. De mensura qua merita reviviscunt [1].

De mensura, aut gradu, in quo merita reviviscunt, controvertitur inter theologos; et hac in quæstione, ut fatetur Billuart, vix aliquid certi statui potest.

Docent aliqui, per veram pœnitentiam quantumvis parvam, opera mortificata semper reviviscere in eodem gradu, in quo erant ante lapsum; ac proinde gratiam sanctificantem et virtutes infusas semper per pœnitentiam restitui eodem gradu quo erant ante lapsum; statim etiam restitui totum jus ad integram gloriam, quam opera ante lapsum promeruerant, ita ut, v. gr., qui habuit merita ad centum gradus, hos omnes recuperet.

Dicunt alii, per pœnitentiam recuperari gratiam et merita secundum proportionem præsentis dispositionis cum qua homo resurgit, ita ut præter jus ad gloriam essentialem correspondentem præsenti dispositioni, conferatur ei de præcedentibus meritis aliquid ad gloriam essentialem correspondens actuali suæ dispositioni; sic, v. gr., qui resurgit cum dispositione ad quatuor gradus, accipiet primo quatuor gradus gratiæ et meritorum correspondentium ad hos quatuor gradus,

[1] Cf. Billuart, Diss. 3, a. 5; Gotti, q. 3, dub. 5.

et præterea merita præcedentia reviviscunt ad quatuor gradus, ita ut iste homo jus ad octo gradus gloriæ essentialis habeat.

Alii docent, hominem, quando justificatur, recuperare quidem statim gratiam et merita secundum præsentem suam dispositionem, ut dictum est in secunda sententia; sed insuper recuperare jus ad recipiendam, in instanti quo cœlum intrat, totam gloriam essentialem, quam ante peccatum meruerat: ratio est, quia merita ante lapsum acquisita remanent in acceptatione Dei; ac proinde, accedente debita dispositione ex parte hominis, quæ certe accedit in introitu cœlorum, omnem pristinum suum effectum consequuntur. Si enim quidquid meruerant, in cœlis non acciperent, non apparet quomodo remaneant in acceptatione Dei, aut quomodo merita vere reviviscant.

Alii demum docent, opera mortificata reviviscere tantum pro ratione præsentis dispositionis quacum justificantur pœnitentes; sic, v. gr., qui resurgit cum dispositione ad quatuor, accipiet gratiam et merita ad quatuor; de cæteris vero habebit in cœlis gaudium accidentale.

Ex his sententiis, quæ magis placuerit, quilibet amplecti potest; prima tamen videtur nimis indulgens; quarta nimis severa; secunda et tertia hominis fiduciæ et Dei misericordiæ magis consentaneæ.

1810. — Scholium. *De effectu Pœnitentiæ relate ad publicum societatis bonum.*

Præter enumeratos effectus, qui ad propriam cujusque utilitatem spectant, Sacramentum Pœnitentiæ alium, hunc que eximium respectu ipsius societatis, producit effectum: prosperitatem videlicet Reipublicæ ita promovet, ut Confessio inter efficacissima salutis publicæ præsidia quasi primum locum obtineat.

Et re quidem vera, experientia compertum est, eo prosperiores esse Respublicas, quo magis illæsa servantur mutua civium jura, quo major inter cives concordia viget, quo subditi magistratibus debitam obedientiam perfectius præstant et præpositi sua vice inferiores æquius gubernant, quo parentes proli gignendæ et educandæ sanctius invigilant, quo vitia demum tam occulta quam publica severius exstirpantur, virtutes vero sedulius excoluntur.

Porro, rite peractas confessiones hæc omnia præstare, cuique intuenti palam fit. Cum enim omnia et singula peccata, etiam occultissima, sacerdoti manifestanda sint, *primum* « confitendi verecundia delinquendi cupiditati et licentiæ tanquam frenos injicit, et improbitatem coercet », *ut ait Catech. Rom., c. V, n. 37*. Deinde, quos confitendi verecundia a crimine non deterruit, eos confessarii auctoritas adigit, ut a peccatis abstineant: ne scilicet alter alterius jura in bonis tam fortunæ quam famæ lædat, neve læsa relinquat; ne aliquis aliquem prosequatur odio: ne subditi erga legitimam auctoritatem rebelles existant, aut præpositi injuste vexent subditos; ne parentes suo officio desint. Uno verbo, pro viribus procurare tenentur confessarii ut nullus sit vitiis deditus, sed quilibet virtutes statui suo proprias excolat.

APPENDIX.

DE INDULGENTIIS [1].

1811. — Remissa culpa per salutarem pœnitentiam, pœna temporalis plerumque exsolvenda remanet, pro qua homo per opera pœnalia Deo satisfacere tenetur. (*Cf. n. 1785).*

Ast alia eaque facilior suppetit via, qua homo ab ea pœna sese liberare valeat. Indulgentias nominavimus, per quas Christi Sanctorumque satisfactiones in solutionem nostri debiti Deo offeruntur. Cum igitur indulgentiæ nobis inserviant, ut ab ea pœna, quæ in sacramento Pœnitentiæ remanet, liberemur, considerationem de Pœnitentia apte subsequitur consideratio de Indulgentiis.

Agendo de indulgentiis, tria sunt investiganda, nimirum: I. indulgentiarum existentia; II. conditiones ad eas lucrandas requisitæ; III. earum effectus.

ARTICULUS I.

DE INDULGENTIARUM NATURA.

1812. — Definitio. — Indulgentia definitur: *Remissio pœnæ temporalis Deo pro peccatis condonatis debitæ, facta a prælato extra sacramentum per dispensationem thesauri Ecclesiæ.*

Dicitur: *Remissio pœnæ temporalis*, illius scilicet pœnæ, quæ post peccatum condonatum remanet; non autem culpæ aut pœnæ æternæ, quæ per solam pœnitentiam tolli possunt. — *Deo debitæ*, ad excludendas pœnas justitiæ ecclesiasticæ aut civili propter delictum forsan debitas. — *A prælato:* ad indicandam personam, quæ indulgentias concedere potest. — *Facta extra sacramentum*, quia etiam in sacramentorum sus-

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, sess. XXV, art. 3; S. Th., *Suppl.*, q. 25-27; De Lugo, *De Pœnit.*, disp. 27; Bellarm., *De Indulg.*; Isamb., *De Indulg.*

ceptione, per applicationem satisfactionum Christi, aliquid de pœna temporali semper remittitur: hæc autem remissio non est indulgentia. — *Per dispensationem thesauri Ecclesiæ*, scilicet satisfactionum Christi et Sanctorum. Quæ verba fundamentum indulgentiarum indicant. Differentiam insuper innunt indulgentiam inter et suffragium. *Indulgentia* est subsidium a legitima potestate ex publico Ecclesiæ thesauro alicui exhibitum; *suffragium* vero est subsidium collatum *ex propriis*, quando scilicet justus proprias satisfactiones in solutionem pœnæ temporalis alterius Deo offert. (Suffragium dicitur etiam oratio, qua a Deo remissionem pœnæ aliis impetramus). Quilibet privatus, ratione caritatis, qua omnes fideles in unum corpus constituuntur, suffragia in remissionem pœnæ a proximo debitæ, Deo offerre potest. *(Cf. n. 1796).*

Ex dictis intelligere licet, quid sit indulgentia per modum suffragii defunctis applicabilis: est nimirum indulgentia, quam quis lucratur et suam facit, eamque in solutionem pœnæ, quam defuncti in purgatorio solvere tenentur, Deo offert.

1813. — Divisio. — Indulgentiæ multipliciter distinguuntur.

a) Alia est *plenaria* seu *totalis*, quæ juxta intentionem concedentis ab omni pœna liberat; alia *partialis*, quæ a parte pœnæ liberat; v. gr., indulgentia septem annorum, quadraginta dierum, etc.

Hic statim notandum est, quod si in indulgentia partiali conceduntur *tot anni*, vel *tot dies*, anni aut dies non intelliguntur de tempore in purgatorio transigendo, sed significant quod « per indulgentiam quadraginta dierum, v. gr., nunc concessam, remittatur tanta pœna purgatorii, quanta correspondere posset pœnitentiæ quadraginta dierum, quam imponeret ei confessarius juxta antiquos canones, cum ea gravitate pœnitentiæ, cum qua juxta prudens confessarii arbitrium deberet imponi huic homini propter sua peccata confessa, pro quibus hic et nunc debet reatum pœnæ. » *(Lugo, disp. 27, n. 129).*

b) Alia est *personalis*, quæ personis, v. gr., confraternitati, immediate conceditur; — alia *localis*, quæ loco, v. gr., Ecclesiæ, affixa est; — alia *realis*, quæ rei portatili, v. gr., cruci, rosario, adnexa est.

c) Alia est *temporalis*, quæ ad tempus determinatum conceditur; — alia *perpetua*, quæ pro semper vel absque præfixo termino conceditur.

d) Alia est *universalis*, quæ omnibus totius Ecclesiæ fidelibus conceditur; — alia *particularis*, quæ alicui diœcesi, vel civitati, vel communitati, aut privatæ personæ conceditur.

e) Alia demum est *per modum jubilæi:* est indulgentia plenaria solemnis cum privilegiis annexis, a S. Pontifice fidelibus certa opera peragentibus concessa.

1814. — Errores. — *Waldenses*, sæculo XII, *Wicleffitæ* sæculo XIV, indulgentiarum existentiam negaverunt; *Petrus Oxomensis*, sæc. XV, asseruit *Papam non posse indulgere alicui viro pœnam purgatorii*, (Denz., n. 615). Celebrior tamen hæreticus, qui contra indulgentias vehementius dimicavit, fuit Lutherus. Docuit: « Indulgentias esse pias fraudes fidelium et remissiones bonorum operum; — eas non valere ad remissionem pœnæ pro peccatis debitæ; — fideles seduci dum credunt indulgentias esse salutares et ad fructum spiritus utiles. » *Cf. Denz., n. 642-646.*

Cum fundamentum indulgentiarum sit spiritualis thesaurus Ecclesiæ, ut indulgentiarum existentia et natura in lucem ponantur, probandum est primo, thesaurum spiritualem revera existere; deinde, Ecclesiam habere facultatem concedendi indulgentias; indulgentias valere ad remissionem pœnæ Deo debitæ, ipsasque respectu vivorum habere rationem absolutionis simul et solutionis, respectu mortuorum vero rationem solutionis tantum.

1815. — Prop. I. *Existit in Ecclesia spiritualis thesaurus, constans satisfactionibus Christi atque Sanctorum* [1].

De fide, aut saltem *fidei proxima*, ex declaratione Clementis VI, et ex condemnatione *prop. 17ª* Lutheri: « Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum. »

Prob. I. **Ex Declaratione Clementis VI,** in Extravag. *Unigenitus, titulo de pœnit. et remiss.:* « In ara crucis innocens immolatus (Christus) non guttam sanguinis modicam, quæ

[1] Cf. Isamb., *De Indulg.*, Disp. I, a. 1-4; Bellarm., *De Indulg.*, l. I, c. 2.

tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani sufficisset; sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse... Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis et superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit! Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cœli Clavigerum, ejusque successores, suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum... Ad cujus quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis, omnium Electorum, a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam pro eo quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.»

II. **Ex Ratione.** 1. Verbum divinum, carnem humanam assumendo, constitutum est caput Ecclesiæ, ad quam sanctificandam Christus etiam passionem sustinuit. Porro, satisfactio Christi est superabundans solutio pro totius mundi criminibus, non solum ad reatum culpæ tollendum, sed etiam ad reatum pœnæ perfecte exsolvendum. Cum autem et Christus datus sit nobis, secundum illud (Joan. III, 16): *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret;* et bona capitis ad totum corpus pertineant, conveniens fuit, ut superabundantia satisfactionum Christi Capitis, Ecclesiæ, corpori Christi, relinqueretur, ipsique concederetur harumce satisfactionum dispensatio.

2. Justorum opera bona duplicem habent efficaciam, *meritoriam* scilicet et *satisfactoriam.* — *Meritoria* sunt, quatenus procedunt ex radice caritatis; *satisfactoria*, quatenus sunt laboriosa. In quantum meritoria, illis directe prosunt ad mercedem, qui ea ponunt; in quantum satisfactoria, ponentibus etiam directe prosunt, si pœna temporalis eis luenda remaneat, non autem iis, quibus nulla pœna est luenda, vel quia nunquam peccaverunt, sicut B. V. Maria, vel quia jam perfecte satisfecerunt. Cum autem non deceat horum opera quatenus satisfactoria absque fructu remanere, conveniens fuit

ipsa in thesauro Ecclesiæ recondi, ut aliis Ecclesiæ membris, quæ eis propter propriam inopiam indigent, prodesse possint.

Hæ vero Sanctorum satisfactiones meritis et satisfactionibus Christi in thesauro Ecclesiæ adduntur, non quia Christi satisfactiones insufficientes sint, sed quia Deus, ut servos suos honoraret, decrevit eorum superabundantes satisfactiones non remanere otiosas, sed in fratrum utilitatem cedere. Qua quidem œconomia et ipse Christus in membris suis magis honoratur, quippe quibus ipse meruit, non solum ut pro propriis peccatis, sed etiam pro delictis aliorum, satisfacere possint.

1816. — Prop. II. *Adest in Ecclesia potestas concedendi indulgentias.*

De fide, ex Trid., Sess. XXV, *decr. de Indulg.:* « Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta Synodus.... eos anathemate damnat, qui (Indulgentias) aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Matth. XVI, 19): *Tibi dabo claves regni cœlorum.... Et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlo.* Hisce verbis Christus B. Petro amplissimam promisit potestatem non solum remittendi peccata, sed etiam quæcumque removendi vincula, quibus homo ab introitu cœlorum impeditur; quam potestatem eidem postea reapse contulit, cum Pastorem sui gregis constituit. Atqui, pœna temporalis peccatis debita verum est vinculum, quo homo ab introitu cœlorum impeditur. Ergo B. Petrus fideles ab eo vinculo solvere potest. Hoc autem est vera indulgentias concedendi potestas.

Præterea, B. Paulus incestúoso Corinthio aliquid de pœna in sui criminis punitionem imposita relaxavit, et quidem in nomine Christi. (II Cor. II, 10): *Cui autem aliquid donastis, et ego. Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Quæ pœnæ relaxatio, utpote debitæ Deo propter peccatum, ut constat I Cor. V, 5, vera erat indulgentia.

II. **Ex Traditione.** Primis jam Ecclesiæ temporibus, episcopis licentiam dederunt Concilia aliquid de pœna propter peccatum imposita relaxandi. Leginus in Concilio *Ancyrano*, can. 5 (anno 314): « Statuimus ut episcopi. modo conversationis examinato, potestatem habeant, vel humanius erga eos agendi, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem et præcedens vita. et quæ consecuta est, examinetur, et sic eis clementia impertiatur. » — Eadem statuit Conc. Nicænum I, can. 12.

Hanc autem pœnæ relaxationem valuisse etiam coram Deo, ex eo manifestum est, quod secus Ecclesia non clementem se exhibuisset, sed crudelem potius, dum pœnitentes a levioribus hujus vitæ pœnis exemisset, duriores in purgatorio passuros.

III. **Ex Praxi Ecclesiæ.** *a)* In primitiva Ecclesia, ad petitiones martyrum, tormenta sua pro aliis offerentium, solebant episcopi pœnitentibus partem relaxare pœnitentiæ, quæ lapsis imposita erat. Quem morem refert et laudat *Tertullianus* adhuc catholicus *(in libro ad Maryr., c. 1)*, quamvis postea, Montanista effectus, eum acriter reprehendat. *(De pudicitia, c. 22).*

Et *S. Cyprianus*, de eodem more agens, ait: « Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere; potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres et fecerint sacerdotes. » *(De Lapsis, c. 36).*

b) Gregorius M., ut refert S. Th., *(4. Sent., D. 20, q. 1, a. 3)*, iis indulgentias concessit, qui Romæ basilicas Apostolorum visitarent; de qua concessione ait *Bonifacius VIII*, (in bulla *Sublimi)*: « Sollicita meditatione discutimus qualiter B. Gregorius pluribus Urbis Ecclesiis primo, prout tradit antiquitas, et alii postmodum R. Pontifices prædecessores nostri diversorum tenorum stationarias indulgentias concesserunt. »

Sergius II, sæc. IX, indulgentiam trium annorum et trium quadragenarum iis concessit, qui certis diebus Ecclesiam SS. Sylvestri et Martini visitarent. — *Urbanus II* in Conc. Claromontensi (an. 1095), indulgentiam plenariam iis, qui ad liberandam Dei Ecclesiam Jerusalem profecti fuerint, elargitus est.

IV. **Ex Ratione.** Ut adsit in Ecclesia potestas concedendi ingulgentias, duo requiruntur et sufficiunt, nimirum: *a)* ut existat thesaurus satisfactionum, *b)* ut habeat Ecclesia potestatem ex hoc thesauro solvendi pro pœna suorum membrorum. Atqui: *a)* Existere thesaurum satisfactionum, ex superiori prop. certum est. — *b)* Certum est etiam Ecclesiam potestatem habere illum dispensandi thesaurum. Etenim, *ut ait S. Th.:* « Prædicta merita sunt communia totius Ecclesiæ. Ea autem quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus qui multitudini præest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfecisset, ita si satisfactio alterius sibi per eum qui potest, distribuatur. » *(Suppl., q. 25, a. 1).*

1817. — Quæritur. *Utrum in Ecclesia mosaica exstiterit potestas concedendi indulgentias.*

Resp. *Negative.* In Veteri Lege nulla exstabat potestas clavium, qua peccata ex opere operato remitti possent; cum autem potestas concedendi indulgentias pertineat ad claves, inde sequitur nullas in Veteri Lege concessas fuisse indulgentias.

Proinde, licet thesaurus Ecclesiæ jam ante Christi adventum ex superabundantibus satisfactionibus Sanctorum illius temporis congregari cœperit, ejus tamen dispensatio ex speciali Dei voluntate ad tempus legis christianæ reservata fuit; convenienter quidem ob summam Legis evangelicæ excellentiam. Cum enim indulgentiarum usus ad remissionem pœnarum ordinetur, et ad uberiorem spectet gratiarum effusionem, nec sit de iis, quæ sunt ad salutem absolute necessaria, idcirco conveniens fuit indulgentias Novæ Legi, in qua uberiores quam in Lege Vet. conceduntur gratiæ, reservari.

1818. — Prop. III. *Indulgentiæ non valent immediate et per se ad remissionem culpæ sive mortalis sive venialis, neque ad remissionem pœnæ æternæ.* — Certa.

Prob. I. Pars: *Non valent ad remissionem peccati mortalis.*

Peccatum mortale non remittitur absque gratiæ sanctificantis infusione. Atqui, Ecclesia non habet potestatem conferendi ex opere operato gratiam sanctificantem nisi per sacramenta; concessio vero indulgentiarum non est actio sacra-

mentalis. Ergo indulgentiæ gratiam infundere nequeunt, nec proinde peccatum remittere.

Ex quo sequitur etiam, indulgentia reatum pœnæ æternæ non auferri, quippe qui nonnisi cum peccato mortali auferatur.

Prob. II. Pars: *Non valent ad remissionem peccati venialis.* Ad remissionem peccati venialis requiritur voluntatis displicentia. Porro, in indulgentia, quæ nudam pœnæ remissionem importat, nulla includitur peccati displicentia. Ergo peccatum veniale non tollit.

1819. — Prop. IV. *Effectus indulgentiarum est relaxatio pœnæ temporalis, non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.*

Ad fidem pertinet ex condemnatione prop. *6ª* Petri Oxomensis, *40ª* pistoriensis *(Denz., n. 1403)*, et *19ª* Lutheri, quæ ita sonat: « Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam. »

Prob. I. **Ex Tridentino.** Ex Trid., Sess. XXV, *de fide* est, indulgentiarum usum esse maxime salutarem, atque populo christiano utilem. « Sacrosancta Synodus, *inquit*, indulgentiarum usum, populo christiano maxime salutarem.... esse docet.... eosque anathemate damnat qui (eas) inutiles esse asserunt. »

Porro, cum non amplius imponatur, sicut primis Ecclesiæ temporibus, pœna canonica, a qua fideles per indulgentias absolvi possint, si indulgentiæ coram Deo ad pœnæ relaxationem non valerent, ad nihilum amplius populo christiano inservirent, neque præsertim salutares existerent, cum multi ob lucratas indulgentias ab aliis abstineant operibus, quibus Dei justitiæ satisfacere potuissent.

II. **Ex S. Thoma.** « Quidam dicunt, *inquit*, quod indulgentiæ non valent ad absolvendum a reatu pœnæ, quam quis in purgatorio secundum judicium Dei meretur; sed valent ad absolvendum ab obligatione, qua sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam obligatur

ex canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera. Primo quia est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est (Matth. XVI) ut quod in terra remitteret, in cœlo remitteretur. Unde remissio quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis. — Et ideo aliter dicendum est quod valent et quantum ad forum Ecclesiæ, et quantum ad judicium Dei ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, et confessionem, et absolutionem, sive sit injuncta, sive non. » *(Suppl., q. 25, a. 1).*

1820. — Prop. V. *Indulgentiæ animabus in purgatorio detentis applicari possunt.*

Ad fidem pertinet, ex condemnatione *prop. 5ª* Petri Oxomensis: « Papa non potest indulgere alicui viro pœnam purgatorii. » *(Denz., n. 615)* ; et *22ª* Lutheri: « Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles: videlicet mortuis, etc. » *(Denz., n. 646).*

Prob. I. **Ex Usu Ecclesiæ.** Concedendo indulgentias, frequentius indulgent S. Pontifices, ut eas fideles defunctis applicent. Si autem Pontifices hoc indulgent, concedendum est, indulgentias defunctis prodesse; alioquin Pontifices in errore fideles confirmarent, qui omnes sibi persuasissimum habent indulgentias defunctis revera prodesse.

II. **Ex Doctrina theologorum,** qui unanimes sunt in asserendo, indulgentias posse defunctis applicari. « Non est aliqua ratio, *ait S. Th.,* quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiæ innituntur, in vivos et non in mortuos. » *(Suppl., q. 71, a. 10).*

III. **Ex Ratione.** Animæ in purgatorio degentes membra sunt corporis mystici Christi, non secus ac homines adhuc viventes. Porro, ratione caritatis, qua omnia membra uniuntur in corpore, satisfactiones unius possunt prodesse alteri ad solutionem sui debiti *(n. 1796)*, ac proinde etiam membris jam defunctis. Quod autem istæ satisfactiones Deo pro aliis offe-

rantur sive ex propriis, sive ex thesauro Ecclesiæ, hoc se habet per accidens. Ac proinde indulgentiæ, quæ sunt veræ satisfactiones Deo pro defunctis oblatæ, eis vere prodesse possunt.

1821. — Prop. VI. *Respectu vivorum indulgentiæ rationem solutionis simul et absolutionis, respectu mortuorum rationem solutionis tantum habent*[1]. — Communis.

Prob. I. Pars. 1. Indulgentias vivis concessas esse solutionem, ex dictis jam manifestum est: concedendo enim indulgentias ad liberationem pœnæ, S. Pontifex pœnam non simpliciter condonat, sed ex thesauro Ecclesiæ tantum Deo exhibet pretium, quantum ad compensandam pœnam necessarium est. « Qui indulgentias accipit, *ait S. Th.*, non absolvitur simpliciter loquendo, a debito pœnæ, sed datur ei unde debitum solvat. » *(Suppl., q. 25, a. 1, ad 2).*

2. Easdem indulgentias esse etiam absolutionem, ex eo patet, quod indulgentiarum concessio est usus clavium, prout constat tum ex verbis: *Quodcumque solveris*, etc., tum ex declarationibus S. Pontificum, quibus testantur neminem indulgentiam concedere posse nisi subditis. Proinde, ad concedendas indulgentias requiritur jurisdictio; actus autem jurisdictionis est absolvere vel retinere. Ergo, cum indulgentia vivis conceditur, conceditur per modum absolutionis.

Vivis ergo concedens indulgentiam, duo præstat S. Pontifex in nomine Christi; nimirum: qua *Christi vicarius*, ex thesauro Ecclesiæ Deo pro pœna debita pretium offert; et qua *Dei minister*, in nomine Dei solutionem acceptat, et illum, pro quo pretium obtulit, a pœna absolvit. Sicut, v. gr., Rex, qui subditos in carcere tenens propter debita, ex ærario publico sufficientem profert pecuniam ad debita solvenda, et pecuniam oblatam simul acceptans atque detentos a pœna liberans, eos simul absolvit et pro eis solvit.

[1] Cf. De Lugo, Disp. 27, sect. 1; Isamb., Disp. II, a. 2 et 3; Bellarm., l. I, c. 5 et 14; S. Alph., *Cont. hær.*, sess. 25, n. 63.

Prob. II. Pars. Indulgentias defunctis applicatas non esse absolutionem, sed solutionem tantum, ex natura potestatis jurisdictionis perspicuum est. Cum absolutio sit actus jurisdictionis, illi soli absolvi possunt, qui potestati jurisdictionis subduntur. Porro, potestas jurisdictionis non in defunctos, sed in solos viatores sese extendit, secundum illud: *Quodcumque solveris* SUPER TERRAM, etc. Ergo S. Pontifex in defunctos nullum jurisdictionis actum exercere, ac proin nec indulgentias eisdem per modum absolutionis concedere potest.

Indulgentiæ igitur pro defunctis conceduntur per modum solutionis, seu, ut aiunt ipsi Pontifices, *per modum suffragii*, quia satisfactiones, quæ ex thesauro Ecclesiæ hauriuntur, Deo tanquam pretium pro defunctorum pœnis offeruntur.

Verum in his indulgentiis miscetur semper potestatis jurisdictionis exercitium, non quidem erga defunctos, sed erga vivos. Etenim, ut infra dicetur, *(n. 1825, B.)* nonnisi ex causa rationabili concedi possunt indulgentiæ, ac proinde soli viventes eas lucrari possunt, qui soli opera ad finem, ob quem indulgentiæ conceduntur, collineantia ponere valent. Proinde, indulgentiæ solis viventibus directe concedi possunt: quod fit exercitio potestatis jurisdictionis. Sicut autem propter communionem Sanctorum, potest aliquis privata sua auctoritate proprias suas satisfactiones in alium transferre, ita etiam potest, cum auctoritate Ecclesiæ, satisfactiones ex ejus thesauro depromptas in alios transferre, quibus non autem sibi prosint in remissionem pœnæ. Et hoc modo indulgentiæ prosunt defunctis.

1822. — Quæritur I. *Utrum indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant.*

Resp. *Affirmative;* nam, ut *ait S. Thomas:* « Ecclesia prædicando indulgentias non mentitur; et ita tantum valent quantum prædicantur. » *(Suppl., 25, a. 2).*

Ratio est, quia: « clavis jurisdictionis non est quid sacramentale, et effectus ejus arbitrio hominis subjacet: et hujusmodi clavis effectus est remissio quæ est per indulgentias; cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiæ.... Unde in arbitrio dantis indulgentiam est taxare, quantum per indulgentiam de pœna remittitur. » *(Loc. cit., ad 2).*

Proinde, plenariam lucrans indulgentiam ab omni pœna perfecte liberatur; partiales vero lucrans liberatur a quantitate pœnæ indulgentiis proportionatæ.

1823. — Quæritur II. *An qui propter peccatum veniale nondum remissum indulgentiam plenariam non lucratur, possit eam quoad partem lucrari.*

Resp. *Affirmative.* « Certum est, *ait S. Alph.*, peccatum veniale non remissum quoad culpam non posse remitti quoad pœnam. Illud tamen veniale non impedit quominus remittatur pœna debita aliis peccatis jam remissis. Nec obstat indulgentiam plenariam concessam fuisse sub ratione totalis remissionis, ita ut si pœnam non tollat illius venialis non remissi, nullam tollat. Nam respondetur quod sicut non repugnat culpam alicujus venialis remitti, quin remittatur culpa aliorum, ita et pœna; Pontifex autem, concedendo indulgentiam plenariam, non præsumitur velle eam restringere tantum ad eos quibus remittuntur omnia venialia, sed potius illam concedere juxta capacitatem subjecti. » *(Mor., VI, 534, 19).*

1824. — Quæritur III. *An effectus indulgentiarum sit infallibilis.*

Resp. Si agitur de vivis, omnes unanimiter docent, indulgentias effectum suum infallibiliter sortiri, dummodo qui eas lucrari intendit, debite sit dispositus.

Cum autem nemo certo scire valeat se in lucrandis indulgentiis plenariis omnes habuisse dispositiones requisitas, ideo nemo etiam certo scire potest se indulgentiam plenariam plane lucratum esse, et a pœna fuisse omnino liberatum. Quocirca consultum est, ut quisque pro solvendis propriis pœnis indulgentias frequentius lucrari satagat.

Si vero de defunctis movetur quæstio, res controvertitur. Alii docent, indulgentiarum effectum pro defunctis non esse infallibilem, cum hac de re nulla ex parte Dei promissio adsit. Quocirca, indulgentias pro defunctis Deus nonnisi ad suum beneplacitum acceptat. — Dicunt alii, indulgentias etiam defunctis applicatas, effectum suum infallibiliter sortiri: supponunt videlicet aliquam ex parte Dei promissionem. Quam tamen infallibilem indulgentiarum applicationem intelligunt de defunctis in genere, non autem de defuncto determinato, cui vivens aliquis indulgentiam specialiter applicat; justitia enim et sapientia Dei obstare possunt, quominus indulgentia ex toto vel etiam ex parte alicui determinate applicetur.

Cum igitur quilibet fidelis per indulgentias et seipsum a flammis purgatorii immunem certissime præservare, et fidelium animas in purgatorio detentas magnopere adjuvare possit, idcirco omnes indulgentiarum usum magni facere debent, et omnibus, ut eas frequenter lucrentur, adlaborandum est.

ARTICULUS II.

DE CONDITIONIBUS AD LUCRANDAS INDULGENTIAS REQUISITIS.

Conditionum ad indulgentias lucrandas requisitarum aliæ ad concedentem, ad recipientem aliæ pertinent.

1825. — I. EX PARTE CONCEDENTIS *duæ requiruntur conditiones, auctoritas scilicet et justa causa.*

A. — *Requiritur auctoritas.* — Dispensare thesaurum Ecclesiæ ad homines a pœnis debitis liberandos, jurisdictionis est actus, uti pluries jam notatum est; et quia thesaurus ille est bonum commune Ecclesiæ, soli, qui jure divino Ecclesiæ præsunt, illum aliis distribuere possunt.

Proinde, *a)* Summus Pontifex, qui vice ipsius Christi toti præest Ecclesiæ, et potestatis jurisdictionis plenitudinem possidet, auctoritate pollet concedendi indulgentias omnibus et singulis fidelibus per universam Ecclesiam, sive per se immediate, sive per delegatos.

b) Episcopi, qui a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei, cum ordinariam jurisdictionem in sua diœcesi possideant, potestatem etiam habent subditis suis concedendi indulgentias; quas tamen ad defunctos extendere non possunt. Hæc autem potestas in episcopis a S. Pontifice ita est restricta, ut non possint nisi unum annum in die consecrationis Ecclesiæ, quadraginta tantum dies in anniversario dedicationis aut in aliis quibusdam circumstantiis, concedere.

c) Præter S. Pontificem et episcopos, alii quidam, sive ex jure sive concessione S. Pontificis, potestatem habent quasdam concedendi indulgentias. *De quibus, cf. Theol. moralem.*

B. — *Requiritur justa causa.* — Docet *Clemens VI*, in Extravag. *Unigenitus*, S. Pontificem thesaurum Ecclesiæ dispensare posse ex *piis rationabilibusque causis;* et Concilium Later. IV, can. 62, indulgentias sine legitima causa concessas vocat *indiscretas et superfluas.*

Ratio est: a) quia S. Pontifex non est thesauri dominus, sed dispensator. Dispensatorem vero fidelem et prudentem

esse oportet; ac proinde requiritur, ut non absque legitima causa thesaurum dispenset; alioquin non dispensator foret, sed dissipator.

b) S. Pontifex in iis, quæ ad jus divinum aliquo modo pertinent, absque legitima causa valide dispensare nequit. Atqui expiatio pœnæ pro peccatis debitæ est de jure divino. Ergo S. Pontifex hanc pœnam per indulgentias absque legitima causa relaxare nequit.

Cum autem judicium de sufficientia causæ ad solum Superiorem spectet, quoticscumque S. Pontifex indulgentiam concedit, sufficientem adfuisse causam semper præsumendum est.

1826. — II. Ex parte recipientis, *ut aliquis pro seipso indulgentias lucrari valeat*, requiritur [1]:

a) Ut sit baptizatus: Prælatus enim solis subditis thesaurum Ecclesiæ applicare potest; sed ante susceptum Baptismum nullus subjicitur S. Pontifici; ac proinde ante Baptismum nullus ab eo directe a sua pœna per indulgentias absolvi potest.

Possunt tamen quandoque etiam non baptizati, indirecte et per modum solutionis, non autem absolutionis, indulgentiarum participes fieri; si nimirum per caritatem Christo uniantur, et fiant de anima Ecclesiæ. Pro his, ut a pœnis liberentur, Ecclesia ex suo thesauro satisfactiones Deo offerre potest, eo modo quo pro defunctis.

b) Ut sit concedentis subditus. Concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis, qui solos subditos afficit. — Indulgentias tamen locales extranei etiam lucrari possunt.

c) Ut sit in statu gratiæ; iis enim qui sunt in mortali, nulla pœna remittitur. *(Cf. n. 1790, A.).* Atvero, necesse non est omnia præscripta opera peragi in statu gratiæ; sat est, ut, qui indulgentias lucrari peroptat, sit in statu gratiæ quando ultimum opus præscriptum implet; quia tunc solum indulgentiæ fructus applicatur.

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, VI, n. 533; Marc, *Instit.*, n. 1729; Isamb., Disp. V.

d) Ut non sit ligatus excommunicatione majori, quippe quæ communione bonorum spiritualium omnino privat.

e) Ut habeat debitam intentionem; et opera injuncta *loco, tempore,* et *modo præscripto* integre perficiat.

f) Demum, ut quis indulgentiam plenariam lucretur, necesse est, ut ultimum opus ponendo, ab omni culpa etiam veniali, sit liber: veniale enim quoad culpam non remissum neque quoad pœnam remitti potest.

1827. — III. Ut indulgentia defunctis prosit, requiritur:

a) Ut sit a S. Pontifice concessa tanquam defunctis applicabilis, « quia indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus qui dat indulgentiam. » *(S. Th., Suppl., q. 27, a. 3, ad 2).*

b) Ut ille, qui indulgentiam lucratur, intentionem habeat saltem interpretativam eam defunctis applicandi. Nam Superior dat tantum posse applicare, non autem defunctis de facto applicat; quocirca applicatio indulgentiæ alicui defuncto determinate, vel defunctis in communi, arbitrio relinquitur lucrantis indulgentiam.

Debet autem hæc intentio fieri antequam ultimum opus ponatur, eo enim semel posito, indulgentia effectum producit; ac proinde, si intentio non præcessit, lucranti prodest, et ad defunctos amplius transferri nequit.

c) Utrum autem in eo, qui indulgentias pro defunctis lucratur, requiratur status gratiæ, disputatur.

Prima sententia probabilis negat. — Ratio est, quia status gratiæ est conditio requisita in eo, qui indulgentiæ effectum accipit; sed quando quis eam defunctis applicat, non recipit ipse effectum, sed conditionem tantum, seu opus præscriptum ponit, quo posito, ipse Pontifex indulgentiam defunctis applicat. Ac proinde nihil prohibet quominus existens in mortali indulgentiam pro defunctis lucrari valeat.

Secunda sententia probabilior affirmat. — Ratio est, quia nemo alteri indulgentiam applicare potest, nisi prius fecerit suam. Lucrari enim indulgentiam pro defunctis, est illis ad pœnæ remissionem jus cedere, quod quis ad propriæ pœnæ relaxationem per indulgentiam acceperat. Ut igitur aliquis

alteri proprium jus cedere possit, necesse est ut ipse prius verum jus ad remissionem pœnæ acceperit. Porro, in mortali existens, nullum jus per indulgentias ad propriæ pœnæ relaxationem accipere, nec illud proinde in defunctos transferre potest.

EXPLICIT TRACTATUS DE PŒNITENTIA.

TRACTATUS DECIMUS TERTIUS.

DE EXTREMA UNCTIONE.[1]

Conspectus generalis.

CAP. I. De Existentia Sacramenti Extremæ Unctionis.

CAP. II. De Natura Extremæ Unctionis.

CAP. III. De Effectibus Extremæ Unctionis.

CAP. IV. De Ministro et Subjecto. — A. 1. De Ministro. A. 2. De Subjecto.

[1] **Auctores consulendi:** *S. Thomas*, Suppl., q. 29 et seq. — *S. Alphons.*, Mor., L. VI, n. 706 et seq.; Cont. hær., sess. XIV, art. 3. — *Bellarmin.*, De Extr. Unct. — *Isambert.* — *De Augustinis.* — *Marc*, Instit., De Extr. Unct. — *Sainte-Beuve*, De Extr. Unct. (*Migne*, Cursus theol., Tom. 24.) — Catech. Rom., P. II, c. 6.

INTRODUCTIO.

1828. — In quatuor illis, quibus hactenus studuimus sacramentis, hominem vidimus omni instructum salutari remedio, ut totum vitæ suæ cursum sancte ac meritorie transigere possit. Sed, cum ille tantum coronetur, qui in finem usque perseveraverit, oportet, in extremo agone constitutum, salutari etiam muniri præsidio, ne victus ab hoste maligno, excidat, atque coronam decurrente vita promeritam moriturus amittat. Firmissimum illud præsidium est sacramentum Extremæ Uctionis, quod est « quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad participandam gloriam præparatur. » *(S. Th., Cont. Gent., IV, 73).*

Quæ de sacramento Extremæ Unctionis dicenda occurrunt, quatuor absolventur capitibus. In I. agetur de existentia hujus sacramenti; in II. de ejus natura; in III. de ejus effectibus; in IV. de ministro et subjecto.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

1829. — Definitio. — Extrema Unctio definitur: *Sacramentum a Christo institutum et a B. Jacobo promulgatum, ad salutem animæ vel etiam corporis conferendam infirmis de vita periclitantibus, per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis.* (S. Alph., Hom. Ap. XVII, n. 1).

Qua in definitione indicantur hujus sacramenti: *a)* auctor immediatus: *a Christo institutum; b)* effectus: *ad salutem animæ vel etiam corporis; c)* subjectum: *infirmis de vita periclitantibus; d)* materia remota: *olei benedicti; e)* materia proxima et forma: *per unctionem et orationem; f)* demum persona ministri: *sacerdotis.*

1830. — Tempus institutionis. — De tempore, quo Extrema Unctio fuerit instituta, disputatur. Plures, ea quæ leguntur (Marc. VI, 13): *Et ungebant* (Apostoli) *oleo multos*

ægros, et sanabant, de sacramento Extremæ Unctionis intelligentes, docent. Christum ante suam mortem hoc sacramentum instituisse, atque Apostolos, vivente adhuc Christo, illud dispensasse.

Communior tamen et probabilior sententia docet, Extremam Unctionem post Christi resurrectionem fuisse institutam. Ratio est: quia minister Extremæ Unctionis est solus sacerdos. Porro, ut constat ex Trid., Sess. XXII, cap. 1 et can. 2, Apostoli in sacerdotes ordinati sunt in ultima cœna; ac proinde non potuerunt ante Christi mortem hoc sacramentum conferre; nisi dicere velimus Christum erga Apostolos circa ministrum dispensasse, ad quod tamen affirmandum nullum suppetit argumentum.

Ordinabatur autem unctio, de qua sermo est apud Marcum, ad sanitatem corporalem conferendam, et ad eam exercendam potestatem curandi infirmos, quam Apostoli a Christo acceperant. *(Cf. Matth. X, 1 et 8)*. Erat tamen hæc unctio adumbratio quædam et imago illius, quæ ad dignitatem sacramenti postea evecta est; quocirca, ut ait Trident., Sess. XIV, Extrema Unctio apud Marcum *insinuata est.*

1831. — Errores. — *Albigenses* existentiam Extremæ Unctionis negarunt, et sacramentum illud prorsus rejecerunt. — *Waldenses, Wicleffitæ* et *Hussitæ* Extremam Unctionem plus minusve contempserunt; non tamen constat an illud sacramentum omnino rejecerint. — *Lutherus* eam dixit ritum ritui sacramentali similem; dignitatem tamen sacramenti ei omnino denegavit. — *Calvinus* eam vocat *fictitium, sacramentum* et *histrionicam hypocrisim (Instit., l. IV, c. 19 § 18)*, eamque prorsus rejicit. — Hodierni protestantes, exceptis Ritualistis, Extremam Unctionem unanimiter rejiciunt, verbaque S. Jacobi, V, 14, 15, de dono corporales sanandi morbos interpretanda esse contendunt.

1832. — Prop. *Extrema Unctio est verum et proprie dictum Novæ Legis sacramentum.*

De fide, ex Trid., XIV, can. 1: « Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus aut figmentum humanum; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Jacob. V, 14, 15): *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.*

In quæ verba sic argumentari licet: Ille ritus sacer verum est atque proprie dictum Novæ Legis sacramentum, qui est a Christo Domino institutus per modum signi sensibilis ad producendam gratiam. Atqui hujusmodi ritus est Extrema Unctio. Enimvero: *a)* Est signum sensibile: *unctio scilicet olei cum oratione sacerdotis.* *b)* Adest promissio gratiæ: *si in peccatis sit, remittentur ei*, quæ peccati remissio non fit sine infusione gratiæ. — *c)* Adest institutio Christi: innuitur verbis *in nomine Domini*, quibus significatur presbyteros tanquam *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* hanc unctionem infirmis conferre; manifestatur etiam hæc Christi institutio ex gratiæ promissione, cum solius Dei sit alicui signo sensibili gratiam adnectere.

II. **Ex Traditione.** *Origenes, (In Levit., Hom. 2, n. 4)*, agens de Pœnitentia simul atque de Extrema Unctione, ait: « Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per Pœnitentiam remissio peccatorum... In quo impletur et illud, quod Jacobus Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, etc. »

S. Joan. Chrysost.: « Neque enim tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam infirmatur, inquit, quis in vobis? advocet presbyteros Ecclesiæ, etc. » *(De Sacerd., l. III, n. 6).* Quo in loco Extremam Unctionem cum Baptismo comparat. *Cf. etiam Innocentium I, in Epist. ad Decentium.*

III. **Ex Conciliis.** Concil. *Cabilonense II* (an. 813) decrevit, can. 48: « Secundum B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent... Non est itaque parvi perpendenda hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus. »

Concil. *Aquisgranense* (an. 836) statuit, can. 5: « Si quis autem infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali, nec non unctione sacrificati olei, per presbyteri negligentiam careat. »

NB. Quoad argumentum præscriptionis cf. dicta in tractatu de Sacramentis, *n. 1434.*

IV. **Ex Ratione congruentiæ.** Christus Dominus sacramenta instituit, quibus homini in cunctis vitæ spiritualis necessitatibus subveniretur. Atqui, nulla major est necessitas quam quæ in supremo conflictu cuilibet obvenit. Tunc enim inter corporis debilitatem animæque afflictiones magnæ persæpe exoriuntur tentationes, multumque excrescunt suggestiones diabolicæ. Conveniens igitur fuit, Christum fideles suos firmissimo etiam munivisse præsidio, quo et dæmoni in tremendo mortis articulo fortiter resistant, et inter corporis animæque angustias levamen et solatium inveniant.

—

CAPUT II.

DE NATURA EXTREMÆ UNCTIONIS.

Extrema Unctio, sicut alia sacramenta, rebus constat et verbis, materia videlicet et forma.

1833. — Prop. I. *Materia remota Extremæ Unctionis est oleum olivarum.*

De fide, ex Florent., *decr. pro Arm.*, in quo dicitur: « Extrema Unctio, cujus materia est oleum olivæ. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Ait B. Jacobus, (loc. cit.): *Ungentes eum oleo.* Porro, oleum simpliciter dictum, illud semper significat, quod ex olivis expressum est.

II. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia, sicuti constat ex Patrum et Conciliorum testimoniis, necnon ex Ritualibus romanis et Euchologiis græcis, nunquam alio oleo quam olivarum, in administratione hujus sacramenti usa est.

III. **Ex Ratione convenientiæ.** Ait *Catech. Rom., P. II, c. 6, n. 5:* « Ejus elementum sive materia.... est oleum ab episcopo consecratum; liquor scilicet non ex quavis pingui et crassa materia, sed ex olearum baccis tantummodo expressus. Aptissime autem hæc materia illud significat, quod vi sacramenti interius in anima efficitur; nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit: ita sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini tanquam pabulum præbet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quæ omnia, quid in ægroto divina virtute per hujus sacramenti administrationem efficiatur, declarant. » — *(Cf. S. Th., Suppl., q. 29, a. 4).*

1834. — Quæritur. *Utrum olei benedictio necessaria sit ad sacramenti validitatem.*

Resp. *Affirmative.* In Florentino enim dicitur quod « materia est oleum olivæ per episcopum benedictum. » — Et in Trid., XIV, cap. 1, legimus: « Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum. »

Præterea, in decreto S. Officii, die 13 Jan. 1611, *Paulus V temerariam* et *errori proximam* declaravit propositionem: « Quod nempe sacramentum Extremæ Unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit. »

Et *Gregorius XVI,* in decreto S. Officii, die 14 Septemb. 1842, ad dubium: « An in casu necessitatis parochus, ad validitatem sacramenti Extremæ Unctionis, uti possit oleo a se benedicto »; respondit: *negative ad formam decreti feriæ 5 coram SS. diei 13 Jan. 1611.*

Hæc olei benedictio de se fieri debet ab episcopo; potest tamen ex delegatione S. Pontificis fieri a simplici sacerdote, sicuti constat ex Constit. 34, Clementis VIII, de aliquibus Græcorum ritibus. Ait S. Pontifex: « Non sunt cogendi presbyteri Græci olea sancta, præter chrisma, ab episcopis Latinis diœcesanis accipere, cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur. » — Quam constitutionem Benedictus XIV in Bulla *Etsi Pastoralis,* ab Italo-Græcis servandam esse declaravit.

1835. — Prop. II. *Materia proxima Extremæ Unctionis est unctio infirmi.* — Certa.

Prob. B. Jacobus agens de Extrema Unctione, explicite dicit: *ungentes cum oleo.* — Et Trident., cap. 1, ait: « Intel-

lexit Ecclesia, materiam esse oleum.... nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat. » Sed dicendo: *nam unctio*, aperte indicat, unctionem esse signum sensibile invisibilis gratiæ, ac proinde etiam materiam sacramenti: in sacramentis enim signum efficit quod significat.

Demum constat propositio ex ipso nomine hujus sacramenti: semper enim vocatum est *unctio*, sicuti ex testimoniis supra citatis *(n. 1832)* manifestum est.

1836. — **Quæritur.** *Quotnam requirantur unctiones ad Extremam Unctionem conferendam.*

Resp. 1. Ex præcepto ecclesiastico septem requiruntur unctiones, quas enumerat Florentinum, in *Decr. pro Arm.:* Infirmus « in his locis ungendus est, *inquit:* in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. » — Attamen, unctio renum, honestatis causa, ut monet Rituale romanum, « omittitur semper in feminis, et etiam in viris, qui ob infirmitatem vix aut sine periculo moveri non possunt. » *(Cf. S. Th., Suppl., q. 32, a. 6).*

2. Si vero agitur de numero unctionum, quæ ad validitatem sacramenti requiruntur, digladiantur auctores. Omnes quidem affirmant, unctionem pedum non esse necessariam ad validitatem sacramenti; an autem unctiones quinque sensuum sint necessariæ ad validitatem sacramenti, controvertitur.

Prima sententia, quam S. Alphonsus vocat *merito probabilem*, docet unam tantum requiri unctionem ad validitatem sacramenti: « Ratio, quia ex D. Jacobo simplex unctio præcipitur, *ungentes eum oleo.* Item in Tridentino *(cap. 1)*, de una tantum unctione fit mentio, *hæc sacra unctio*, etc.; unde infertur sufficere quod homo in una parte tantum ungatur, ut dicatur unctus. » *(S. Alph., Mor., VI, n. 710).*

Secunda sententia, quam S. Alphonsus vocat *communiorem et tutiorem*, docet cum S. Th., *(Suppl., q. 82, a. 6)*, S. Bonaventura, Bellarm., Valentia, etc., unctionem quinque sensuum esse de necessitate sacramenti. « Ratio, quia licet ex

verbis D. Jacobi et Trident. non fiat mentio plurium unctionum, tamen sic colligitur ex usu Ecclesiæ et communi Doctorum sententia. » *(S. Alph., loc. cit.).*

Cum igitur prima sententia sit probabilis, in casu necessitatis, v. gr., si timeatur ne infirmus decedat antequam quinque unctiones potuerint adhiberi, potest Extrema Unctio conferri sub conditione cum unica unctione in aliquo sensu, et consultius in capite in quo omnes sensus vigent, sub hac contracta forma: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid per sensus deliquisti.* « Sed si infirmus supervivit, repetendæ sunt unctiones in singulis sensibus, additis orationibus omissis, ut præscribit Rituale. » *(S. Alph., Hom. Ap., XVII, n. 4).*

1837. — Prop. III. *Forma Extremæ Unctionis est: Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, (auditum, etc.), deliquisti. Amen.*

Constat propositio ex Florentino, in quo hæc forma explicite traditur, et ex diversis Ritualibus; ac proinde in ea probanda non est immorandum.

NB. In prædicta forma, sola verba: *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid per.... deliquisti*, sunt de essentia formæ, quia totus effectus per ea significatur. — Verbulum *sanctam* non esse de essentia, omnes concedunt; in Florentino enim et Tridentino hæc vox formæ non inseritur. Probabilius est etiam verba *per suam piissimam misericordiam*, non esse de essentia; quia qui deprecatur Deum, ut indulgeat, jam sufficienter manifestat, se piissimam ejus misericordiam implorare.

1838. — Quæritur. *Utrum ad validitatem sacramenti necessaria sit forma deprecatoria* [1].

Resp. Ratio dubitandi est, quia antiquitus in diversis Ecclesiis particularibus, formæ, quæ videntur esse indicativæ, adhibebantur ad conferendam Extremam Unctionem. Sic, v. gr., Ecclesia Mediolanensis,

[1] Cf. De Augustin., *De Ext. Unct.*, a. 3.

tempore S. Ambrosii, ista forma utebatur: *Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris.... ut more militis, præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.*

Hisce priscis ritualibus innixi, docent nonnulli, formam indicativam esse validam. Communis tamen et verior sententia, *ait S. Alph., (Mor., VI, 711)*, docet formam indicativam non valere, sed necessario requiri formam deprecatoriam. Ratio est, quia forma deprecatoria manifeste colligitur ex verbis Jacobi: *orent super eum,.... et oratio fidei salvabit infirmum.* — Præterea, Florentinum et Tridentinum deprecatoriam formam præscripserunt: et ex antiquis documentis constat, nullam præter deprecatoriam in usu fuisse in Ecclesia tam Romana quam Græca.

Antiquiores autem illæ formæ, quæ videntur indicativæ, vel non erant ipsæ formæ, sed ad formam dispositiones, ut docent *S. Thomas, (Suppl., q. 29, a. 8, ad 3)*, et *Albertus M., (4. Sent., D. 23, a. 4)*; vel si erant formæ, licet materialiter sint indicativæ, formaliter tamen erant deprecatoriæ. Quod signanter patet de forma Ecclesiæ Mediolanensis, nam verba *ut possis*, sicut notant S. Alph., *(loc. cit.)*, et Benedict. XIV, *(De Synodo, l. 7, cap. 17)*, cum sint optativa, referri possunt ad proferentis votum et orationem, perinde ac si diceret: *Ungo te orans Deum, ut possis*, etc.

—

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS.

1839. — Effectus Extremæ Unctionis enumerat Trid., Sess. XIV, c. 2: « Res porro et effectus hujus sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti: cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. »

Igitur, præter gratiam sanctificantem, quam sicut cætera sacramenta, producit, Extrema Unctio sequentes habet effectus proprios.

1840. — **Effectus primarius** et primo per se intentus Extremæ Unctionis est *corroboratio* et *sublevatio* infirmi; seu, quod in idem reincidit, « est habitualis gratia prout ex pacto Dei fundat jus in infirmo, qui ungitur, ad recipiendum specialia auxilia gratiæ, ut juvetur et confortetur ejus animus in spe et fiducia divinæ misericordiæ; similiter ut juvetur ad perferendas ærumnas morbi, et corroboretur ad fortiter sustinendos insultus diaboli qui tunc maxime impugnat infirmum. » *(Isamb., De Ext. Unct., Disp. IV, a. 3).*

Hunc effectum esse primarium, ex eo præsertim manifestum est quod, teste Trid., *(in præambulo ad Ext. Unct.)*, istud sacramentum a clementissimo Redemptore institutum est, ut christianis jamjam morituris sit *firmissimum præsidium*, quo muniantur adversus impugnationes dæmonis, qui in ultimo vitæ momento *omnes suæ versutiæ nervos intendit ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos.* (Trid.).

1841. — **Effectus secundarii** tres præcipui enumerantur. Extrema Unctio:

1. *Delet reliquias peccatorum.* « Peccati reliquias abstergit, » *ait Trid.* — Jamvero per reliquias peccatorum intelligimus mentis obscuritatem, cordis duritiam atque rerum sensibilium amorem, diffidentias atque anxietates, fastidium atque tristitiam, et alia id genus ex peccatis oriunda, ratione quorum tædium atque torpor circa bonum in anima peccatoris enascuntur. Hujusmodi peccatorum reliquiæ per Extremam Unctionem dicuntur auferri, quatenus scilicet per gratiam in illa sancta unctione collatam, mens hominis superno lumine illustratur, ejusque voluntas promptior atque alacrior redditur ad caduca respuendum, ad ferventius in Deum tendendum, ad actus virtutum, præsertim fidei, spei, et caritatis, diligentius et ferventius exercendum.

2. *Delet ipsa peccata, et partem pœnæ peccatis debitæ remittit.* — Quem effectum signate indicat B. Jacobus: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* — Et Trid. ait: « Cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, abstergit. »

« Commune est inter Doctores, *ait S. Alph., (Mor., VI, 731)*, per hoc sacramentum remitti peccata tam venialia quam mortalia, si hæc infirmus invincibiliter ignoret, habeatque attritionem, qua auferatur obex peccati. Ita S. Th. qui ait, (Suppl., q. 30, a. 1): *Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale vel veniale, quoad culpam tollit ipsum.* »

« Extrema Unctio, *addit S. Alph.*, a temporalibus pœnis, quas nondum pro peccatis commissis solvimus, nos liberat. » *(Instit. Catech., P. II, c. 6, n. 3).*

Quocirca, licet Extrema Unctio sit sacramentum vivorum et ad gratiam secundam *per se* et *primario* producendam instituta sit; attamen, si quis existens in mortali, bona vero fide existimans se esse in gratia, cum generali attritione de suis peccatis hoc sacramentum recipit, ille ex opere operato peccatorum remissionem consequitur.

Disputatur tamen, utrum hoc in casu Extrema Unctio mortalia *per se*, vel solum per accidens remittat.

« Probabilior et communior sententia, *ait S. Alph.*, dicit Extremam Unctionem remittere mortalia *per se*, *etsi consequenter*. Ratio est, quia licet hoc sacramentum sit vivorum, tamen ex institutione divina peccata remittit, ut patet ex verbis Apostoli, ut supra, et confirmatur ex Trid. (XIV, can. 2), ubi: *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem nec conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos...; A. S...* In hoc autem differunt Baptismus et Pœnitentia ab Extrema Unctione, quia illa principaliter instituta sunt ad delendum peccatum actuale vel originale: Extrema vero Unctio *(ut docet S. Th.)* principaliter est instituta ad tollendas reliquias peccatorum, nempe debilitatem et ineptitudinem quæ ex peccato actuali relinquuntur; sed quia, cum in anima reperitur peccatum, non possunt tolli reliquiæ, nisi prius tollatur peccatum, ideo ex consequenti hoc sacramentum peccatum aufert. » *(Mor., VI, 731).*

3. *Confert salutem corporis, si saluti animæ expediat.* — Ait Trid.: « Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur (infirmus). » — Quem effectum indicat B. Jacobus: *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus.* Quæ verba, sicut innuunt Trid. et Florentinum, ad salutem tum animæ, tum corporis referri debent.

Hunc effectum Extrema Unctio operatur *non infallibiliter*, sed in quantum saluti animæ expedit; principalis enim ratio institutionis hujus sacramenti est bonum spirituale animæ. Si vero perfecta corporis sanatio, aut morbi remissio ad salutem animæ sit necessaria, eas Extrema Unctio infallibiliter operatur, dummodo ex parte suscipientis non adsit impedimentum. *(Cf. S. Th., Suppl., q. 30, a. 2).*

Sanitatem corporis Extrema Unctio confert, nec per modum miraculi, ne fides evacuetur; nec virtute naturali materiæ in sacramento adhibitæ; sed virtute quadam supernaturali, quæ causas naturales adjuvat. Ac proinde expedit, ut notat *S. Alph.*, « Extremam Unctionem, quo citius fieri potest, suscipere; scilicet quando ægrotatio a medicis gravis et mortis periculosa declaratur; quin exspectetur quod infirmus vivere desperetur. Tunc enim quasi impossibile est (naturaliter loquendo) ut infirmus reconvalescat; quia Deus miraculum facere deberet: sed quando infirmus potest adhuc naturaliter consanescere, virtus sacramenti corporis ei obtinebit sanitatem, quotiescumque ea saluti animæ sit profutura. » *(Instit. Catech., c. 6, n. 1).*

1842. — Quæritur I. *Quandonam Extrema Unctio suum producat effectum.*

Resp. Effectus sacramenti confertur statim ac sacramentum substantialiter integrum positum est. Proinde, si ad essentiam hujus sacramenti una sufficiat unctio, finita prima unctione cum debita forma, effectus statim producitur. Si vero ad essentiam sacramenti unctiones quinque sensuum requirantur, (juxta superius dicta, *n. 1836*), effectus etiam tunc solum producitur, quando ultima unctio cum forma correspondente absolvitur. Etenim, « quando sunt multæ actiones ordinatæ ad unum effectum, *inquit S. Th.*, ultima est formalis respectu omnium præcedentium, et agit in virtute earum: et ideo in ultima unctione gratia infunditur, quæ effectum sacramento præbet. » *(Suppl., q. 30, a. 1, ad 3).*

1843. — Quæritur II. *An Extrema Unctio possit dari valida et informis, ita ut, recedente obice, gratia conferatur.*

Resp. *Affirmative.* Ratio est, quia sacramenta vel absolute, vel pro certo tempore aut statu iterabilia, si absque substantiali defectu et cum sola ex parte suscipientis indispositione recipiantur, remoto obice, reviviscunt, ne subjectum sacramenti fructu omnino privetur. Jamvero, Extrema Unctio, durante eodem mortis periculo, est iterabilis. « Hinc, *ait S. Alph.*, inferunt Salmanticenses cum aliis, quod si infirmus bona fide vel sensibus destitutus sacramentum suscepit in mortali, sufficit quod postea attritionem habeat, ad gratiam recipiendam; secus si in mala fide. Id autem currit si obex tollatur, perseverante eodem morbo et periculo, saltem quoad effectum specialium auxiliorum. » *(Mor., VI, n. 707).* — Si vero infirmus mala fide illud sacramentum validum et informe susceperit, ut reviviscat, requiritur contritio perfecta, aut Pœnitentiæ susceptio.

CAPUT IV.

DE MINISTRO ET SUBJECTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

ARTICULUS I.

DE MINISTRO.

1844. — Prop. *Solus sacerdos est minister Extremæ Unctionis.*

De fide, ex Trid., XIV, can. 4: « Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Ait B. Jacobus: *Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.... et si in peccatis sit, remittentur ei.* Jamvero, ut ait Trid., cap. 3: « Ostenditur illic proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros; quo nomine, eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii. »

Enimvero: *a)* licet vox *presbyter*, vi etymologiæ, significet seniores vel primores populi, attamen in libris sacris Novi Testamenti *presbyteri* illi vocantur, qui per manuum impositionem sacerdotes ordinati, atque ad munia ecclesiastica peragenda deputati sunt, ut constat *Act. XIV, 22; Tim. V, 17; Tit. I, 5*, etc.

b) B. Jacobus non dixit solum: *Inducat presbyteros*, sed addidit *Ecclesiæ;* per quod additamentum manifeste designat eos, qui in Ecclesia ad sacrum ministerium deputabantur; hi autem soli erant sacerdotes.

c) Jubentur presbyteri ut orent super infirmum, eumque *in nomine Domini* ungant; cui ministerio promittitur remissio peccatorum. Sed potestas remittendi peccata solis sacerdotibus concessa est. Soli igitur sacerdotes istud sacramentum conferre possunt.

II. **Ex Traditione et praxi Ecclesiæ.** S. Patres, agendo de ministro Extremæ Unctionis, et Ritualia, indicando ministrum, non alium designant, quam solum sacerdotem.

Præterea, nullum ex historia exemplum habemus administrationis hujus sacramenti ab alio quam a sacerdote factæ.

III. **Ex Ratione convenientiæ.** Sacramentum Extremæ Unctionis, ut ait Trid., est *consummativum* Pœnitentiæ, quia ordinatur ad peccatorum reliquias abstergendas. Cum igitur soli sacerdotes sint ministri sacramenti Pœnitentiæ, conveniens est etiam, ipsos solos esse Extremæ Unctionis ministros.

1845. — **Scholia:** *de ministro.*

I. Ad validam Extremæ Unctionis administrationem sufficit potestas ordinis; ac proinde quilibet sacerdos hoc sacramentum valide conferre potest. Sed ad licitam ejus administrationem requiritur potestas jurisdictionis.

II. Extrema Unctio valide conferri potest sive ab uno ministro, sive a pluribus, dummodo unusquisque aliquem sensum ungat et formam proferat.

In Ecclesia Græca ad hujus sacramenti administrationem septem adhibentur sacerdotes, si præsto esse possunt, aut saltem tres. — In Ecclesia etiam Latina, sicut constat ex antiquis documentis, plures olim adhibebantur sacerdotes; nunc autem ex præscripto Ecclesiæ unus et idem minister omnes unctiones conferre debet. *(Cf. S. Alph., Cont. hær., Sess. XIV, art. 3, n. 21 et seq.).*

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

1846. — **Prop.** *Subjectum Extremæ Unctionis est solus baptizatus, qui usum rationis adeptus est, et ex morbo de vita periclitatur.* — Certa.

NB. Duo affirmantur in prop., videlicet: *a)* solum hominem, qui usum rationis adeptus est, esse hujus sacramenti subjectum; proinde ante usum rationis valide conferri nequit Extrema Unctio; — *b)* solum infirmum graviter decumbentem esse subjectum.

Prob. I. Pars: *Solum hominem usum rationis habentem, esse subjectum.*

I. **Ex Forma Extremæ Unctionis.** Forma est: *Indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti*, etc. Porro, ante usum rationis nullum delictum per sensus patratum est. Ergo si hoc sacramentum pueris ante usum rationis confertur, forma verificari nequit: ac proinde nullum est sacramentum.

II. **Ex Effectibus.** Homo, qui non est capax suscipiendi principales sacramenti effectus, est etiam ipsius sacramenti incapax. Atqui, pueri ante usum rationis non sunt capaces recipiendi principales Extremæ Unctionis effectus; sicut patet ex effectuum enumeratione; sunt enim: confortare animam in mortis agone ad resistendum diaboli tentationibus; tollere reliquias peccati; exstinguere debitum pœnarum, quæ luendæ adhuc remanent. Ergo.

III. **Ex Rituali,** in quo statuitur: « Extrema Unctio non ministretur... pueris rationis usum non habentibus. »

Prob. II. Pars: *Solum hominem graviter ægrotantem esse subjectum.*

I. **Ex Script. S.** Ait B. Jacobus: Infirmatur *quis in vobis.* Quæ vox *infirmatur*, prout ex textu græco habetur, non quamcumque infirmitatem, sed graviorem ægritudinem denotat.

II. **Ex Traditione.** Ex libris liturgicis et Patrum testimoniis constat, nonnisi graviori morbo decumbentes esse inungendos. Quocirca, istud sacramentum vocari consuevit *Extrema Unctio, Unctio infirmorum, sacramentum exeuntium.*

Præterea, ait *Florentinum:* « Hoc sacramentum, nisi infirmo de cujus morte timetur, dari non debet. » — Et *Trid., cap. 3:* « Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constitui videantur. »

III. **Ex Fine hujus sacramenti.** Extrema Unctio fuit instituta, sicut ait *Trid.*, ut Redemptor hoc sacramento *finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio,* muniret; ergo illis solis conferri potest, qui ita graviter decumbunt, ut adsit periculum mortis. — « Hoc sacramentum, *inquit S. Th.*, est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod

ægritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur.» *(Suppl., q. 32, a. 2).*

Corollarium. *Ex dictis deduces:* Invalidam esse Extremam Unctionem, si conferatur sanis; et probabilius etiam si conferatur infirmis, qui leviori tantum infirmitate laborant, et secundum humanam æstimationem in periculo mortis non versantur. *(S. Alph., Mor., VI, n. 713).*

1847. — Scholium I. *De necessitate suscipiendi Extremam Unctionem.* Inter omnes convenit, Extremam Unctionem non esse necessariam ad salutem necessitate medii.

An autem ejus susceptio sit necessaria vel ex præcepto, vel ex caritate erga seipsum, disputatur: alii affirmant; negant alii. «Sententia communis et satis probabilis, *ait S. Alph.*, negat... Ratio, quia talis obligatio non habetur neque ex vi institutionis hujus sacramenti, cum non sit necessarium ad salutem, sed tantum utile et ad melius esse; neque ex præcepto divino, cum communiter theologi verba Apostoli non interpretentur de præcepto, sed de consilio. Unde, cum hoc sacramentum sit tantum ad majorem utilitatem institutum, non videtur caritas erga seipsum ad illud obligare sub gravi: caritas enim non obligat sub gravi præcepto ad id quod melius est. Hoc tamen non obstante, prima sententia (affirmans) etiam probabilis et omnino suadenda mihi apparet, non tam ratione præcepti, quia de eo saltem non constat, quam ratione caritatis erga se ipsum; nam licet moribundus possit aliis præsidiis se roborare, tamen in tali statu constitutus, ex una parte cum magna difficultate ad bonos actus se valet excitare, cum ob mentis oppressionem vires propriæ tunc sunt debiliores, et ex altera vehementiores sunt dæmonis insidiæ; unde ingenti periculo se exponere videtur tentationibus succumbendi, qui negligit se munire hoc sacramento a Christo Domino instituto tanquam firmissimo præsidio in tanto conflictu.» *(Mor., VI, n. 733).*

1848. — Scholium II. *De dispositionibus ad Extremam Unctionem recipiendam requisitis.* Cum Extrema Unctio sit sacramentum vivorum, ad illam fructuose recipiendam, per se requiritur status gratiæ. Quocirca, infirmus, qui peccati mortalis conscientiam habet, debet prius confiteri, si potest, aut saltem contritionem præmittere. Sat est autem ut habeat contritionem existimatam; quia ut supra notatum est *(n. 1843)*, si quis, habens solam attritionem, credat tamen se habere contritionem, et hoc sacramentum suscipiat, remissionem peccatorum consequitur.

EXPLICIT TRACTATUS DE EXTREMA UNCTIONE.

TRACTATUS DECIMUS QUARTUS.

DE ORDINE.[1]

Conspectus generalis.

CAP. I. Existentia Sacramenti Ordinis.	A. 1. De ipsa Existentia. A. 2. De Numero ordinum.
CAP. II. Natura.	A. 1. Subdiaconatus et ordinum minorum. A. 2. Presbyteratus, diaconatus, episcopatus.
CAP. III. Minister et subjectum.	A. 1. Minister. A. 2. Subjectum.
CAP. IV. Effectus.	A. 1. Effectus primarius. A. 2. Cœlibatus.

[1] **Auctores consulendi:** *S. Thomas,* Suppl., q. 34 et seq. — *S. Alphons.*, Cont. hær., sess. XXIII; Mor., VI, n. 734 et seq.; Hom. Ap., Tr. XVII, cap. 2; Exam. Ord., n. 90 et seq.; Selva, passim. — *Gasparri,* Tract. canon. de sacra ordinatione. — *Bellarm.* De Sacr. Ordinis. — *Isambert.*, De Sacr. Ord. — *Tournely,* De Sacr. Ord. — *Gonet,* Clyp., Tr. VII, De Sacr. Ordinis. — *Marc,* Instit., De Ordine; Catech. Rom., P. II, c. 7.

INTRODUCTIO.

1849. — Hactenus de illis locuti sumus sacramentis, quæ ad privatum fidelium bonum primo et per se sunt instituta; superest igitur, ut de iis tractemus etiam sacramentis, quæ publicum fidelium bonum primo et per se respiciunt; de sacramento videlicet Ordinis, quod ad fidelium spiritualem multiplicationem atque gubernationem refertur, et de sacramento Matrimonii, quod ad eorum carnalem propagationem ordinatur. Et primo quidem de Ordine.

1850. — Vi nominis, *Ordo in genere,* ut ait Catech. Rom., *(P. II, c. 7, n. 9),* est: *Dispositio superiorum et inferiorum rerum, quæ inter se ita aptæ sunt, ut una ad alteram referatur.* Quocirca, inter homines ordo dicitur: *Status personarum, quæ ordinate inter se dispositæ alicui officio destinatæ sunt;* ut, v. gr., ordo religiosus, ordo equestris.

Quum autem in statu clericali ex divina ordinatione multi sint gradus, et variæ functiones, sicut ait Catech. Rom., *(loc. cit.),* omnia vero certa ratione distributa sint et collocata, status clericalis antonomastice dicitur *Ordo.*

1851. — Ordo, ultimum in sensum acceptus, *passive* sumitur et *active. Passive* si intelligatur, statum denotat eorum, qui consecratione aliqua ad divinum ministerium in Ecclesia deputantur. De Ordine, hac significatione accepto, longe disputatum est in tractatu de Ecclesia, *(n. 175, et seq.),* ubi vidimus et adesse in Ecclesia essentiale discrimen clericos inter atque laicos, et hierarchiam Ordinis ex divina ordinatione constare ex episcopis, presbyteris, et ministris.

Active si sumatur, Ordo ipsum ritum denotat, per quem homines ad divinum deputantur ministerium, et in statum clericalem constituuntur. Qua significatione acceptus, Ordo rectius dicitur *Ordinatio,* et speciale constituit Novæ Legis sacramentum.

Quæ de sacramento Ordinis dicenda occurrunt, quatuor absolventur capitibus. In I. sermo erit de hujus sacramenti existentia; in II. de ejus natura; in III. de ministro et subjecto; in IV. de effectibus.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

Duo sunt in hoc capite investiganda, videlicet 1. ipsa existentia sacramenti Ordinis. Et cum per plures Ordinationes homines deputentur ad ea, quæ sunt cultus divini, quærendum est 2. de numero Ordinum.

ARTICULUS I.

DE IPSA EXISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

1852. — Definitio. — *Ordo*, seu *Ordinatio*, in genere definitur: *Ritus sacer, quo spiritualis potestas confertur ad ea quæ ad Eucharistiæ confectionem et dispensationem pertinent.* (S. Alph., Cont. hær., Sess. XXIII, n. 13).

Hæc definitio est omnino generica, et gradus etiam inferiores, (de quibus in art. sequenti), qui probabilius non sunt ex divina institutione, complectitur.

Proinde, Ordo, prout est ritus sacer ab ipso Christo institutus, pressius ex Trid., Sess. XXIII, cap. 1, definitur: *Sacramentum Novæ Legis, quo traditur potestas consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem Christi, necnon peccata remittendi, vel ex officio sacerdoti subserviendi.* (Marc, n. 1885).

1853. — Errores. — Protestantes, qui, prout dictum est *n. 178, 1,* omne essentiale discrimen clericos inter et laicos rejiciunt, Ecclesiamque *societatem æqualium* esse docent, sacramentum Ordinis, quo aliqui jure divino aliis præficiuntur, penitus rejiciunt.

1854. — Prop. *Ordo est verum et proprie dictum Novæ Legis sacramentum.*

Propositio, quatenus præscindit a quæstione, an videlicet omnes ordines sint sacramenta, est *de fide,* ex Trid., XXIII, can. 3: « Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem,

non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum...; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Ad rationem sacramenti tria requiruntur et sufficiunt; nimirum: signum sensibile, productio gratiæ, et institutio Christi. Atqui, hæc tria in Ordinatione reperiuntur. Ergo Ordinatio est verum et proprie dictum sacramentum.

Prob. min. per partes.

1. In Ordinatione adest SIGNUM SENSIBILE, manuum scilicet impositio, et oratio. Legimus, (Act. VI, 6): *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* — (I Tim. IV, 14): *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* — Et Apostolus, agens de Ordinatione sacerdotum, scribit ad Timoth., (I Ep. V, 22): *Manus cito nemini imposueris.*

2. Adest PRODUCTIO GRATIÆ. Legimus (II Tim. I, 6): *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* (Cf. etiam I Tim. IV, 14). Porro, verbulum *per impositionem manuum*, aperte manifestat gratiam conferri virtute illius signi sensibilis.

3. Adest INSTITUTIO CHRISTI. *De fide* est, ex Trid. XXII, can. 2, Christum Apostolos instituisse sacerdotes, dicendo (Luc. XXII, 19): *Hoc facite in meam commemorationem.*

Præterea, legimus (Act. XX, 28): *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* — (Act. XIII, 2, 3): *Ministrantibus illis Domino et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Quibus manifestum est, Ordinationem esse ex divina institutione.

Idem commonstrat ratio. *De fide* est, ex Trid., Sess. XXII, can. 4, *per sacram Ordinationem dari Spiritum Sanctum.* Porro, solius Dei est signo sensibili gratiæ infusionem adnectere. Ergo.

Talem autem institutionem esse permanentem, patet tum ex modo agendi Apostolorum, qui per diversos locos episcopos et presbyteros constituerunt. (Act. VI, 6; XIV, 22), aliisque facultatem dederunt alios ordinandi (I Tim. V, 22), tum ex fine ipsius Ecclesiæ, quæ absque sacerdotio non posset hominibus ad finem usque mundi Redemptionis opus applicare.

II. **Ex Traditione.** Concil. Chalcedonense, *act. 15, can. 2*, jubet deponi episcopos, qui « propter pecunias Ordinationem fecerint, et non venalem gratiam in venditionem deduxerint. » Quibus in verbis manifeste indicatur Ordinationem esse sacramentum, cum in ea detur gratia.

Ait *S. August.:* « Explicent, quomodo sacramentum baptizati non possit amitti, et sacramentum ordinati possit amitti... Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri sacramento injuria facienda est. » *(Cont. Parmen., l. II, cap. 13, n. 30).*

III. Huc etiam facit consensus Ecclesiæ Græcæ, vel schismaticæ, quæ Ordinationem tanquam sacramentum semper admisit. *(Cf. n. 1434).*

ARTICULUS II.

DE NUMERO ORDINUM.

1855. — Plures in Ecclesia existere ordines, *de fide* est, ex Trid., Sess. XXIII, can. 2: « Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; A. S. »

In Ecclesia Græca quatuor tantum existunt ordines, videlicet: Sacerdotium, Diaconatus, Hypodiaconatus et Lectoratus; quorum duo priores tanquam majores, duo vero posteriores tanquam minores ordines habentur. Nomine sacerdotii, tum episcopatus tum presbyteratus intelligitur.

In Ecclesia Latina septem dantur ordines, quos enumerat Trid., Sess. XXIII, cap. 1, nimirum: Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus et Ostia-

riatus; quorum tres priores *ordines majores, ordines sacri*, quatuor vero posteriores, *ordines minores* vocantur.

Jamvero, nomine sacerdotii intelligitur tum sacerdotium primi ordinis, *episcopatus* scilicet, qui potestatem sacerdotalem plene et perfecte possidet, cum facultate illam aliis transmittendi; tum sacerdotium secundi ordinis, *presbyteratus* videlicet, qui potestatem possidet tam in corpus Christi reale, quam in corpus mysticum ad absolvenda peccata, sed absque facultate eam aliis transmittendi.

Cum autem secundum communem recentiorum sententiam, episcopatus sit, non solum extensio aut complementum presbyteratus, sed specialis ordo ab ipso distinctus, idcirco plures recentiores, loco septenarii numeri ordinum, octo ponunt ordines, adnumerando nempe episcopatum tanquam ordinem octavum.

1856. — Definitio diversorum ordinum. — « Singuli autem ordines sic definiuntur, *ait S. Alph., (Mor., VI, n. 735):*

» 1. Ostiariatus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas aperiendi et claudendi januam Ecclesiæ ac admittendi dignos excludendique indignos.

» 2. Lectoratus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas legendi psalmos et lectiones ex pulpito in Ecclesia, ac populum cathechizandi seu instruendi in rebus fidei.

» 3. Exorcistatus est ordo, quo alicui confertur specialis potestas ejiciendi dæmonia.

» 4. Acolythatus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas in missa solemni subdiacono inserviendi, accendendo cereos, præparando et porrigendo illi ampullas vini et aquæ.

» 5. Subdiaconatus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas in missa solemni inserviendi diacono et solemniter canendi epistolam.

» 6. Diaconatus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas in missa solemni immediate assistendi presbytero et solemniter canendi evangelium.

» 7. Presbyteratus sive sacerdotium est ordo, quo confertur alicui specialis potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi, absolvendi quoque a peccatis et pascendi subditos opere ac doctrina.

» 8. Episcopatus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas confirmandi fideles et ordinandi ministros sacramentorum, necnon consecrandi res ad divinum cultum pertinentes. » *(Cf. S. Th., Suppl., q. 17, a. 2 et 4).*

Cum igitur in Ecclesia Latina septem (vel secundum alios octo) exstent ordines diversi, quæritur: utrum omnes illi ritus sacri, quibus specialis confertur potestas, rationem sacramenti habeant.

§ 1. *De Presbyteratu.*

1857. — Prop. *Ordo Presbyteratus verum est sacramentum.* — De fide.

Prob. I. **Ex Tridentino.** Ordinem presbyteratus esse verum sacramentum, non explicite quidem a Tridentino definitum est; sed adeo manifeste ex ejusdem definitionibus deducitur, ut nullum hac de re dubium moveri possit.

Enimvero, *can. 3,* definivit: « Ordinem, sive sacram Ordinationem, esse vere et proprie sacramentum. » — Et *can. 1:* « Esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum.... esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi. »

Porro, hisce definitionibus patet, eam ordinationem esse verum sacramentum, in qua confertur potestas consecrandi et offerendi corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi. Atqui, in Ordinatione presbyteratus hujusmodi potestas confertur. Ergo juxta Tridentinum presbyteratus est verum sacramentum.

II. **Ex Consensu Patrum et theologorum,** qui omnes unanimiter admittunt ordinem presbyteratus esse verum sacramentum.

III. **Ex Consensu hæreticorum.** Hæretici omnes, qui sacramentum Ordinis non rejiciunt, Ordinationem presbyterorum verum sacramentum esse docent.

1858. — Scholium. *De tempore institutionis præsbyteratus.*

Definivit Trid., Sess. XXII, can. 2: « Si quis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem,* Christum non instituisse Apos-

tolos sacerdotes...; A. S.». — Proin, *de fide* est, presbyteratum, quoad potestatem consecrandi corpus et sanguinem Domini, fuisse in ultima cœna institutum.

Utrum autem presbyteratus, quoad potestatem remittendi peccata, fuerit etiam in ultima cœna, an post Christi resurrectionem institutus, controvertitur.

Qui in Ordinatione unam agnoscunt materiam et formam, manuum scilicet impositionem, aut instrumentorum traditionem, cum verbis concomitantibus, docent, presbyteratum quoad utramque potestatem fuisse in ultima cœna institutum.

Qui vero duplicem admittunt essentialem materiam et formam, docent, presbyteratum quoad potestatem consecrandi corpus Christi, fuisse in ultima cœna institutum, quoad potestatem vero remittendi peccata, post Christi resurrectionem institutum volunt, quando nempe Christus, insufflando in Apostolos, dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata,* etc.

§ 2. *De Episcopatu* [1].

1859. — Sacram episcoporum Ordinationem non esse ordinem a presbyteratu distinctum, docuerunt antiquiores nonnulli theologi, ut S. Bonaventura, *(4. Sent., D. 24)*, S. Thomas, *(Suppl., q. 40)*, Petrus Lombardus, Albertus Magnus, etc.: proinde, iisdem auctoribus, in Ordinatione episcoporum, nullus imprimitur character novus, sed character in presbyteratu collatus, extenditur et completur, in ordine scilicet ad eas actiones, quæ episcoporum sunt propriæ, ut *ordinare, confirmare,* etc. Inferunt etiam, neminem, nisi fuerit prius in sacerdotem ordinatus, posse valide episcopatum recipere, cum nihil, nisi prius exstiterit, extendi et ampliari possit.

Plures tamen antiquiores theologi, ut Altissiodorensis, Durandus, Major, Cajetanus, etc., et recentiores fere communiter, tenent, episcopatum esse, non meram presbyteratus extensionem et ampliationem, sed Ordinem a presbyteratu distinctum, novumque in eo imprimi characterem.

Quam sententiam Bellarminus vocat *certissimam (l. I, c. 5)*; Gregorius de Valentia, *veram, (Disp. IX, q. 1, a. 4)*; Petrus Soto, *fide certam.*

[1] Cf. Gasparri, *De Sacra Ordinatione*, n. 20 et seq.

1860. — Prop. *Ordinatio episcoporum est sacramentum a presbyteratu distinctum.* — Communis.

Prob. I. **Ex Script. S.** In ea Ordinatione, de qua Apostolus, *I Tim. IV, 14; et II Tim. I, 6,* omnia inveniuntur, quæ ad verum sacramentum sunt requisita. Atqui, Ordinatio illa episcopalis erat. Ergo Ordinatio episcopalis verum est sacramentum.

Prob. min. Minor patet ex contextu: agitur enim de ordinatione Timothei, qui erat episcopus. « Non de presbyteris hic loquitur (Apostolus), *ait S. Chrysost.*, sed de episcopis; neque enim presbyteri episcopum ordinabant. » *(In I Tim. IV, 14).* — Et *S. Thomas:* « Quæ est in te per impositionem manuum mearum; a quo scilicet ordinatus erat episcopus; in qua impositione data est ei gratia Spiritus Sancti. » *(In II Tim. I, 6).*

II. **Ex Tridentino.** Ait Trid., Sess. XXIII, cap. 3: « Ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis. » Et ad illud ex Scripturis probandum, adfert textus Apostoli, *II Tim. I, 6, et I Tim. IV, 14;* qui textus secundum unanimem Patrum sententiam ad ordinationem episcopalem spectant.

III. **Ex Traditione.** Docent S. Patres, in consecratione episcopi conferri gratiam sanctificantem, ut *S. Chrysost.*, in II Ep. ad Tim., Hom. 1, n. 2; et imprimi characterem, ut *S. August.*, in sermone ad plebem Cæsareensem. Porro, gratia et character non conferuntur nisi per sacramentum.

Et *S. Leo M.*, agens de ordinatione bigami in episcopum, ait: « Quis igitur tolerare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur injuriam? » *(Ep. 12, c. 3).*

IV. **Ex Ratione.** Secundum omnes theologos, Ordines minores dicuntur esse ordines distincti, quia confertur in eis relate ad SS. Eucharistiam distincta et specialis potestas. *(Cf. S. Th., Suppl., q. 37, a. 2).* Atqui, in ordinatione episcoporum specialis confertur potestas relate ad SS. Eucharistiam, potestas scilicet constituendi ministros consecrationis corporis dominici. Si igitur minor potestas relate ad Eucharistiam sufficit ad Ordines minores realiter ab invicem distinguendos, profecto etiam

sufficit potestas major, quæ confertur in episcopatu, ad ordinem illum a quovis alio realiter distinguendum.

1861. — **Scholium.** *De tempore quo institutus fuit ordo episcopalis.*

Secundum probabiliorem sententiam Christus Dominus Apostolos instituit episcopos, quando, post resurrectionem, dixit eis, (Joan. XX, 21): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* etc. Tunc enim Apostoli acceperunt jurisdictionem in corpus Christi mysticum. *(Cf. Isamb., De Ord., disp. 2, a. 3).*

1862. — **Quæritur.** *Utrum episcopatus possit alicui ante presbyteratum valide conferri.*

Resp. 1. Qui episcopatum considerant tanquam presbyteratus extensionem et complementum, uno ore docent, ut supra notatum est, *(n. 1859),* non posse episcopatum ante presbyteratum valide conferri. Ratio: quia quod non præexistit, neque extendi neque compleri potest.

2. Ex secundæ sententiæ patronis, qui tenent, episcopatum esse ordinem a presbyteratu distinctum novumque in eo imprimi characterem, alii docent episcopatum ante presbyteratum invalide conferri; ratio, quia ex divina ordinatione character episcopalis sacerdotalem essentialiter præsupponit, non secus ac character Confirmationis, baptismalem. Ita *S. Alph., Mor., VI, n. 738.* — Alii vero docent, episcopatum ante presbyteratum valide conferri posse. Ratio: *a)* quia ordinatio episcopalis sacerdotium plenum et perfectum confert, quod aliorum ordinum potestatem eminenter in se continet, non secus ac potestas presbyteralis inferiorum ordinum potestatem. Ac proinde, sicut valide conferri potest presbyteratus ante susceptionem diaconatus, ita et episcopatus ante presbyteratus susceptionem. — *b)* quia, ut aiunt hujus sententiæ fautores, ex historia compertum est, aliquos per saltum, prætermisso presbyteratu, episcopos fuisse creatos.

Quidquid sit de hisce opinionibus, practice nunquam licet episcopum ordinare, quin prius presbyteratum acceperit; et qui per saltum, prætermisso presbyteratu, ordinatus esset episcopus, hujus ordinatio, si non certe invalida, valde tamen dubia foret.

§ 3. *De Diaconatu.*

1863. — Diaconatum non esse sacramentum, sed sacramentale quoddam, docuerunt *Durandus, (In 4. Sent., Disp. 24, q. 2),* et *Cajetanus.* Unanimis tamen theologorum sententia tenet, diaconatum esse verum sacramentum.

1864. — **Prop.** *Diaconatus est verum sacramentum.* — Certa.

Prob. « Quod diaconatus sit sacramentum, *inquit S. Alph.*, probatur, quia in ordinatione diaconatus concurrunt tria, ut diximus, sufficientia ad sacramentum, nempe: 1. Signum sensibile, scilicet impositio manuum. — 2. Institutio divina; nam Conc. Trid. definivit: *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris; anathema sit.* Per *ministris* saltem diaconi intelligendi sunt divina ordinatione instituti. — 3. Concurrit promissio gratiæ, quam significant verba episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, etc.* Quæ verba habent rationem formæ et vere producunt gratiam, ut scripsit Anastasius Papa II *(in epist. ad Anast. imper., c. 7)*, utque clare infertur ex Tridentino *(Sess. XXIII, can. 4)*, ubi habetur: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra dicere episcopos: Accipe Spiritum Sanctum...; anathema sit.* Ergo cum in ordinatione diaconatus jam dicat episcopus, *Accipe Spiritum Sanctum*, vere Spiritus Sanctus datur, et per consequens verum confertur sacramentum. » *(Mor., VI, n. 737).*

1865. — **Scholium.** *De tempore, quo institutus est Diaconatus.*

Secundum probabiliorem sententiam Christus Dominus in ultima cœna, una cum sacerdotio, diaconatum instituit. Non equidem Christus Apostolos ordinavit diaconos, priusquam sacerdotium eis conferret; sed diaconatum instituit tanquam in sacerdotio inclusum, diaconorumque munera indicavit.

§ 4. *De Subdiaconatu et Ordinibus minoribus.*

1866. — Subdiaconatum et Ordines minores rationem sacramenti participare, docuerunt antiquiores scholastici communiter, quibuscum consentiunt plures etiam inter recentiores theologos, ut Sylvius, Bellarminus, Isambertus, De Augustinis, etc.

Attamen, *ut ait Gasparri (De S. Ordin., n. 33)*, « hodie communis sententia est eos non esse a Christo D. institutos, » nec proinde esse sacramenta, sed sacramentalia quædam ab Ecclesia instituta.

1867. — Prop. *Subdiaconatus et Ordines minores non sunt sacramenta.*

Sententia *probabilior* et *hodie communior.*

Prob. I. **Ex Defectu divinæ institutionis.** Quod non a Christo, sed ab Ecclesia institutum est, rationem sacramenti habere nequit. Atqui, hujusmodi sunt subdiaconatus et Ordines minores. Ergo.

Prob. min. 1. *Negative.* Horumce ordinum divina probari nequit institutio, nec ex Scriptura, nec ex traditione.

2. *Positive.* Si prædictos ordines agnovisset Ecclesia ut a Christo institutos, ipsos semper caute servasset, et formaliter semper habuisset, non secus ac alios ordines, qui vere sunt sacramenta a Christo instituta. Porro, in Ecclesia Græca a duodecim jam sæculis non omnes existunt ordines minores; nec in ipsa Ecclesia Latina omnes semper adfuerunt; imo duobus primis sæculis nulla fit eorum mentio. Subdiaconatum in primitiva Ecclesia non adfuisse, diserte affirmat *Urbanus Papa II,* in Concil. Beneventano (an. 1091), can. 1. « Nullus deinceps in episcopum eligatur, *inquit,* nisi qui in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatum et presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse; super his solum præceptum habemus Apostoli. Subdiaconos vero, quia et ipsi altaribus administrant, opportunitate exigente, concedimus, sed rarissime. »

Quocirca, nonnulli etiam antiquiores theologi eosdem ordines ab Ecclesia fuisse institutos ultro fatentur. « Cum omnes (ordines) spirituales sint et sacri, *ait Petrus Lomb.*, excellenter tamen canones duos tantum ordines sacros appellari censent, diaconatus scilicet et presbyteratus: quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, et de his solis præceptum Apostoli habemus... Subdiaconos vero et acolythos, procedente tempore, Ecclesia sibi constituit. » *(4, Sent., D. 24, n. 9).*

II. **Ex Defectu materiæ et formæ.** « Quod alii Ordines minores et subdiaconatus non sint sacramenta, *ait S. Alph.*, probatur, quia pro his deest materia et forma sacramenti Ordinis. Deest quidem materia, quia deest impositio manuum, quæ est sola materia hujus sacramenti juxta probabiliorem sententiam... Deest etiam forma sacramenti; in horum enim ordinum collatione nulla adest forma quæ exprimat productionem gratiæ, sed tantum fit mentio potestatis quæ traditur. » *(Mor., VI, 737).*

1868. — Scholium. *De Tonsura.*

« Prima tonsura, *ait S. Alph.*, est ritus solemnis ecclesiasticus, consistens in levi detonsione capillorum cum certis verbis, per ministrum idoneum celebratus, ex institutione Ecclesiæ significans masculum baptizatum a statu laicali in sortem Domini et statum clericalem transferri. » *(Mor., VI, 735).*

Primam tonsuram neque ordinem neque sacramentum esse, sed ritum ab Ecclesia introductum, ab omnibus hodie admittitur. *(Cf. Gasparri, n. 36 et seq.)*.

CAPUT II.

DE NATURA SACRAMENTI ORDINIS.

1869. — Ex diversis Ordinibus, tres, ut supra dictum est, sunt vera sacramenta a Christo Domino instituta, ad quorum essentiam necessario concurrunt forma et materia. Subdiaconatus vero et Ordines minores probabilius non sunt sacramenta, sed ritus ab ipsa Ecclesia instituti; attamen, sicuti patet ex declaratione Eugenii IV, *decr. pro Arm.*, constant etiam materia et forma, ob quamdam scilicet cum sacramentis analogiam, quam eisdem Ecclesia inesse voluit.

Dicemus igitur in art. I. de materia et forma eorum Ordinum, qui secundum probabiliorem sententiam non sunt sacramenta; et in II. de materia et forma Ordinum qui sunt sacramenta.

ARTICULUS I.

DE MATERIA ET FORMA SUBDIACONATUS ATQUE MINORUM ORDINUM [1].

1870. — Horum Ordinum, secundum unanimem Doctorum sententiam, *materia remota* sunt instrumenta, ordinandis ab episcopo tradita; *materia proxima* est ipsamet instrumentorum traditio; *forma* sunt verba, quæ in instrumentorum traditione profert episcopus.

Exinde nullo negotio deduces, quæ sit singulorum Ordinum forma, quæ sit materia.

1. Ostiariatus « materia *remota* sunt claves Ecclesiæ; *proxima* clavium traditio; *forma* sunt verba ordinantis, et di-

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, VI, n. 745-747; *Exam. ord.*, n. 53-57; Denz., *Enchirid.*, n. 53-58.

centis: *Sic age quasi redditurus rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* » (S. Alph., Exam. ord., n. 53).

2. Lectoratus « materia *remota* est liber prophetiarum et epistolarum; *proxima* illius traditio; *forma* sunt verba: *Accipe et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.* » (Loc. cit., n. 54).

3. Exorcistatus materia *remota* est liber exorcismorum; *proxima* libri traditio; *forma: Accipe, et commenda memoriæ, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

4. Acolythatus duæ assignantur materiæ partiales, quæ unam totalem materiam constituunt. Materia *remota* partim est candelabrum cum candela exstincta, partim urceoli vacui; *proxima*, est eorumdem instrumentorum traditio. *Forma* etiam duplex est: una: *Accipe ceroferarium cum cereo, ut scias te ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini;* altera: *Accipe urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.*

5. Subdiaconatus, in Ecclesia Græca, materia est manuum impositio; *forma* vero, sunt verba quæ in manuum impositione proferuntur. — In Ecclesia Latina, materia *remota* est calix consecratus, vacuus, cum patena vacua superposita; *proxima* est ipsius calicis traditio; *forma*, sunt verba quæ ab episcopo in traditione calicis proferuntur: *Videte cujus ministerium vobis traditur,* etc.

Utrum autem traditio libri Epistolarum sit etiam pars essentialis materiæ, an solum pars accidentalis integralis, controvertitur. Affirmant alii esse partem essentialem; ratio, quia speciale etiam munus subdiaconi est epistolas solemniter legere. Negant alii; ratio quia per calicis et patenæ traditionem satis significatur præcipuum subdiaconi ministerium, quod est panem et vinum diacono ministrare, qui sacerdoti tradat. — In praxi omnino sequenda est sententia affirmans.

ARTICULUS II.

DE MATERIA ET FORMA PRESBYTERATUS, DIACONATUS ET EPISCOPATUS.

1871. — Nullum, præter sacram Ordinationem, in Ecclesia exstat sacramentum, de cujus materia et forma magis disputent auctores. Quæ opinionum diversitas ex eo originem duxit, quod aliis ritibus in Ecclesia Romana, aliis in Græca Ordines conferuntur; imo et ritus, in hodierna liturgia romana adhibiti, ab antiquiori ritu discrepant.

1872. — *In liturgia græca,* in Ordinatione presbyterorum, episcopus, antequam legat Evangelium Missæ, ordinandis ter manus imponit sub tribus diversis orationibus; ast neque instrumenta tradit, neque manus imponit in fine Missæ, cum verbis: *Accipe Spiritum Sanctum,* etc. *(cf. Gavardi, n. 1055).* — Quibus patet, apud Græcos manuum impositionem esse unicam materiam presbyteratus.

1873. — *In antiqua liturgia romana,* episcopus, post recitatas litanias, ordinandis manus semel tantum imponebat, dicens orationem *Exaudi nos,* etc., et postea orationem *Vere dignum et justum est,* etc., quæ duæ orationes in actuali etiam liturgia inveniuntur. Deficiebat autem et instrumentorum traditio, et ea manuum impositio, quæ nunc fit post sacerdotis communionem.

1874. — *In liturgia romana, quæ hodie in Pontificali romano habetur,* post recitatas litanias, episcopus nihil dicens utramque manum super caput cujuslibet ordinandi, physice tangendo, imponit; idemque post eum faciunt omnes sacerdotes qui adsunt; quo facto, tam episcopus quam sacerdotes tenent manum dexteram super ordinandos extensam; quæ extensio merito habetur tanquam præcedentis manuum impositionis continuatio, ut ait Benedict. XIV, *(De Synod., l. 8, c. 10, n. 4).* Et dum manum sic extendit, Pontifex dicit: *Oremus, fratres charissimi,* etc.; postea, facta genuflexione, dicit orationem *Exaudi nos,* etc., et orationem per modum præfationis *Vere dignum et justum est,* etc., quæ etiam in antiqua liturgia habebantur.

Postea, peracta manuum unctione, Pontifex cuilibet ordinando tradit calicem cum vino et patenam cum hostia, dicens: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo,* etc.

Demum, finito responsorio post communionem, Pontifex utramque manum imponit super caput cujuslibet ordinati, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis,* etc.

1875. — In quanam ex his actionibus reponenda sit essentia presbyteratus, disputatur. Triplex adest sententia [1].

Prima docet, essentiam Ordinis presbyteratus consistere in sola instrumentorum traditione, cum forma: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo*, etc.; et hac traditione conferri simul tum potestatem offerendi sacrificium, tum potestatem absolvendi a peccatis; manuum vero impositionem esse tantum materiam accidentalem integralem.

Secunda duas materias essentiales partiales et duas formas essentiales admittit, videlicet: traditionem instrumentorum, cum forma: *Accipe potestatem offerre sacrificium*, etc., qua confertur potestas celebrandi Missam; et ultimam manuum impositionem, cum forma: *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., qua traditur potestas absolvendi a peccatis.

Tertia communior et probabilior docet, unicam materiam essentialem esse manuum impositionem, quæ fit post recitatas litanias, et unicam formam essentialem esse orationes, quas tunc fundit episcopus; instrumentorum vero traditionem et impositionem manuum, cum formis respectivis, esse materias et formas accidentales integrales, quibus potestas per manuum impositionem jam collata magis declaratur. Cui sententiæ tanquam probabiliori adhæret S. Alphonsus: « Igitur, *inquit*, secundum nostram sententiam, sola impositio est materia Ordinis, et forma est oratio episcopi, qua invocatur Spiritus Sanctus. » *(Cont. hær., XXIII, n. 18).*

1876. — **Prop.** *Impositio manuum, quæ fit in initio Ordinationis, est materia essentialis et adæquata presbyteratus.*

Prob. I. **Ex Declaratione SS. D. N. Leonis PP. XIII,** qui in litt. apostol. *Apostolicæ curæ*, sequentia tradit: « Omnes norunt sacramenta Novæ Legis, utpote signa sensibilia atque gratiæ invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant. Quæ significatio, etsi in toto ritu essentiali, in materia scilicet et forma haberi debet, præcipue tamen ad formam pertinet; quum materia sit pars

[1] Cf. S. Alph., *Mor.*, VI, n. 749; *Cont. hær.*, sess. XXIII, n. 18 et seq.

per se non determinata, quæ per illam determinetur. Idque in sacramento Ordinis manifestius apparet, *cujus conferendi materia*, quatenus hoc loco se dat considerandam, *est manuum impositio;* quæ quidem nihil definitum per se significat, etc. »

Quibus in verbis sola manuum impositio indicatur tanquam essentialis Ordinationis materia.

II. **Ex Script. S.** Quoties mentio occurrit de Ordinatione, Scripturæ S. nihil aliud commemorant nisi solam manuum impositionem et orationem. « Dicit autem Tridentinum (Sess. XXIII, cap. 2), *inquit S. Alph.*, quod sacræ litteræ gravissimis verbis docent ea quæ *maxime* in diaconorum et sacerdotum *Ordinatione attendenda sunt.* Ergo si Sacræ Litteræ tantum de impositione manuum verbum faciunt, dicere debemus, præter manuum impositionem nihil aliud esse in Ordinatione essentialiter necessarium.... alia verum solum requiri tanquam partes integrales, nempe ad clariorem acceptæ potestatis declarationem. » *(Mor., VI, 749).*

III. **Ex Tridentino.** Tridentinum, cap. 3, ut probet Ordinem esse sacramentum, ad ea loca S. Scripturæ provocat, in quibus de sola manuum impositione fit mentio. Porro, si præter manuum impositionem requireretur traditio instrumentorum ad validitatem sacramenti, argumentum illud inane foret et ineptum. Ergo tota ratio Ordinationis consistit in sola manuum impositione cum orationibus.

Præterea, agendo de ministro Extremæ Unctionis, ait Trid., *Sess. XIV, cap. 3*, ministros esse « aut episcopos aut sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manuum presbyterii. » Verum, si ad validitatem Ordinationis requireretur vel sola instrumentorum traditio, vel eorum traditio una cum manuum impositione, sacerdotes per manuum impositionem rite ordinati dici non possent. Ergo sola sufficit manuum impositio.

IV. **Ex Traditione.** S. Patres, cum de Ordinatione loquuntur, semper de sola manuum impositione, numquam autem de instrumentorum traditione verba faciunt. « Homo imponit manus, *inquit S. Ambros.*, Deus largitur gratiam. » *(De dignit. Sacerdot., c. 5).* — *S. Epiphanius:* « Quinam fieri potest,

ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat. » *(Hær. 75, n. 4).*

In *can. 3, Concil. Carthaginensis IV*, (an. 398), legimus: « Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente, manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant. » *(Denz., n. 51).*

V. **Ex Liturgia Græca.** « Græci, *ait S. Alph.*, per solam impositionem manuum ordinantur. Ergo, si valida est Ordinatio Græcorum per solam manuum impositionem, ita etiam valida habenda est Ordinatio Latinorum, cum totus valor sacramentorum pendeat ab ipsorum materia et forma institutis a Christo Domino, qui, ut patet ex Script., pro materia Ordinationis impositionem manuum instituit. » *(Mor., VI, 749).*

VI. **Ex Veteri Liturgia Romana.** Ante sæculum octavum, ut ultro fatentur oppositarum sententiarum patroni, conferebatur presbyteratus Ordo per solam manuum impositionem, quæ fit post litanias; traditio vero instrumentorum et ultima manuum impositio sæculo octavo aut nono invectæ sunt. Si valida autem erat olim Ordinatio per solam manuum impositionem, talis etiam nunc valida erit. « Cum omnia, quæ habentur in antiquis ritualibus, *ait Bened. XIV*, perseverent intacta ac sancte et integre etiam nunc peragantur, nemo facile credet, illa eadem, quæ jam pridem satis erant, nunc ad Ordinis sacramentum perficiendum amplius non sufficere. » *(De Synod., l. VIII, c. 10, n. 10).*

VI. **Ex Debilitate fundamenti adversæ sententiæ.** Qui præter manuum impositionem, antiquitus solum adhibitam, quidpiam aliud ad Ordinationis validitatem requirunt, duplici præsertim nituntur fundamento.

1. Docent, Christum sacramenti Ordinis materiam et formam in genere tantum determinasse, Ecclesiæ vero potestatem reliquisse determinandi materiam et formam in specie, ac justis de causis mutandi, modo adhibeat res et verba effectum sacramenti exprimentia. Proinde, sicut ex Ecclesiæ institutione sufficit apud Græcos manuum impositio, et olim etiam sufficiebat apud Latinos, ex eadem tamen institutione nunc apud

Latinos, præter manuum impositionem, requiritur etiam ad validitatem sacramenti traditio instrumentorum.

Sed, ut dictum est *n. 1453*, non satis probatur Christum hanc potestatem Ecclesiæ reliquisse; imo contrarium a Tridentino innuitur, *Sess. XXI, cap. 2*, ubi declarat, Ecclesiam ea statuere posse, quæ ad sacramentorum dispensationem spectant, *salva illorum substantia*. Quibus constat, Ecclesiam in sacramentorum materia et forma nihil essentiale mutare posse.

2. Innituntur verbis Eugenii IV, *decr. pro Arm.:* « Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem. » In his autem verbis, una indicatur materia, traditio videlicet instrumentorum.

Porro, hæc declaratio eorum sententiam non probat. « Nam, *ait S. Alph.*, sapienter respondet idem Papa Bened. XIV *(De Synod., l. VIII, c. 10, n. 8)*, cum Morino, Becano, et Menardo, Eugenium tantum ibi locutum fuisse de materia et forma integrali quam intendit tradere Armenis, qui optabant aggregari Ecclesiæ Latinæ, et ideo non fuit opus eis assignare impositionem manuum, cum illi juxta ritum Græcorum, quo prius ordinabantur, jam eam adhibebant. Unde dicimus Eugenium non quidem mutasse materiam et formam hujus sacramenti, sed tantum impositioni manuum superaddidisse traditionem instrumentorum, tanquam partem integralem. » *(Mor., VI, 749)*.

1877. — Scholium I. *De forma presbyteratus.* — Cum tota presbyteratus Ordinatio per solam manuum impositionem post litanias factam essentialiter perficiatur, exinde jam patet formam esse orationem, quam episcopus super ordinandos recitat. Utrum vero forma sit oratio: *Oremus, fratres charissimi*, quam episcopus recitat dum manum extensam tenet, an oratio *Exaudi nos*, quam immediate post primam recitat, an tertia quæ habetur per modum præfationis, non satis constat, cum in tribus adsit invocatio Spiritus Sancti.

1878. — Scholium II. *De materia et forma diaconatus et episcopatus.*

Ex dictis in prop. erui potest: *a)* Materiam diaconatus esse solam manuum impositionem; hæc enim sola in Scripturis

pro ordinandis diaconis assignatur; sola habetur in Ecclesia Græca, et sola antiquitus in Ecclesia Romana adhibebatur; *(S. Alph., Mor., VI, 748);* formam vero esse vel orationem: *Accipe Spiritum Sanctum*, quam recitat episcopus, dum manus imponit; vel prolixam orationem: *Vere dignum et justum est.... Deus, bonorum largitor*, etc., quæ manuum impositionem immediate præcedit. — Traditionem vero instrumentorum esse materiam accidentalem integralem.

b) Materiam episcopatus esse solam manuum impositionem; quippe quæ sola indicetur in Scripturis; formam autem esse vel orationem concomitantem: *Accipe Spiritum Sanctum*, vel orationes quæ per modum præfationis dicuntur. — Impositionem vero libri Evangeliorum, etsi perantiquam, *(cf. Denz., n. 50)*, esse tamen ritum ab Ecclesia introductum, nec proinde pertinere ad essentiam sacramenti.

CAPUT III.

DE MINISTRO ET SUBJECTO ORDINATIONIS.

ARTICULUS I.

DE MINISTRO.

1879. — Minister Ordinationis alius est *ordinarius*, qui vi potestatis ordini suo divinitus annexæ ordinare potest; alius *extraordinarius*, qui vi specialis a S. Pontifice delegationis Ordines conferre valet; alius *necessarius*, qui valide, et alius *legitimus*, qui licite ordinare potest.

De ministro legitimo tractant disciplina moralis et jus canonicum; quocirca de solo ministro necessario, tam ordinario quam extraordinario, dicendum est.

1880. — **Prop. I.** *Minister ordinarius ordinationis est solus episcopus.*

De fide, ex Trid., Sess. XXIII, can. 7: « Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere po-

testatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem....; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Scriptura S. non alios quam Apostolos, aut quos ab Apostolis episcopos constitutos legimus, tanquam Ordinationis ministros exhibet. Ita, ab ipsis Apostolis septem primi diaconi fuerunt ordinati, *(Act. VI, 6)*; Paulus et Barnabas per Ecclesias presbyteros instituerunt, *(Act. XIV, 22)*: Timotheus a Paulo per manuum impositionem episcopus consecratus est, *(II Tim. I, 6)*: exponit S. Paulus Timotheo et Tito, quibusnam manus imponere debeant.

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Hieronymus:* « Quid facit, excepta Ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? » *(Ep. 146, n. 1)*. — *S. Epiphanius:* « Ordo siquidem episcoporum ad gignendos patres præcipue pertinet. Hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter (presbyterorum) cum patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat? » *(Hær. 75, n. 4)*.

Et Concil. *Carthaginense IV*, (an. 398), solum episcopum pro omnibus ordinibus ut ministrum designat. *(Denz., n. 50-57)*.

III. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia tam Latina quam Græca, nullum unquam ministrum ordinarium Ordinationis agnovit, nisi solum episcopum, sicuti ex Patrum testimoniis et historicis monumentis plane constat.

Refert S. Athanasius, presbyterum quemdam Arianum, Colluthum nomine, plures sacerdotes ordinasse, inter quos Ischyram; quorum Ordinationem Ecclesia invalidam tenuit. « Ac consequenter, *addit S. Athanas.*, quotquot a Collutho fuerant ordinati, ii sunt ad priorem reversi conditionem; ita ut ipse quoque Ischyras inter laicos visus fuerit. » *(Apolog. cont. Arian., n. 75)*.

1881. — Prop. II. *Nequit simplex sacerdos esse minister extraordinarius presbyteratus et episcopatus; sed ordinum minorum, subdiaconatus et diaconatus.*

I. Simplicem sacerdotem non posse a S. Pontifice delegari ad conferendum sacerdotium, apud omnes in confesso est. « Auc-

tores omnes, *inquit De Angelis,* in hoc saltem ex negativis argumentis convenire, quod non valeat Romanus Pontifex presbyteris facultatem concedere impertiendi sacerdotium; etenim nemo hanc ei adstruit facultatem, et Romani Pontifices nunquam id concesserunt. Et jure quidem, cum hæc videatur esse una ex differentiis essentialibus inter presbyteratum et episcopatum, quod episcopus valeat gignere seu consecrare *sibi pares,* non ita tamen presbyter. » *(Jus can., l. I, tit. 11, n. 2, p. 199).*

Quod affirmatur de Ordinatione presbyteri, a fortiori dicendum est de Ordinatione episcopi, qui jure divino est simplici sacerdote superior.

II. Simplicem sacerdotem posse, ex concessione S. Pontificis, minores ordines conferre, ab omnibus admittitur. Pluries enim S. Pontifices facultatem hanc abbatibus concesserunt, quam ipsis etiam Tridentinum, *Sess. XXIII, cap. 10, de Reform.,* in proprios subditos confirmavit.

III. An autem simplex sacerdos possit a S. Pontifice delegari ad subdiaconatum et diaconatum conferendum, controvertitur.

Affirmantem sententiam veluti certam admittimus. Ratio est, quia facultas subdiaconos et diaconos ordinandi ab Innocentio VIII, an. 1489, concessa est abbati generali Ordinis cisterciensis, et abbatibus quatuor monasteriorum ejusdem ordinis.

Legimus in Bulla *Exposcit tuæ devotionis,* ab Innocentio VIII data mense Aprili 1489: « Ac ne monachi dicti ordinis pro suscipiendis subdiaconatus et diaconatus Ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti ordinis monachis, aliis vero quatuor abbatibus præfatis, ac eorum successoribus, ut suorum monasteriorum prædictorum religiosis, quos ad id idoneos repereritis, subdiaconatus et diaconatus Ordines hujusmodi alias rite conferre.... auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore præsentium de speciali dono gratiæ indulgemus. »

1882. — Jamvero, hujus Bullæ authenticitatem nonnulli negant, quia, ut aiunt, in Bullario Romano non reperitur. Non est autem magni ponderis hæc ratio, siquidem multæ exstant Bullæ, in Bullario Romano non relatæ, de quarum authenticitate nemo dubitat.

Sed multa etiam testimonia positiva hujus Bullæ authenticitatem comprobant.

1. Existit hæc Bulla tum in Bullario cisterciensi, ab Henriquez compilato, et a superioribus ordinis cisterciensis approbato; tum in collectione Bullarum ab Emmanuele Roderico compilata, in opere: *Nova collectio et compilatio privilegiorum apostolicorum regularium mendicantium*, Turnoni, 1609, pag. 245; tum in *Elencho privilegiorum regularium*, a P. Raphaele Köndig edito Coloniæ 1729, pag. 391-394; quo in opere, pag. 627, denuo asseritur et probatur, idem privilegium abbatibus cisterciensibus fuisse concessum, nec a Tridentino revocatum.

2. Rituale cisterciense, a capitulo generali ejusdem ordinis an. 1686 recognitum et *severo ac multiplici discussum examine*, atque Parisiis an. 1689 typis mandatum cum approbatione Joannis Petit, abbatis generalis, inter ritus abbatum enumerat Ordinationem diaconi, et pag. 641-649 ritum refert Ordinationis diaconi factæ ab abbate.

3. Abbates cistercienses hoc suo privilegio, sciente et approbante Ecclesia, revera usi sunt.

Van Roy., (Theol. Mor., de Ordine, c. 4, q. 1, pag. 337), agens de dicto privilegio, ait: « De facto Innocentius VIII, an. 1489, cuidam abbati cisterciensi, cui nomen erat Joannes, et aliis quatuor ejusdem ordinis abbatibus concessit facultatem ordinandi monachos in diaconos et subdiaconos.... Porro, hoc privilegium non esse revocatum, ex eo patet, quod Generalis ordinis cisterciensis anno 1663 Gandavi religiosos prædicti ordinis in diaconos et subdiaconos ordinaverit, quemadmodum prius fecerat Romæ, scilicet anno 1662, sciente et consentiente Pontifice. »

Rodericus, (Quæst. regulares, T. I, q. 18, a. 3, pag. 103), discussis in utramque partem rationibus, ait: « Et sic concludo dicendo: Primo, non posse negari, Summum Pontificem, supradictum privilegium concessisse dictis abbatibus. Secundo dico, Summum Pontificem id concedere potuisse, siquidem de facto ipsum concessit, et patres supradicti eo usi sunt, prout accepi a patribus dicti ordinis. »

Isambertus, (De Ord., Disp. VI, a. 1, pag. 460), scribit: « Quo privilegio dicti abbates non tantum ante Trid. Concilium usi sunt, sed etiam et hoc ipso tempore adhuc utuntur, videntibus nec repugnantibus, imo consentientibus et probantibus episcopis, in quorum diœcesi prædictæ abbatiæ sunt constitutæ. »

Concludimus ergo cum *Tanner, (De Ord., Disp. VII, q. 3, dub. 2)*: « Factum negari non potest; et dicere, rite factum non fuisse, valde durum est. »

« Igitur, addit *Isamb., (loc. cit.)*, cum a facto ad posse valeat consequentia, et hæc praxis nunquam fuerit reprehensa, vel a Summo Pontifice aut episcopis, sed potius ipso usu confirmata: fit ut recte dicamus simplices sacerdotes, de quorum duntaxat conditione sunt prædicti abbates, posse per dispensationem S. Pontificis etiam conferre subdiaconatus et diaconatus Ordines. »

NB. De modo, quo per S. Pontificis delegationem amplietur potestas simplicis sacerdotis, ut valide possit sacramentum diaconatus conferre, philosophandum est sicut de potestate confirmandi, quam presbyteri nonnulli ex delegatione S. Pontificis accipiunt. *(Cf. n. 1570).*

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO ORDINIS.

Subjectum Ordinis dicitur persona, quæ sacramentum Ordinis recipere potest. De subjecto, quod *licite* ad Ordines promoveri possit, disputat theologia moralis; in dogmatica unum est inquirendum, videlicet: quodnam sit subjectum capax Ordinem *valide* recipiendi.

1883. — Prop. *Solus et omnis masculus baptizatus est sacramenti Ordinis capax.*

Duo in prop. enuntiantur, videlicet: *a)* solum hominem sexus masculini esse capacem: feminas vero esse Ordinationis incapaces; — *b)* omnes masculos, etiam pueros, dummodo sint baptizati, (cum ante Baptismum nullum aliud sacramentum recipi possit, cf. n. 1499 et 1552) esse sacramenti Ordinis capaces.

Pars I: *mulieres incapaces sunt ordinationis.*

Ad fidem pertinet, ex condemnatione Collyridianorum hæreticorum, quorum meminit S. Epiphanius, *hær. 79.*

Prob. **Ex Script. S.** Legimus (I Corinth. XIV, 34, 35): *Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit... Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* — (I Tim. II, 11, 12): *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Porro, vi Ordinationis, homo præeminentiam quamdam et domina-

tionem in alios accipit, et deputatur ad loquendum in Ecclesia. Mulieres igitur Ordinationem recipere nequeunt.

Pars II: *Pueri valide ordinari possunt.* — Certa.

Prob. I. **Ex Benedicto XIV**, qui in Constitutione, *Eo quamvis tempore*, die 4 Maii 1745, agens de Ordinatione infantium, aliorumque usum rationis expeditum non habentium, ait: eorum « Ordinationem concordi theologorum et canonistarum suffragio validam sed illicitam censeri, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiæ, formæ, et intentionis in episcopo ordinante, non attenta contraria sententia, quæ raros habet asseclas, et quæ supremis tribunalibus et Congregationibus Urbis nunquam arrisit. »

II. **Ex Ratione.** « Per pueritiam, *inquit S. Th.*, et alios defectus quibus tollitur usus rationis, præstatur impedimentum actui. Et ideo omnia illa sacramenta quæ actum requirunt suscipientis sacramentum, talibus non competunt, sicut Pœnitentia, Matrimonium et hujusmodi. Sed quia potestates infusæ sunt priores actibus sicut et naturales, quamvis acquisitæ sint posteriores, remoto autem posteriori non tollitur prius: ideo omnia sacramenta in quibus non requiritur actus suscipientis de necessitate sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis divinitus datur, possunt pueri suscipere, et alii qui usu rationis carent. » *(Suppl., q. 39, a. 2).* Atqui hujusmodi sacramentum est Ordo. Illum ergo pueri valide recipere possunt. *(Cf. S. Alph., Mor., VI, 782).*

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS ORDINIS.

Sacramentum Ordinis effectus quosdam primarios in suscipiente producit vi divinæ suæ institutionis, et secundarios quosdam inducit vi legis ecclesiasticæ. Paucis igitur de utroque disserendum est.

ARTICULUS I.

DE PRIMARIO ORDINIS EFFECTU.

Sacramentum Ordinis vi divinæ suæ institutionis duos in suscipiente producit effectus, gratiæ scilicet infusionem, et impressionem characteris.

1884. — I. GRATIAM SANCTIFICANTEM, per se secundam, infundi in sacramento Ordinis, est *de fide*, ex Trid., Sess. XXIII, can. 4: « Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra episcopos dicere: *Accipe Spiritum Sanctum...*; A. S. » — Quam gratiam diserte indicat Apostolus, dicens (II Tim. I, 6): *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Conferri etiam *gratias actuales sacramentales* ad munera suscepti Ordinis sancte obeunda, certum est ex iis, quæ *n. 1489* probata sunt.

Apposite S. Thomas: « *Dei*, inquit, *perfecta sunt opera*, ut dicitur *(Deuter. XXXII, 4)*. Et ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea per quæ exsecutio illius potentiæ possit congrue fieri... Sicut autem gratia gratum faciens est necessaria ad hoc quod homo digne sacramenta recipiat; ita etiam ad hoc quod digne sacramenta dispenset. Et ideo, sicut in Baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens: ita in sacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem. » *(Suppl., q. 35, a. 1)*.

Et *in resp. ad 3*, addit: « Ad idoneam exsecutionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis. Et ideo præexigitur gratia quæ sufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebe Christi; sed confertur in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei. »

1885. — II. Characterem imprimi per sacramenti Ordinis susceptionem, *de fide* est, ex Trid., Sess. XXIII, can. 4: « Si quis dixerit... per eam (Ordinationem) non imprimi characterem; vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; A. S. » *(Cf. dicta n. 1494 et seq.)*

Imprimi characterem specialem in presbyteratu, est *de fide*, ex citato canone Trid. — Specialem etiam imprimi in diaconatu, *certum* est, non autem de fide. — An vero in episcopatu imprimatur specialis character, a presbyterali charactere distinctus, disputatur. Qui episcopatum tenent tanquam Ordinem distinctum, ipsius etiam characterem tanquam distinctum tenent. *(Cf. dicta n. 1860).* — In subdiaconatu et Ordinibus minoribus character probabilius non imprimitur, cum hi Ordines secundum probabiliorem sententiam, sint ex ecclesiastica, non autem ex divina institutione. *(Cf. n. 1867).*

Charactere duplicem consequitur sacerdos potestatem, unam in corpus Christi reale, ad consecrandam scilicet SS. Eucharistiam; alteram in corpus Christi mysticum, ad fideles videlicet a peccatis absolvendos. « Hoc autem, *inquit Trident., Sess. XXIII, cap. 1,* ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi et retinendi, sacræ Litteræ ostendunt, et catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit. »

1886. — Scholium. *De dignitate sacerdotis.*

Ratione characteris, quo in susceptione ordinis sacerdotalis insignitur, homo constituitur minister Christi et dispensator mysteriorum Dei, secundum illud Apostoli (I Cor. IV, 1): *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* — (II Cor. V, 18, 20): *Dedit nobis ministerium reconciliationis ... pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* — Constituitur vice Christi mediator Deum inter et homines, quia « proprie officium sacerdotis est esse mediatorem inter Deum et populum », *(S. Th., P. 3, q. 22, a. 1),* ut scilicet dona cœlestia et præsertim Sanctum Sanctorum in Eucharistia latitantem populo tradat, et preces populi Deo offerat, eumque, si lapsus fuerit, Deo per sacramentalem absolutionem reconciliet.

Colligitur exinde præcellens sacerdotum dignitas, quam S. Patres tantis præconiis extollunt. « Omnium apex est sacerdotium », ait

S. Ignatius M. (Epist. ad Smyrn.) — Et *S. Ephrem:* « Miraculum est stupendum, magna, immensa, infinita sacerdotum dignitas. » *(De sacerdotio).* — « Ipsi, *exclamat S. Prosper,* sunt Ecclesiæ decus, columnæ firmissimæ; ipsi januæ Civitatis æternæ, per quos omnes ingrediuntur ad Christum; ipsi janitores, quibus claves datæ sunt regni cœlorum; ipsi dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio dividuntur singulorum gradus. » *(De vita cont., l. II, c. 2).*

Sacerdotum dignitas dignitatem regum et principum terræ superat. — « Regi corpora commissa sunt, *ait S. Chrysost.,* sacerdoti animæ: rex maculas corporum remittit; sacerdos autem maculas peccatorum... Ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia; ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum est adversus dæmones. Major hic principatus; propterea rex caput submittit manui sacerdotis. » *(De verbis Isa., Hom. 5).* — Et *S. Bernardus:* « Prætulit vos, sacerdotes, regibus et imperatoribus; prætulit Angelis. » *(Serm. ad Pastor. in syn.)*

Sacerdotum dignitas Angelorum dignitati præstat. — Angeli sunt administratorii spiritus, et jussa divina exsequuntur. Sacerdotes ipsi Deo quodam modo imperant. « Dominus sequitur servum, *ait S. Chrysost.,* et quidquid hic in inferioribus judicaverit, hoc ille in supernis comprobat. » *(De verbis Isa., hom. 5).* — Et *S. Petrus Damianus:* « Licet assistant Angeli, præsidentis (sacerdotis) imperium exspectantes, nullus tamen eorum ligandi atque solvendi possidet potestatem. » *(Serm. 26).*

Sacerdotum dignitas dignitati Matris Dei comparatur, imo quadamtenus eam superat; quia quem Virgo semel tantum genuit, sacerdotes quotidie in altari reproducunt; præterea, sacerdotes a peccatis absolvere possunt, qua potestate non pollet B. Virgo. « O veneranda sacerdotum dignitas, *exclamat S. Augustinus,* in quorum manibus, velut in utero Virginis, Filius Dei incarnatur. » *(Conc. 1, in Ps. XXXVII).* — Et *S. Bernardinus Senensis:* « Virgo benedicta, *inquit,* excusa me, quia non loquor contra te: sacerdotium ipse prætulit supra te. » *(T. I, S. 20, a. 2, c. 7).* — Et *Innocent. III:* « Licet Beatissima Virgo excellentior fuerit Apostolis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cœlorum commisit. » *(Cap. Nova quædam. De Pœnit.)*

Uno verbo, *sacerdos alter Christus,* ut ait S. Bernardus; et *post Deum, terrenus Deus,* ut ait S. Clemens, *(Const. Apost., l. II, c. 26);* quia *sacerdos vice Christi vere fungitur.* (S. Cyprian., Ep. ad Cæcil.); et *accedit sacerdos ad altaris tribunal ut Christus.* (S. Laurent. Justin., Serm. de Euch.) — *Cf. S. Alph., Selva, P. I, c. 1.*

Cum adeo excelsa sit sacerdotum dignitas, magna etiam debent esse eorum sanctitas et perfectionis studium, « ne sit honor sublimis, *ut ait S. Ambrosius,* et vita deformis; deifica professio, et illicita actio. Actio respondeat nomini. » *(De dignit. sac., c. 3).* — Et *S. Laurent. Justin.:* « Magna dignitas, sed majus est pondus. In alto gradu

positi sunt; oportet quoque ut in sublimi virtutum culmine sint erecti; alioquin, non ad meritum, sed ad proprium præsunt judicium. » *(De Instit. præl., c. 11; cf. S. Alph., Selva, P. I, c. 3).*

ARTICULUS II.

DE SECUNDARIO EFFECTU ORDINIS SEU DE OBLIGATIONE AD CÆLIBATUM ECCLESIASTICUM [1].

1887. — Qui majores Ordines suscipit, vi suscepti Ordinis ex lege ecclesiastica quibusdam obnoxius fit obligationibus: recitationi videlicet divini officii, et ecclesiastico cælibatui. — De officii recitatione sat loquitur theologia moralis; de cælibatu quædam prælibare, ad dogmaticam etiam pertinet.

Cælibatus ecclesiasticus est perpetua continentia clericis imposita, vi voti majoribus Ordinibus ex lege ecclesiastica adnexi. Ecclesia enim iis, qui majores Ordines suscipiunt, obligationem imponit perpetuam servandi castitatem; et ordinandi, suscipiendo Ordinem, sese ad hujus legis observationem obligant. Quæ quidem obligatio, cum sit vera de bono meliori et Deo facta promissio, rationem voti proprie dicti habet, non expliciti quidem, sed impliciti, in actu scilicet exercito per ipsam Ordinis susceptionem emissi. Quocirca, si quis Ordinem suscipiens intenderet votum non emittere, is nihilominus vi ipsius legis ecclesiasticæ ad cælibatum teneretur.

Cælibatu prohibentur clerici ne matrimonium valide contrahere possint, sicut definivit Trid., *Sess. XXIV, can. 9;* neve matrimonio ante ordinationem forte contracto, utantur. Tenentur præterea speciali titulo ad castitatem illibatam servandam, ita ut omnis actus peccaminosus in hac materia, rationem sacrilegii induat.

1888. — Cælibatum fuisse in Ecclesiam ab Apostolis introductum, atque in Ecclesia Romana semper observatum, antiquissimis monumentis compertum est.

[1] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, sess. XXIII, n. 40-54; *Mor.*, VI, 806 et seq.; Gonet, *Clyp., de Ord.*, disp. 3, a. 3; Bellarm., *De Clericis*, l. I, c. 18 et seq.

Ipsum etiam in Ecclesia Græca primis temporibus viguisse, testimoniis haud dubiis conspicuum est; qua lege continentiæ episcopi hujus Ecclesiæ adhuc hodie obstricti remanent. Ast, a primo suo fervore mox deficiens, labente sæculo V vel VI, et non prohibentibus SS. Pontificibus, Ecclesia Græca indulsit diaconis et presbyteris, ut matrimonio ante ordinationem contracto uti possent, licet nunquam permiserit ut post susceptos Ordines matrimonium contrahere valerent. Quam Græcorum consuetudinem sancivit Concilium Trullanum, *can. 13*, anno 692.

In cælibatum, ad quem Ecclesia Romana suos adstringit ministros, acerbissime invehuntur hæretici sæculi XVI, necnon et recentiores philosophi, qui ob passiones ignominiæ in reprobum sensum traditi, nec donum Dei intelligentes, contendunt, legem cælibatus nuper in Ecclesia subintroductam: legi naturæ, quæ omnes ad connubium inclinat, contrariam: absque miraculo observatu impossibilem: ac proinde Ecclesiæ perniciosam, cum fons sit innumerorum malorum atque scandalorum.

1889. — Prop. I. *Lex continentiæ clericis majoribus imposita, est in Ecclesia antiquissima.*

Prob. I. **Ex Conciliis.** Concilium *Illiberitanum*, can. 33, (an. 304), continentiam clericis præscripsit. « Placuit in totum prohiberi episcopis, presbyteris, et diaconis, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis et non generare filios; quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur. »

Carthaginiense II, can. 2, (an. 390), eamdem renovat legem, et addit: « Ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. »

Arausicanum I, can. 22, (an. 441), statuit: « Deinceps non ordinentur diaconi conjugati; nisi qui prius conversionis proposito professi fuerint castitatem. »

Aurelianense III, can. 2, (an. 538), decrevit: « Nullus clericorum, a subdiacono et supra, qui uxores in proposito suo accipere inhibentur, propriæ, si forte jam habent, misceatur uxori. Quod si fecerit, laica communione contentus, juxta priorum canonum statuta, ab officio deponatur. »

Similia habent *Toletanum I*, an. 400; *Veneticum*, an. 465; *Wormatiense*, an. 868, *Augustanum*, an. 952, etc., sed præsertim *Lateranense II*, an. 1139.

II. **Ex Decretis SS. Pontificum.** *S. Siricius* († 398), ad Himerium scribens, ait: « Christus, Ecclesiæ, cujus sponsus est, formam castitatis voluit splendorem radiare... omnes sacerdotes atque levitæ insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostræ, sobrietati ac pudicitiæ et corda nostra mancipemus et corpora. » — Deinde, agens de clericis incontinentibus, ait: « Ii vero, qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum; noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, apostolicæ sedis auctoritate dejectos, nec unquam posse veneranda attrectare mysteria; quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. »

S. Leo Magnus, in Epist. 92, ad Rusticum Narbonensem, cap. 3, ait: « Lex continentiæ eadem est ministris altaris (diaconis) quæ episcopis atque presbyteris. Qui cum essent laici, sive lectores, licite et uxores ducere et filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenerint gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. »

Et in *Epist. 84*, ad Anastasium Thessalonicensem, c. 4, scribit: « Nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: ut et qui habent uxores, sint tanquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares. »

III. **Ex Traditione.** Scribit *S. Epiphanius, (Hær. 59, n. 4)*: « Eum, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi, aut hypodiaconi Ordinem (Ecclesia) admittit; sed cum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus: quod in illis locis præcipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur. » — Et, *Hær. 48, n. 7*, declarat hanc legem ab Apostolis esse introductam: « Cum (Christus) sacerdotalia munera et ornamenta cum iis, qui post unas nuptias continentiam servaverint, aut in virginitate perstiterint, communicanda esse velut in quodam exemplari monstraverit; id Apostoli deinde, ecclesiastica sacerdotii regula honeste ac religiose decreverunt. »

Affirmat *S. Hieronymus*, suo tempore in tota Ecclesia cælibatum ecclesiasticum viguisse. « Quid, *inquit*, faciunt Orientis Ecclesiæ, quid

Ægypti et Sedis Apostolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt.» (*Cont. Vigilant.* n. 2). — Et *in Epist. ad Pammachium, n. 21,* scribit: « Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici. »

1890. — Prop. II. *Lex continentiæ juri naturali minime adversatur.*

Prob. I. **Ex Script. S.** Quod Christus Dominus commendat, quod Apostoli fidelibus suadent, illud juri naturali nequaquam adversari potest. Atqui, hujusmodi est perpetua virginitas et lex continentiæ. Ait enim Christus, (Matth., XIX, 12): *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum;* quæ verba, ut ex contextu et communi Patrum interpretatione patet, continentiam commendant.

Et Apostolus (I Cor. VII, 7-9) scribit: *Volo enim vos esse sicut meipsum:... dico autem non nuptis et viduis: Bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego: quod si non se continent, nubant.* — Et v. 27, addit: *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* — Et v. 38: *Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit.* Si autem, teste Apostolo, omnibus expedit non nubere, id a fortiori licitum est clericis, qui divino cultui sese omnino mancipaverunt.

II. **Ex Ratione.** Cum ad aliquid natura inclinat, quod ad communem humanæ multitudinis perfectionem pertinet, non omnibus indiscriminatim incumbit obligatio eam sequendi inclinationem; verum sufficit ut sequantur aliqui, per quos illud bonum promoveatur. Cum ergo naturæ ad propagationem inclinatio ad communem generis humani perfectionem pertineat, non omnibus incumbit obligatio isti propagationi invigilandi, sed sat est aliquos per connubium speciem propagare; alii vero, boni publici promovendi causa, a matrimonio recte abstinent. Lex igitur continentiæ ratione majoris boni aliquibus imposita, juri naturæ minime adversatur.

1891. — Prop. III. *Lex continentiæ est statui clericali convenientissima, atque Ecclesiæ utilissima.*

Prob. I. Pars: *Est statui clericali convenientissima.*

Perpetuam continentiam esse statui clericali convenientissimam, ex sacerdotum officiis apprime manifestatur. Enimvero:

I. Excellentissimum ac præcipuum sacerdotum officium est SS. Eucharistiam consecrare, et juge sacrificium Agni immaculati quotidie offerre: quo nihil sanctius dari, nihil altius his in terris peragi potest. Sancta autem sancte tractari debent, secundum illud Isaiæ, LII, 11: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Qua de causa Levitæ Vet. Legis, quando vice sua in templo ministrabant, ab uxoribus separati vivere tenebantur. Proin, convenientissimum est sacerdotes Novæ Legis, non sola mentis sanctitate, sed corporis etiam castimonia fulgere. « Si priscis temporibus, *ait Innocentius I*, de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant *(Levit. XXI, 12)*, sicut de Zacharia legimus, nec domus suas omnino tangebant:... quanto magis hi sacerdotes vel levitæ pudicitiam ex die Ordinationis suæ servare debebunt, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis vel a baptismatis officio vacent! » *(Epist. 2., ad Victricium).*

II. Sacerdotes, cum sint ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei. (I Cor. IV, 1), et pro Christo legatione fungantur, (II Cor. V, 20), cultui divino totos se mancipare, et in eis, quæ Domini sunt, unice occupari tenentur; teste Apostolo (II Tim. II, 3, 4): *Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Porro, qui matrimonio junctus est, cultui divino sese nequit totaliter devovere. *Volo autem vos*, inquit Apostolus, *sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* (I Cor. VII, 32, 33).

III. Sacerdotes orationi et contemplationi operam dare oportet. Sed divinorum contemplatio carnalibus affectibus maxime impeditur. Qua de causa Apostolus (I Cor. VII, 5), ipsos conjugatos, ut ad tempus a conjugali opere orationis gratia abstineant, adhortatur. Convenientissimum igitur est

clericos ab omni opere carnali omnino abstinere. « Si Paulus, *inquit Innocentius I*, ad Corinthios scribit, dicens: *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi*, et hoc utique laicis præcipit: multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. » *(Loc. cit.)*.

IV. Sacerdotes, utpote Dei adjutores (I Cor. III, 9), se totos in proximi utilitatem impendere tenentur, instando verbi Dei prædicationi, sacramenta administrando, fidelium invigilando directioni, Ecclesiæ Dei continuam curam habendo. Alii speciali vocatione a Deo eliguntur, qui infirmos in necessitatibus etiam corporalibus sublevent; alii, qui in medio privationum et persecutionum, imo cum vitæ discrimine, infidelibus evangelium annuntient; omnes vero, ut pro concreditis animabus sese ad instar Apostoli, (II Cor. XII, 15), et impendant et superimpendant. Ast, qua ratione hæc omnia præstare possent sacerdotes, si vinculis conjugalibus astricti, uxoris atque puerorum continuis curis detinerentur?

Prob. II. Pars: *Est Ecclesiæ utilissima.*

Legem continentiæ esse Ecclesiæ, imo et statui civili utilissimam, ex dictis in prima parte prop. manifeste deducitur, cum hæc sacerdotum munera, ad quæ rite obeunda plurimum confert lex continentiæ, suapte natura tam in publicum Ecclesiæ commodum, quam in ipsius societatis civilis emolumentum cedant.

Merito igitur Ecclesia Christi, Spiritu Dei inspirata, eam ministris suis continuam imposuit continentiam, quæ in fronte solius Ecclesiæ Romanæ sacerdotii tanquam gemma pretiosissima fulget, et ex qua, accedente Altissimi gratia, ea jugiter velut e fecunda radice efflorescunt virtutum exempla, iique continuo germinant pro gloria Dei proximique utilitate suscepti labores, quæ nomen Ecclesiæ Romanæ tanta gloria ubique terrarum illustrant.

EXPLICIT TRACTATUS DE ORDINE.

TRACTATUS DECIMUS QUINTUS.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.[1]

Conspectus generalis.

CAP. I. De Matrimonio qua officio naturæ.

CAP. II. De Existentia Sacramenti Matrimonii.

CAP. III. De Natura, Ministro, et Effectibus Matrimonii.
- A. 1. Materia et forma.
- A. 2. Minister.
- A. 3. Effectus.

CAP. IV. De Proprietatibus Matrimonii.
- A. 1. Unitas.
- A. 2. Indissolubilitas.

CAP. V. De Potestate Ecclesiæ circa Matrimonium.

APPENDIX: De Virginitatis præstantia.

[1] **Auctores consulendi:** *S. Thomas,* Suppl., q. 41 et seq. — *S. Alphonsus,* Mor., l. VI, n. 879 et seq.; Cont. hær., sess. XXIV. — *Isambert.* — *Gotti.* — *Tournely.* — *Gonet,* Clyp., De Sacr. Matr. — *Rosset,* de Sacr. Matr. — *Gasparri,* Tract. canonicus de Matr. — *Perrone,* De Matr. — *De Augustinis,* De Matr. — *Marc,* Instit., De Matr. — Catech. Rom., P. II, c. 8.

INTRODUCTIO.

1892. — Quemadmodum per Ordinem sanctificantur homines, qui sacramentorum administratione spiritualem sobolem Deo procurent, ita per sacramentum Matrimonii sanctificantur carnales parentes, quibus, velut ex stirpe sancta, sancta nascatur et educetur progenies, quæ tum civilem societatem, tum corpus Christi mysticum adaugeat.

1893. — Divisio tractatus. — Considerari potest Matrimonium vel quatenus est naturalis conjunctio a Deo in officium naturæ ad humani generis propagationem instituta; vel quatenus est Novæ Legis sacramentum. Proinde, in Cap. I. agemus de Matrimonio quatenus est in officium naturæ. In II. probabitur, Matrimonium a Christo Domino ad dignitatem sacramenti fuisse elevatum. In III. indicabuntur hujus sacramenti natura, minister et effectus. In IV. proprietates matrimonii in lucem ponentur. Demum agetur in V. de Ecclesiæ circa Matrimonium potestate. — Quibus, per modum appendicis, quædam de virginitatis præstantia adjicientur.

—

CAPUT I.

DE MATRIMONIO QUATENUS EST IN OFFICIUM NATURÆ.

1894. — Nominis significatio. — « MATRIMONIUM, *inquit Catech. Rom.*, ab eo dicitur, quod femina ideireo maxime nubere debeat, ut mater fiat: vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus est. CONJUGIUM quoque a conjungendo appellatur, quia legitima mulier cum viro quasi uno jugo adstringitur. Præterea NUPTIÆ, quia, ut inquit S. Ambrosius, pudoris gratia se obnuberent: quo etiam declarari videbatur, viris obedientes subjectasque esse oportere. » *(P. II, c. 8, n. 2).*

1895. — Definitio. — Matrimonium, quatenus contractus naturalis, a Catech. Rom., *(loc. cit., n. 3)*, ex communi theologorum sententia definitur: *Viri et mulieris maritalis con-*

junctio inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.

Dicitur: 1. *Viri et mulieris conjunctio:* id est, unio, quæ non tam corporum quam animorum nexibus perficitur, quibus vir et mulier sese invicem uniunt atque mutuo obligant.

2. *Maritalis:* ad indicandam naturam hujus contractus, qui est omnino sui generis. Per illum enim vir et mulier mutuo sibi tradunt proprii corporis jus et dominium in ordine ad prolis generationem, et fiunt prolis generandæ unum individuum principium, secundum illud Christi Domini, (Matth. XIX, 5, 6): *Et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.*

3. *Inter legitimas personas:* « Quoniam, *ut ait Catech. Rom., loc. cit.*, qui a nuptiarum conjunctione legibus omnino exclusi sunt, ii matrimonium inire non possunt, neque, si ineant, ratum est. »

4. *Individuam vitæ consuetudinem retinens:* quæ verba matrimonii proprietates, unitatem scilicet et indissolubilitatem indicant, de quibus infra sermo erit.

1896. — Essentia. — Matrimonium considerari potest vel *in fieri*, vel *in facto esse*.

1. In fieri, matrimonium essentialiter consistit *in mutuo consensu*, quo vir et mulier mutuum sibi jus in corpora inviolabiliter tradunt. « Causa efficiens matrimonii, *ait Eugenius IV, in decr. pro Arm.*, est mutuus consensus per verba de præsenti regulariter expressus. »

Et re quidem vera, ut conjuges mutuum jus in corpora habeant, prorsus necesse est ut illud ab uno in alium transferatur: quod quidem absque mutuo consensu fieri non posse, perspicuum est.

Debet autem ille consensus esse: *a) de præsenti:* consensus enim de futuro est transferendi juris *promissio*, sed non ipsa translatio, nec viro dominium in mulierem, aut vice versa, confert, nec proinde verum inducit matrimonium; — *b) mutuus:* quia matrimonium non est datio, sed verus contractus, ad quem necessario requiritur consensus ex parte utriusque contrahentis; — *c) sincerus ac interior*, quia agitur de vera juris translatione, quæ fieri nequit nisi actu voluntatis jus in alium transferentis; — *d) externe manifestatus*, sive verbis sive aliis signis; alioquin nec mutua acceptatio foret possibilis, nec de juris translatione unquam constare posset.

2. In facto esse si consideratur Matrimonium, ejus « essentia consistit in vinculo conjugali, quod nunquam per se solvi potest. » *(S. Alph., Mor., VI, 879).* Seu, consistit in *indissolubili vinculo,* quod ex supradicto consensu oritur, et adnexum jus habet in corpus alterius in ordine ad prolis generationem, secundum illud Apostoli, (I Cor. VII, 3, 4): *Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

Matrimonium in vinculo essentialiter consistere, diserte a SS. D. N. Leone PP. XIII affirmatur *(Encycl. Arcanum):* « Istarum (mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia) forma ac figura, *inquit,* illo ipso exprimitur summæ conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se conligantur, *quodque nihil aliud est, nisi ipsum matrimonium.* »

1897. — **NB.** Dicitur: matrimonium esse essentialiter ipsum vinculum cum adnexo jure in corpus compartis. Jamvero jus, quod ad matrimonii essentiam pertinet, est *jus radicale,* non autem istius juris actualis usus. Proinde: *a)* Qui, matrimonium contrahendo, intendunt comparti jus ad actus conjugales non concedere, nullum contrahunt matrimonium, quia nullus adest matrimonialis contractus, nec ullum proinde vinculum. — *b)* Qui vero, matrimonium contrahentes, jus ad conjugales actus vere in se mutuo transferunt, mutuo tamen consensu intendunt jure suo nunquam uti, hi matrimonium vere contrahunt; quia ex una parte verus adest contractus matrimonialis, quo indissolubile inducitur vinculum: et ex altera, usus sui juris ad actus conjugales est quid matrimonium consequens, non autem pars ejus essentialis.

1898. — **Divisio.** — Matrimonium multifariam dividitur. *(Cf. Rosset, n. 11 et seq).* Sufficit pro scopo indicasse Matrimonii distinctionem in *legitimum, ratum,* et *consummatum.*

Legitimum dicitur matrimonium, quod contrahitur a non baptizatis, servatis legibus naturalibus, et probabilius etiam legibus positivis irritantibus a principe latis. *(Cf. n. 1947).* — Naturalis contractûs, non autem sacramenti rationem habet.

Ratum dicitur, quod a christianis celebratur, et rationem habet contractus naturalis simul et sacramenti.

Consummatum dicitur, quod usu interveniente, perfectum atque completum est.

1899. — Matrimonii origo. — Matrimonium est officium, quod non ab hominibus libera voluntate fuit excogitatum, sed quod ortum habet tum ab ipsa hominis natura, tum ab ipso Deo matrimonium in officium naturæ positive instituente. « Semper memoria teneant (populi), *ait SS. D. N. Leo PP. XIII*, matrimonium non voluntate hominum, sed auctoritate nutuque Dei fuisse constitutum. » *(Encycl. Arcanum.)*

1. *Matrimonium est ab ipsa hominis natura.* — « Aliquid dicitur esse naturale dupliciter, *ait S. Th.*, uno modo sicut ex principiis naturæ ex necessitate causatum, ut moveri sursum est naturale igni: et sic matrimonium non est naturale. Alio modo dicitur naturale, ad quod natura inclinat, sed mediante libero arbitrio completur: et hoc modo matrimonium est naturale, quia ratio naturalis ad ipsum inclinat dupliciter.

» Primo quantum ad principalem ejus finem, qui est bonum prolis. Non enim intendit natura solum generationem prolis, sed etiam traductionem et promotionem usque ad perfectum statum hominis... Filius autem a parente educari et instrui non posset, nisi determinatos et certos parentes haberet: quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quæ matrimonium facit.

» Secundo quantum ad secundarium finem matrimonii, qui est mutuum obsequium sibi a conjugibus in rebus domesticis impensum. Sicut enim naturalis ratio dictat ut homines simul cohabitent, quia unus non sufficit sibi in omnibus quæ ad ipsam vitam pertinent, ratione cujus dicitur homo naturaliter politicus; ita etiam eorum quibus indigetur ad humanam vitam, quædam opera sunt competentia viris, quædam mulieribus. Unde natura movet ut sit quædam viri ad mulierem associatio, in qua est matrimonium. » *(Suppl., q. 41, a. 1).*

2. *Matrimonium est positive a Deo institutum.* — « In primis docendi sunt fideles, *ait Catech. Rom., (n. 10)*, matrimonium a Deo institutum esse; scriptum est enim in Genesi (I, 27, 28): *Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini.* Et (II, 18):

Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adjutorium simile sibi. Ac paulo post (II, 21): *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, quumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una.* » Quæ postrema verba quasi a Deo prolata repetit ipse Christus, apud Matth. XIX, 5, et concludit, (v. 6): *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

1900. — Corollaria. *Ex dictis sequitur:*

I. Contractum matrimonialem esse simul de jure naturali, quia natura ad illum inclinat; et simul de jure divino positivo, quia Deus ipsum immediate instituit, eique essentiales suas proprietates, unitatem scilicet et indissolubilitatem, positiva voluntate indidit.

II. Contractum matrimonialem essentialiter esse sacrum quid ac religiosum. « Cum matrimonium habeat Deum auctorem, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII*, fueritque vel a principio Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. » *(Encycl. Arcanum.)* — Igitur, etiam qua contractus naturalis, est « matrimonium sua vi, sua natura, sua sponte sacrum. » *(Loc. cit.)*

1901. — Fines Matrimonii. — « Tres fines, *ait S. Alph. (Mor., VI, 882)*, in Matrimonio considerari possunt, fines intrinseci essentiales, intrinseci accidentales, et fines accidentales extrinseci. »

1. « Fines intrinseci essentiales sunt duo, traditio mutua cum obligatione reddendi debitum, et vinculum indissolubile ». Proinde: « certum est quod si quis contraheret, positive excludendo fines intrinsecos substantiales matrimonii, nempe animo non reddendi debitum, (idest non conferendi jus), vel contrahendi ad tempus, non solum peccaret, sed nullum iniret matrimonium. »

2. Fines intrinseci accidentales pariter duo sunt, nempe: procreatio prolis, et concupiscentiæ remedium.

a) Procreatio prolis, tum ad genus humanum propagandum, tum ad veros adoratores Deo procurandum. « Voluit providentissimus Deus, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII*, ut illud par conjugum esset cunctorum hominum naturale principium, ex quo scilicet propagari humanum genus, et, nunquam intermissis procreationibus, conservari in omne tempus oporteret. » *(Encycl. Arcanum.)*

b) Remedium concupiscentiæ, quem ad finem ordinatum est Matrimonium post Adami lapsum; « ut scilicet, *ait Catech. Rom., n. 14*, qui sibi imbecillitatis suæ conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur. De quo ita Apostolus scribit (I Cor. VII, 2): *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat.* Ac paulo post, quum docuisset, interdum orationis causa a matrimonii debito abstinendum esse, subjecit: *Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* »

3. Fines accidentales extrinseci plures esse possunt, ut pacis conciliatio, acquisitio nobilitatis, honoris familiæ conservatio, etc. « Quod si ad eas (essentiales) causas alias etiam accedant, *ait Catech. Rom., n. 14*, quibus homines inducti matrimonium ineant... ut heredis relinquendi desiderium, divitiæ, forma, generis splendor, morum similitudo: hujusmodi sane rationes damnandæ non sunt, quum matrimonii sanctitati non repugnent. »

CAPUT II.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI MATRIMONII.

1902. — Definitio. — Matrimonium, qua sacramentum, definitur: *Contractus matrimonialis a Christo Domino ad dignitatem sacramenti erectus.* Describi potest: « Contractus baptizatorum legitimus et indissolubilis inter virum et feminam, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas, in ordine ad actus de se aptos ad prolis generationem, elevatus

a Christo ad dignitatem sacramenti, et conferens gratiam ex opere operato. » *(Marc, n. 1962)*. Quæ descriptio jam est ex dictis manifesta.

1903. — Tempus institutionis. — De tempore, quo Christus matrimonium ad sacramenti dignitatem evexit, non constat. Docent alii, ipsum tunc fuisse in ratione sacramenti institutum, quando Christus nuptiis Canæ interfuit; alii vero, quando illud in pristinum suum statum reduxit. ut narratur apud Matth. XIX. *(Cf. S. Alph., Cont. hær., Sess. XXIV, n. 9)*.

1904. — Errores. — *Gnostici* et *Manichæi*, considerantes Matrimonium ut quid inhonestum atque a malo principio invectum, eidem sacramenti dignitatem denegabant.

Protestantes Matrimonium inter christianos initum non ut quid malum tenent, rationem tamen sacramenti ei recusant.

Regalistæ, et nuperrime Nuytz, in regio Taurinensi athenæo professor [1], Matrimonium sacramentum esse docent: ast simul contendunt, sacramentum esse aliquid contractui accessorium, atque ab eo ita separabile, ut vi contractus mere civilis possit inter christianos constare veri nominis matrimonium, quin sit sacramentum.

1905. — Prop. I. *Matrimonium christianorum, legitimo ritu celebratum, est verum et proprie dictum Novæ Legis sacramentum* [2].

De fide, ex Trid., XXIV, can. 1: « Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus inventum, neque gratiam conferre: A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Eph. V, 25 et seq.): *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.... Propter hoc relinquet homo*

[1] Cf. Litt. Apost. *Ad Apostolicæ Sedis*, Pii IX, 22 Aug. 1851. — [2] Cf. S. Alph., *Cont. hær.*, XXIV, n. 6-10; Bellarm., *De Matr.*, c. 2; Rosset, n. 33; De Augustinis, *De Matr.*, art. 1.

patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.

Autumant theologi sat multi, non posse ex citatis verbis invicte probari Matrimonium esse verum sacramentum, ea præcipue ratione, quod in textu græco non legitur *sacramentum hoc*, sed *mysterium hoc magnum est*. — Alii contra affirmant et merito quidem, posse ex his verbis probari Matrimonio rationem veri sacramenti competere. Enimvero, ad rationem sacramenti tria requiruntur et sufficiunt, nimirum, ut adsit signum sensibile, signum significans et producens gratiam, et institutio Christi.

Adesse in Matrimonio signum sensibile, mutuum scilicet consensum externe manifestatum, probatione non indiget: siquidem absque tali consensu non initur Matrimonium.

Adesse institutionem Christi patebit, cum probatum erit, Matrimonium ex opere operato causare gratiam, cujus productionem solus Deus signo sensibili adnectere potest.

Unum igitur probandum est, scilicet: Matrimonium esse signum speculativum rei sacræ, et signum practicum productionis gratiæ.

a) Est signum speculativum rei sacræ; conjunctionis scilicet Christi cum Ecclesia: *Sacramentum hoc magnum* est, inquit Apostolus, *ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* « Septimum est sacramentum Matrimonii, *ait Conc. Florent.*, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc*, etc.

Et *SS. D. N. Leo PP. XIII*, ait: « Ob hanc causam Matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. » *(Encycl. Arcanum).*

b) Est signum practicum productionis gratiæ. — Sacramenta efficiunt quod significant. Porro Matrimonium, seu mutuus consensus, quo in unum uniuntur vir et mulier, significat Christi cum Ecclesia unionem. Efficit ergo unionem maritalem unioni Christi cum Ecclesia similem. Sed hæc efficitur per gra-

tiam; ergo etiam per gratiam habetur, ut unio inter conjuges sit imago unionis Christi cum Ecclesia.

Præterea, ait Apostolus: *Viri, diligite uxores, sicut et Christus dilexit Ecclesiam;* sed dilectio supernaturalis, qualis hæc est, nonnisi per gratiam habetur. Inde recte deducimus, gratiam, quacum dilectio supernaturalis connectitur, sponsis Matrimonii susceptione conferri.

Ad hoc, Apostolus ait de muliere (I Tim. II, 15): *Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione, cum sobrietate.* Hæc autem sunt dona in Matrimonio collata, et in gratia fundantur.

Demum, gratiam in Matrimonio infundi, ex ejus indissolubilitate et fine erui potest. « Credi non potest, *ait S. Alph.*, Dominum Matrimonium constituisse indissolubile, quin gratiam ei adnecteret; quia absque divino adjutorio vires humanæ impares forent huic observandæ indissolubilitati. Præterea, Matrimonium absque gratia non sufficiens suppeditaret remedium contra fomitem concupiscentiæ; quandoquidem in Matrimonio hic multo facilius accendatur quam extinguatur. » *Cont. hær., XXIV, n. 10).*

Quas omnes rationes innuit Trid., dicens, *(prolog. ad Matr.):* « Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit, dicens: *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea:* mox subjungens: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* »

II. **Ex Conciliis.** In Conc. *Veronæ* celebrato, an. 1181, Lucius P. III, decrevit: « Universos, qui de sacramento corporis et sanguinis D. N. Jesu Christi, vel de Baptismate, seu peccatorum remissione, aut de Matrimonio, vel de reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat et observat...; vinculo perpetui anathematis innodamus. »

In *Lugdunensi II*, an. 1274, in confessione fidei Græcis præscripta, legimus: « Tenet etiam et docet eadem S. Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet Baptisma.... *aliud est Matrimonium.* » *(Denz., n. 388).*

In *Constantiensi*, an. 1418, inter articulos de quibus suspecti errorum Wieleffi interrogandi erant, legimus, art. 19: « Utrum credat, quod christianus contemnens susceptionem sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, aut solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter. » *(Denz., n. 563).*

Florentini et Tridentini decreta omnibus nota sunt.

III. **Ex Traditione.** Ex Patribus: *a)* Alii Matrimonium explicite vocant *sacramentum, sacramentum nuptiarum.*

« Quoniam sane non tantum fecunditas, *inquit S. August.*, cujus fructus in prole est; nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides; verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis. » *(De nupt. et concup., l. I, c. 10, n. 11).* Deinde S. August. Matrimonium cum Baptismo comparat, et ex sacramenti ratione omnimodam ejus indissolubilitatem arguit.

b) Alii docent Matrimonium *in gratia fundari, gratiam conferre.*

« Statuimus, *ait S. Innocentius I*, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus gratia divina fundatum; conventumque secundæ mulieris, priore superstite.... nullo pacto posse esse legitimum. » *(Ep. 36, ad Probum).*

S. Ambrosius: « Cognoscimus velut præsulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui; et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam solvat. Et ideo quia in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittit consortium. » *(De Abrah., l. I, c. 7, n. 59).*

c) Alii matrimonium ut *rem sacram* habent, quæ ad Ecclesiæ curam pertinet.

Ait *S. Ignatius M.:* « Decet ut sponsi et sponsæ de sententia episcopi conjugium faciant, ut nuptiæ secundum Dominum sint, non secundum cupiditatem. » *(Ep. ad Polycarp., n. 5).*

Et *Tertullianus:* « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet. » *(Ad Uxorem, l. II, n. 8).* Quibus ex verbis patet, nuptias jam tempore Tertulliani inter Missarum solemnia, et cum sacerdotis benedictione celebratas esse.

d) Alii demum docent, *Christum Matrimonium constituisse, eique benedixisse.*

Ait *S. Epiphanius:* « Venerabiles esse nuptias ac Dei aspirante gratia cœleste regnum obtinere quis vel ex eo non agnoscat, quod ad

nuptias invitatus Salvator ipse fuerit, ut iis benediceret?.... Quamobrem venerabiles nuptiæ sunt, cum eas ipse constituerit.» *(Hær. 67, n. 6).*

S. Maximus Taur.: «Vadit ergo ad nuptias Dei Filius, ut, quas dudum potestate constituit, tunc præsentiæ suæ benedictione sanctificet.» *(Hom. 23).*

Quæ testimonia plane commonstrant, S. Patres Matrimonium non tanquam rem profanam, sed veluti sacram prorsus et verum sacramentum considerasse.

NB. Deberet etiam in medium afferri argumentum præscriptionis; sed de eo satis actum est *n. 1434.*

1906. — Prop. II. *Sacramentum non est aliquid accidentale matrimoniali contractui superadditum: sed est ipsemet contractus ad dignitatem sacramenti elevatus.*

Certa, ex declaratione SS. Pontificum. — SS. D. N. Leo PP. XIII oppositam doctrinam vocat *dogmaticum errorem, pluries ab Ecclesia damnatum.* (Litt. 1 Jun. 1879, ad Archiep. et Episc. prov. Taurin.).

Prob. I. **Ex Florentino,** dicente: «Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.» Atqui, Florentinum loquitur de Matrimonio quatenus sacramento. Ergo ipse mutuus consensus seu ipse contractus sacramentum constituit.

II. **Ex Declaratione SS. Pontificum.**

Pius VI, (in litt. ad Ep. Motul., 16 Sept. 1788), ait: «Dogma fidei est, ut Matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum ex septem Legis Evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum.... Contractum matrimonialem esse vere et propie unum ex septem Legis Evangelicæ sacramentis.»

Pius IX damnavit hanc propositionem *(Syll. 66):* «Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.» — Et in litteris ad Regem Sardiniæ, (19 Sept. 1852), ait: «Dogma fidei est Matrimonium a. J. Ch. D. N. ad dignitatem sacramenti esse elevatum; atque doctrina Ecclesiæ catholicæ, sacramentum non esse qua-

litatem accidentalem contractui superadditam, sed de ipsa Matrimonii essentia esse. »

SS. D. N. Leo PP. XIII, (Encycl. *Arcanum),* docet: « Nihil magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adjunctum, aut proprietatem illapsam extrinsecus, quæ a contractu disjungi ac disparari hominum arbitratu queat. »

III. **Ex Ratione.** Id, quod est materia et forma sacramenti, sacramentum essentialiter et intrinsece constituit. Atqui materia et forma sacramenti Matrimonii, ut infra dicetur *(n. 1912),* est ipse contractus matrimonialis, seu mutuus conjugum consensus. Contractus ergo essentialiter et intrinsece constituit sacramentum Matrimonii; ac proinde ratio sacramenti nequit esse aliquid contractui adventitium.

1907. — Corollaria. *Ex dictis quædam magni momenti corollaria sequuntur.*

Sequitur I. Nullam admitti posse realem distinctionem contractum inter et sacramentum; quod enim est contractus, id ipsum est sacramentum. « Connubiale ligamen, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* religione sanctificatum, una fit res cum sacramento, et cum eo unum individuum constituit subjectum, et unicam substantiam. » *(Ep. 1 Jun. 1879).*

Sed solam distinctionem virtualem inter ea existere; eadem enim substantia, qua contractus, rationem habet officii naturæ; qua vero sacramentum, rationem signi rei sacræ gratiam ex opere operato producentis.

Sequitur II. Matrimonium inter christianos initum nunquam posse validum esse in ratione contractus, quin sit simul sacramentum; ac proinde, si non est sacramentum, nec contractum esse, nec verum Matrimonium. Ratio, quia contractus est materia et forma sacramenti; positis autem materia et forma validis, necessario efficitur sacramentum.

Constat etiam *ex prop. 73 Syll:* « Falsum est aut contractum Matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur. »

Et *SS. D. N. Leo PP. XIII,* (Encycl. *Arcanum),* ait: « Non potest hujusmodi distinctio, seu verius distractio probari; cum

exploratum sit in Matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit Matrimonium: Matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure... Itaque apparet, omne inter christianos justum conjugium in se et per se esse sacramentum. »

Sequitur III. Non posse ipsam Ecclesiam in christianorum Matrimonio contractum a ratione sacramenti ita separare, ut Matrimonium valeat in ratione contractus, quin sit sacramentum. Ratio, quia Ecclesia non pollet potestate impediendi quominus, cum adsunt omnia essentialia ad sacramentum requisita, sacramentum perficiatur. Porro, ex positiva Christi institutione, in valido matrimoniali contractu adsunt omnia essentialia ad sacramentum requisita.

Habet equidem Ecclesia, ut infra dicetur, *n. 1941*, jus impedimenta dirimentia statuendi; sed per hæc Matrimonium impeditur tam in ratione contractus quam in ratione sacramenti.

Sequitur IV. In regionibus, in quibus viget decretum Concilii Tridentini de Matrimonii clandestinitate, Matrimonium civile de se nullius esse valoris; eos proinde, qui matrimonialem contractum coram sola civili auctoritate ineunt, in turpi vivere concubinatu.

Constat *ex damnata prop. 73 Syll.:* « Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis Matrimonium. « — Et *ex prop. 71:* « Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat et velit hac nova forma interveniente Matrimonium valere. »

Idem probatur ex verbis *Pii IX.* (Alloc. *Acerbissimum*, 27 Sept., 1852): « Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem Evangelicæ Legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles Matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, præter sacramentum, conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum. »

Sequitur V. Matrimonium ab hæreticis valide contractum, *velint, nolint*, esse semper sacramentum; quia ex Christi institutione ratio sacramenti est a ratione validi contractus inseparabilis. Quod autem Deus inseparabiliter conjunxit, ab homine separari nequit. Quoties igitur hæretici in contractum consentiunt, etiam si positive sacramentum excluderent, sacramentum suscipiunt: nisi tantum prævaleat exclusio sacramenti, ut mallent contractum non inire, potius quam recipere sacramentum: quo in casu nec sacramentum reciperent, nec contractum validum inirent.

1908. - **Quæritur I.** *An Matrimonium in infidelitate valide contractum fiat sacramentum, quando unus vel ambo conjuges ad fidem convertuntur?*

Resp. I. In confesso est apud omnes, Matrimonium in infidelitate contractum non esse sacramentum proprie dictum; deest enim in infidelibus character baptismalis, qui necessario prærequiritur.

II. Si nonnisi unus conjugum convertatur, altero in infidelitate remanente, Matrimonium non elevari ad dignitatem sacramenti pro conjuge fideli, ab omnibus ut certum tenetur. Si enim efficeretur sacramentum, nunquam posset conjux fidelis, ob omnimodam vinculi indissolubilitatem, quæ ex ratione sacramenti exsurgit, ad novas nuptias convolare, vivente conjuge infideli: quod ei tamen aliquibus in casibus licitum est. *(Cf. n. 1931).*

III. Si ambo conjuges ad fidem convertantur Baptismumque suscipiant, an Matrimonium antea contractum fiat sacramentum, controvertitur.

Negant Isambertus, Vasquez, Conink, Frassen, Salmanticenses, Tournely, Billuart, Gasparri, aliique.

Affirmant Bellarminus, Valentia, Tanner, Gotti, Perrone, Rosset, Palmieri, aliique.

1909. — Utraque sententia est probabilis; attamen negans, utpote firmiori fundamento nisa, probabilior videtur. Enimvero:

Quod a Christo Domino ad esse sacramentale elevatum est, ac proinde sacramentum proprie dictum constituit, est *Matrimonium in fieri*, seu ipse contractus in fieri, quo conjuges hic et nunc jus in corpora mutuo sibi transferunt. At Matrimonium *in facto esse*, seu vinculum matrimoniale, est effectus contractûs et sacramenti, nec dici potest sacramentum nisi sensu quodam lato et improprio. Porro, contractus in fieri transit cum actu, et solum remanet vinculum. Quod autem physice non amplius existit, non potest ad esse sacramentale elevari. Cum igitur contractus matrimonialis *in fieri* physice non am-

plius existat, cum conjuges infideles Baptismum suscipiunt, fieri nequit ut eorum Matrimonium ad esse sacramentale elevetur.

1910. — Nec dici potest cum affirmantis sententiæ patronis, consensum in hujusmodi infidelibus virtualiter perseverare, ac proinde elevari posse ad dignitatem sacramenti per Baptismi susceptionem; haud secus ac in iis, qui ob impedimentum occultum invalide Matrimonium contraxerunt, consensus moraliter perseverans fit sacramentum, quando intervenit sanatio in radice. Nam in hoc ultimo casu, nullus adfuit contractus validus; ac proinde, interveniente sanatione, contractus vi præcedentis consensus virtualiter perseverantis actu initur, jus mutuum in corpora hic et nunc actu transfertur; uno verbo, adest Matrimonium *in fieri*, et consequenter verum sacramentum. E contra, validus fuit infidelium contractus; ac proinde, interveniente Baptismo, vi consensus virtualiter perseverantis nullus initur contractus; et consequenter nullum tunc adest Matrimonium in fieri, quod solum ad esse sacramentale elevari potest.

Neque dicatur, Matrimonium antea contractum fieri sacramentum per renovationem consensus: siquidem illa consensûs renovatio nullum ponit novum contractum, qui possit sacramentum fieri. Ut enim detur contractus, requiritur mutua translatio juris in corpora. Sed jam facta est illa translatio vi primi contractus; et cum non sit in hominis potestate contractum matrimonialem dirimere, jus semel translatum remanet translatum, nec potest de novo transferri. Unde renovatione consensus nullus potest fieri novus contractus, nec consequenter sacramentum, cum essentialis ejus deficiat materia.

Neque dici potest, ad suavem Dei providentiam pertinere hujusmodi conjuges gratiis sacramentalibus non privari: ac proinde consentaneum esse, eorum Matrimonium ad dignitatem sacramenti elevari. Hujusmodi enim conjuges, etsi gratiis sacramentalibus proprie dictis careant, non privantur tamen necessariis auxiliis, quibus et officio sancte fungi et Matrimonii fines salutariter consequi valeant. Deus enim, qui nemini deest in necessariis, ipsis, sacramento citra propriam culpam carentibus, alias elargitur sufficientes gratias, quibus Matrimonii fines obtineant.

Neque demum dici potest, omnimodam indissolubilitatem, quam horum Matrimonium consequitur per Baptismum, arguere illud evasisse sacramentum. Nam optime respondetur, majorem illam et omnimodam indissolubilitatem oriri non ex Matrimonii sacramento, sed ex eo quod Baptismi susceptione cessavit pro illis exceptio a divina lege introducta.

1911. — **Quæritur II.** *An quando, accedente dispensatione, fidelis cum infideli Matrimonium contrahit, Matrimonium ex parte fidelis habeat rationem sacramenti.*

Resp. Duplex adest sententia; utraque probabilis.

Prima negat. Ratio præcipua est, quia sacramentum est ipse contractus, quatenus initur a personis ad sacramentum suscipiendum aptis. Cum autem contractus essentialiter sit inter duos, et unus contrahentium, utpote suscipiendi sacramenti incapax, non possit in casu præbere contractum qui sit materia valida, nequit contractus ad sacramenti dignitatem elevari.

Verum non cogit hæc ratio: ex parte enim baptizati contractus omnia videtur possidere elementa, ut fieri possit sacramentum. Proinde, contractus rationem sacramenti habere potest in baptizato, quamvis non in infideli.

Altera affirmat. Ratio præcipua est Ecclesiæ agendi modus, quæ nunquam, quamlibet ob causam, etiam si infidelis cohabitare renuat, vel conjugem contumeliis afficiat aut ad peccatum trahere conetur, fideli alias nuptias inire permittit, vivente adhuc conjuge infideli; quod tamen eo in casu conjugi fideli ab infidelitate ad fidem converso permittit. In Matrimonio igitur fidelis cum infideli Ecclesia majorem agnoscit indissolubilitatem, quam in Matrimonio inter infideles; quæ major indissolubilitas aliunde, quam ex sacramento, provenire nequit.

Sed neque hæc ratio est cogens. Ut enim supra dictum est, secundum probabiliorem sententiam, quando duo infideles ad fidem convertuntur, eorum Matrimonium non fit sacramentum, et tamen Baptismo ita indissolubile redditur, ut Matrimonium christianorum.

CAPUT III.

DE NATURA, MINISTRO, ET EFFECTU MATRIMONII.

ARTICULUS I.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI MATRIMONII.

1912. — Quæ sint Matrimonii materia et forma, ex iis quæ hactenus dicta sunt, facile colligitur. Sacramentum enim, ut dictum est, est ipse contractus ad esse sacramentale a Christo Domino elevatus. « Sicut igitur, *ait S. Alphonsus,* in aliis contractibus res sunt materia remota, consensus expressus per verba est forma, et traditio rei est materia proxima contractus; ita in Matrimonio, corpora (sive jus in corpora) sunt materia remota, consensus expressus per verba est forma; ipsa autem traditio juris in corpora est materia proxima, quæ fit per ap-

plicationem formæ ad materiam remotam, nempe ad jus quod transfertur. » *(Mor., IV, n. 880).* — Igitur:

I. *Materia remota* sunt contrahentium corpora mutuo tradenda, sive jus mutuum in corpus alterius in ordine ad prolis generationem. *Ita omnes.*

II. *Materia proxima*, secundum alios, sunt ipsa contrahentium verba, quatenus traditionem corporum exprimunt; secundum alios vero, est ipsa juris in corpora traditio, verbis seu signis consensum exprimentibus facta. Quæ duo in idem ferme reincidunt.

III. *De forma* controvertitur. Pendet quæstionis solutio ab hac altera, scilicet: *quisnam sit hujus sacramenti minister, utrum ipsi contrahentes, an sacerdos nuptias benedicens?*

Qui sacerdotem ministrum dicunt, docent formam sitam esse in verbis sacerdotis: *Ego conjungo vos in Matrimonium*, etc.

Qui vero ipsos contrahentes ministros dicunt, docent, formam esse ipsam mutuam corporum acceptationem, verbis aut signis expressam: vel, ut aliis magis placet, esse ipsa contrahentium verba, quatenus acceptationem traditionis corporum exprimunt.

ARTICULUS II.

DE MINISTRO MATRIMONII [1].

1913. — Præeunte Melchiore Cano *(De loc. theol., l. 8, c. 5)*, docuerunt nonnulli theologi, ut Tournely *(De Matr., q. 3, a. 2)*, Estius *(4. Sent., D. 26, § 10)*, Sylvius *(In Suppl., q. 42, a. 1, q. 1)*, Matrimonii ministrum esse sacerdotem nuptias benedicentem; inde docuerunt Matrimonium, in absentia sacerdotis contractum, esse validum in ratione contractus, ast non esse sacramentum.

Communis tamen cum antiquiorum tum recentiorum sententia est, ipsos contrahentes esse ministros Matrimonii, tam in ratione contractus quam in ratione sacramenti.

[1] Cf. S. Alph., Dissert. *De ministro Matrim., Mor.*, VI, n. 897; *Cont. hær.*, sess. XXIV, n. 38 et seq.; S. Th., *Suppl.*, q. 45, a. 5.

1914. — Prop. *Ipsi contrahentes sunt ministri sacramenti Matrimonii.* — **Certa et communis.**

Prob. I. **Ex Tridentino,** *Sess. XXIV, De Reform., c. 1.* — *a)* Constat ex Trid., Matrimonia clandestina, id est, sine præsentia parochi contracta, olim fuisse *vera* et *rata.* — Præterea, adhuc hodiedum Ecclesia tanquam valida et rata tenet Matrimonia clandestina iis in locis inita, in quibus decretum tridentinum de clandestinitate non fuit promulgatum. Atqui Matrimonium a christianis initum non potest esse validum in ratione contractus quin sit sacramentum. *(Cf. n. 1906 et 1907).* Matrimonia igitur illa clandestina fuerunt olim et adhuc sunt aliquibus in locis vera sacramenta. Ergo minister non potest in illis esse sacerdos, cum nullus adsit; restat proinde ipsos contrahentes esse ministros.

b) In clausula, qua Tridentinum irritum declarat Matrimonium clandestinum, dicitur: *Qui aliter quam præsente parocho.... contrahere attentabunt.... inhabiles reddit, et hujusmodi contractus nullos esse decernit.* « Non dicitur, *ait S. Alph.,* qui aliter quam præsente parocho et verba proferente. sed tantum: *qui aliter quam præsente parocho;* si igitur non irritatur Matrimonium tacente parocho, sed tantum absente: ergo verba parochi non sunt de essentia matrimonii, et consequenter ipse non est ejus minister. » *(Mor., VI, n. 897, 3).*

c) Tridentinum, *ait S. Alph., (loc. cit., 4),* « dum nuptiæ ineuntur, imponit parocho ut dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo, etc.;* ac deinde subjungit: *vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Si autem Concilium reputasset parochum esse Matrimonii ministrum, quomodo ei potuisset præscribere pro forma quæcumque verba, quæ sunt juxta ritum receptum uniuscujusque provinciæ? »

II. **Ex Florentino.** Ait Florentinum: « Septimum est sacramentum Matrimonii.... Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. » — « Si igitur, *addit S. Alph.,* contrahentes per consensum verbis expressum sunt causa efficiens Matrimonii, ipsi ergo sunt ministri, non solum contractûs (ut aliqui perperam explicant), sed etiam sacramenti; nam Concilium suscipit expli-

candum non quidem contractum, sed sacramentum, dicens: *septimum est sacramentum Matrimonii.* » *(Loc. cit., 2).*

III. **Ex Ratione.** Cum duæ formalitates ab invicem inseparabiles in unam eamdemque substantiam concurrunt, qui est causa substantiæ sub ratione unius formalitatis, est etiam ejus causa sub ratione alterius. Atqui, ex una parte, in christianorum Matrimonio, ratio sacramenti est, ex institutione Christi, a ratione contractûs inseparabilis, et ex altera, ipsi contrahentes sunt ministri Matrimonii sub ratione contractûs. Ergo sunt etiam sub ratione sacramenti.

ARTICULUS III.

DE EFFECTIBUS MATRIMONII.

1915. — Effectus Matrimonii alii fluunt ex ipsa conjugii natura, alii ex sacramenti efficacia.

I. *Ex ipsa natura contractus conjugalis sequuntur:*

1. Vinculum indissolubile, de quo infra dicetur *(n. 1926 et seq.).*

2. Mutua translatio juris in corpora, in ordine ad prolis procreationem.

3. Obligatio mutuæ fidelitatis, vi cujus commercium cum aliena persona rationem induit injustitiæ.

4. Obligatio susceptam prolem recte educandi.

5. Obligatio cohabitationis atque mutui adjutorii.

II. *Virtute sacramenti conferuntur:*

1. Gratiæ sanctificantis augmentum ex opere operato. Est enim Matrimonium vere sacramentum et quidem vivorum. Proinde, qua sacramentum, gratiam ex opere operato producit; qua sacramentum vivorum, per se secundam gratiam operatur.

2. Gratiæ sacramentales, seu jus ad auxilia actualia, quibus conjugati indigent tum ad munera et officia sua sancte et salutariter obeunda, tum ad tribulationem carnis, quam patientur, christiane tolerandam; ita ut in ipso conjugio sanctitatem adipiscantur, atque Ei, cujus unionis cum Ecclesia ipsorum unio præ se fert imaginem, fideliter semper adhæreant.

CAPUT IV.

DE MATRIMONII PROPRIETATIBUS.

1916. — « Illa viri et mulieris conjunctio, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas præ se tulit proprietates, nimirum *unitatem* et *perpetuitatem.* » (Encycl. *Arcanum*).

Proinde, in art. I. de Matrimonii unitate; in II. de ejus indissolubilitate dicetur.

ARTICULUS I.

DE MATRIMONII UNITATE.

1917. — Matrimonii *unitas,* quæ etiam *monogamia* dicitur, est *conjunctio unius cum una.* — Opponitur ei tum *polyandria,* quæ est conjunctio unius uxoris cum pluribus viris; tum *polygamia,* quæ est conjunctio unius viri cum pluribus uxoribus.

Polygamia et *polyandria* sunt vel *successivæ* vel *simultaneæ.* — *Simultaneæ,* cum eodem tempore mulier plures viros, seu vir plures uxores habet; *successivæ,* cum, mortuo uno conjuge, alter ad secundas nuptias convolat.

1918. — **NB.** De polyandria simultanea nihil in speciali dicendum est, cum apud omnes constet eam esse lege naturali omnino prohibitam, utpote primariis matrimonii finibus adversantem. Impeditur enim plerumque per eam prolis conceptio; et si forte nascitur infans, incertus fit pater, cujus cura necessaria est educationi, et consequenter incerta patris obligatio ad filium educandum; demum, cum in familia multa tunc adforent capita, destrueretur societatis domesticæ gubernium. Qua de causa, apud omnes etiam perditissimas gentes, prostitutio, quæ ad polyandriam reducitur, infamis semper et flagitiosa habita est.

Dicemus igitur tantum de polygamia simultanea, et de polygamia et polyandria successiva.

§ 1. *De Polygamia simultanea.*

1919. — Docuit *Lutherus* polygamiam simultaneam nulli juri naturali adversari, eamque non solum sub Lege Mosaica, sed etiam sub Lege Evangelica esse licitam; quocirca, assentientibus Melanchtone, Bucero, aliisque asseclis, indulsit Philippo, Hessiæ Landgravio, ut vivente prima conjuge, secundam duceret.

Polygamiam simultaneam admittunt etiam *Anabaptistæ*, et *secta Mormonum*, quæ nostro sæculo exorta est.

Calvinus ex adverso contendit, polygamiam simultaneam, utpote primariis legis naturalis præceptis adversantem, nunquam, nequidem in Lege Mosaica, fuisse licitam; proinde, veteres Patriarchas, qui plures habuerunt uxores, reos fuisse adulterii, quod eis tamen, utpote prædestinatis, in culpam non imputabatur.

Durandus, cum aliis paucis, autumavit polygamiam nulla naturali lege prohiberi.

Docet vero communis Doctorum sententia, polygamiam simultaneam non esse quidem contra primaria legis naturalis præcepta, in quibus nulla unquam dari potest dispensatio, nequidem ab ipso Deo; esse tamen contra secunda ejusdem præcepta, quæ ex primariis tanquam conclusiones derivantur, et in quibus a Deo dari potest dispensatio.

1920. — Prop. I. *Polygamia simultanea non primariis, sed secundis legis naturalis legibus adversatur.* — Certa.

Prob. Illud, quod primarium matrimonii finem non tollit, sed fini tantum secundario adversatur, non est contra primaria legis naturalis præcepta, bene vero contra secunda. Jam vero, tale quid est polygamia simultanea. Ergo polygamia simultanea legi naturali adversatur, non quidem in primariis ejus præceptis, sed in secundis.

Prob. min. Primarius matrimonii finis est prolis generatio et educatio; finis secundarius est pax, tranquillitas, cohabitatio, mutuum obsequium, etc. Atqui « pluralitas uxorum, *ait S. Th.*, neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit Ma-

trimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fecundandis, et educandis filiis ex eis natis. Sed secundarium finem etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, ex eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur; cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem: sicut figuli corrixantur ad invicem, et similiter plures uxores unius viri.... Et ideo patet ex dictis quod pluralitas uxorum quodammodo est contra legem naturæ, et quodammodo non.» *(Suppl., q. 65, a. 1).*

Et, *(art. 2)*, addit: « Pluralitas uxorum esse dicitur contra legem naturæ, non quatenus ad prima præcepta ejus, sed quantum ad secunda, quæ quasi conclusiones a primis præceptis derivantur. »

1921. — Prop. II. *Polygamia simultanea est contra primitivam Matrimonii institutionem.* — Sententia communis.

Prob. I. **Ex Script. S.** Adamus videns Evam, exclamavit (Gen. II. 23, 24): *Hoc nunc os ex ossibus meis... Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una.* Hæc verba monogamiam ex divina institutione manifestare, testatur Trident. *(prol. ad Matr.):* « Hoc autem vinculo, *inquit*, duos tantummodo copulari et conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata referens, dixit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* (Matth. XIX, 6). »

II. **Ex Declaratione SS. D. N. Leonis PP. XIII:** « Idque, *ait*, declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina Jesu Christi auctoritate, qui Judæis et Apostolis testatus est, Matrimonium ex ipsa sua institutione duntaxat inter duos esse debere. » (Encycl. *Arcanum*).

III. **Ex Traditione.** Ait S. *Chrysostomus:* « Animadverte autem illum (Christum) non a creatione solum illud affirmare, sed et a præcepto ejus. Non enim dixit, ipsum fecisse unum tantum hominem unamque mulierem; sed etiam præcepisse, ut unus uni copularetur. » *(In Matth., Hom. 62. n. 1).*

S. Hieronym.: « Una costa a principio in unam uxorem versa est. *Et erunt*, inquit, *duo in carne una*, non tres, neque quatuor; alioquin jam non duo, sed plures. Primus Lamech, sanguinarius et homicida, unam carnem in duas divisit uxores; fratricidium et bigamiam eadem cataclysmi pœna delevit. » *(Contr. Jovinian., l. I, n. 14).*

Ven. Beda: « Lamech uxores legitur accepisse duas contra decretum ejus qui dixit: *erunt duo in carne una.* » *(Hexam., l. II).*

Theophylactus: « Quid igitur Christus? Ostendit, opus et legislationem ejus qui nos a principio formavit, esse monogamiam. Ab initio enim unum conjunxit Deus uni; atque ita non oportet unum virum conjungi multis mulieribus, neque mulierem unam multis viris; sed eos sicut ab initio conjuncti fuerunt manere. » *(In Matth. XIX, 3-6).*

1922. — Prop. III. *Ex divina dispensatione, post diluvium licitum erat Patriarchis, Judæis, et probabilius etiam gentilibus, plures uxores habere.* — Communis.

Prob. I. Pars: *Licitum erat Judæis et Patriarchis.*

Legimus in Scripturis Abraham, Jacob, Elcana, David, aliosque viros Deo acceptissimos, plures habuisse uxores, nec unquam fuisse ob hoc reprehensos. Unde recte deducimus, hoc eisdem fuisse licitum.

Et ex Deuter. XXI, 15, 17, constat, Judæis indiscriminatum licitum fuisse plures habere uxores.

Idem constat traditione. — « Quando mos erat, *inquit S. August.*, crimen non erat; et nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege (ob concessam a Deo dispensationem) prohibebatur. » *(Contr. Faustum, l. XXII, c. 47).*

Prob. II. Pars: *Probabilius etiam licitum erat gentilibus.*

Polygamiam post diluvium in usu fuisse apud ethnicos, constat ex Scriptura. Legimus enim, Gen. XXIX, 23-28, Laban ethnicum Jacob in matrimonium dedisse Liam et Rachel, et Assuerum plures habuisse uxores.

Hoc autem etiam ethnicis fuisse licitum, probatur præsertim exemplo Esther, quæ ob sanctitatem suam passa non esset fieri uxor Assueri, qui aliam jam habebat uxorem, nec Mardochæus hoc ei consuluisset, nisi compertum habuissent ambo nullum hac in re adfuisse crimen.

Prob. III. Pars: *Licitum fuit unice ex divina dispensatione.*

« Nulli unquam, *ait Innocent. III*, licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum. » *(Denz., n. 353).*

Enimvero, ille solus potest in lege dispensare, qui legem tulit. « Lex autem de unitate uxoris, *ait S. Th.*, non est humanitus, sed divinitus instituta, nec unquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut et alia quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent. Et ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quæ quidem principaliter patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata est, eo tempore quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. » *(Suppl., q. 65, a. 2).*

Prob. IV. Pars: *Licitum fuit unice post diluvium.*

Nemini ante diluvium licitum fuisse plures habere uxores, docent communiter S. Patres et theologi. Ratio est, quia propter primorum hominum longævitatem potuit sufficienter genus humanum absque uxorum pluralitate propagari. Qua de causa S. Patres adulterum vocant Lamech, qui primus ante diluvium duas duxit uxores. « In hac progenie, *ait Glossa ordinaria*, Lamech primus contra morem, contra naturam, per bigamiam adulterium commisit. » *(In Gen. XIX, 19).*

1923. — Prop. IV. *In Lege Evangelica polygamia simultanea omnino prohibita est.*

De fide, ex Trid., Sess. XXIV, can. 2: « Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Christus, supremus legislator, Matrimonium ad primævam suam institutionem revocavit, cum pharisæis respondens, ait (Matth. XIX, 4-6): *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Porro, in primæva sua institutione polygamia simultanea fuit omnino prohibita. Ergo et in Lege Evangelica.

Præterea, ait Christus (Luc. XVI, 18): *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur.* « Si ergo, *inquit Innocentius III*, uxore dimissa, duci alia de jure non potest, fortius et ipsa retenta: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia judicentur, circa Matrimonium reprobandam. » *(Denz., n. 353).*

Teste Apostolo, paria sunt conjugum jura, (I Cor. VII, 4): *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* — Porro, (Rom. VII, 3): *Mulier,... vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro.* Ergo a pari, vivente muliere, vir vocabitur adulter, si fuerit cum alia muliere. Non potest igitur vir plures simul habere uxores.

II. **Ex Traditione.** Ait *Clemens Alex.:* « Dominus dum vetera renovat, non amplius concedit polygamiam... sed monogamiam introducit propter liberorum procreationem et domus curam, ad quam data est mulier adjutrix. » *(Strom., l. III, c. 11).*

S. Ambrosius: « Vinctus es uxori, noli quærere solutionem; quia non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere. Nam et aliam quærere, cum habeas tuam, crimen est adulterii. » *(De Abrah., l. I, c. 7).*

§ 2. *De Polygamia successiva.*

1924. — Polygamiam successivam, seu secundas et ultiores nuptias, tanquam jure divino illicitas et irritas damnarunt olim Montanistæ et Novatiani.

Apud Græcos, ex jure ecclesiastico a Nicolao I Patriarcha Constantinopolitano anno 920 promulgato, et a Joanne X S. Pontifice approbato, quartæ nuptiæ sunt illicitæ et invalidæ; tertiæ tunc solum conceduntur, quando bigami ex præcedenti matrimonio prole carent.

In Ecclesia vero romana nec tertiæ, nec ulteriores nuptiæ prohibitæ sunt: licet ipsa minus propensam se exhibeat erga viduos, qui novas, præsertim tertias aut quartas nuptias ineunt.

1925. — Prop. *Polygamia successiva jure divino licita est. Certa*, ex declaratione Eugen. IV, *decr. pro Jacobitis:* « Declaramus non solum secundas, sed tertias et quartas atque ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a conjugiis abstinentes, in castitate permanserint. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Licet Apostolus peroptet ut viduæ continentiam servent, atque in viduitate tanquam in statu perfectiori permaneant, nihilominus tamen eisdem licentiam concedit secundas et ultiores ineundi nuptias; imo eas quandoque, ad vitandam incontinentiam, denuo nubere jubet. *Si mortuus fuerit vir ejus*, inquit, *liberata est a lege viri: ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* (Rom. VII, 3). — (I Cor. VII, 8, 9): *Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri.* — Cf. ibid., v. 39, 40. — (I Tim. V, 14): *Volo autem juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ.*

II. **Ex Traditione.** Scripsit *Hermas:* « Dic, si vir vel mulier alicujus decesserit, et nupserit aliquis illorum, numquid peccat? Qui nubit non peccat. » *(Pastor, l. II, mand. 4, n. 4).*

S. Ambrosius: « Non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus sæpe repetitas. » *(De Viduis, c. 11).*

S. Hieronymus: « Erubescat calumniator meus, dicens me prima damnare matrimonia, quando legit: Non damno bigamos et trigamos, et si dici potest, octogamos. Aliud est non

damnare, aliud prædicare; aliud est veniam concedere, aliud laudare virtutem. » *(Epist. ad Pammachium, n. 9).*

S. Epiphanius: « Post conjugis obitum, si quis alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, SS. Litterarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit. » *(Hær. 59, al. 48).*

III. **Ex Ratione.** Ex una parte, secundæ aut ulteriores nuptiæ jure divino non sunt vetitæ; ex altera, nihil obstat ex rerum natura, quominus ineantur. Enimvero, morte conjugis vinculum solvitur, ut docet Apostolus; ac proinde novum superinduci potest; præterea, novæ nuptiæ nec primario nec secundario Matrimonii finibus adversantur; demum, sæpe sunt in remedium incontinentiæ. Ergo secundæ et ultiores nuptiæ, mortuo conjuge, licite iniri possunt.

ARTICULUS II.

DE MATRIMONII INDISSOLUBILITATE [1].

1926. — *Indissolubilitas* est Matrimonii perfecta firmitas, qua fit, ut vel ad tempus iniri, vel ad contrahentium voluntatem rescindi non possit.

Indissolubilitati opponitur *solutio* seu *divortium.* Duplex distinguitur Matrimonii solutio: una est quoad ipsum vinculum: vocatur *solutio perfecta*, vel *divortium proprie dictum;* altera, quoad torum vel cohabitationem, vinculo remanente: vocatur *separatio.*

De separatione quoad torum et cohabitationem tractant jus canonicum et theologia moralis; de solo divortio igitur, seu de sola solutione quoad vinculum nobis agendum est.

Matrimonium, in ordine ad solutionem vinculi, triplici sub respectu considerari potest: vel in se, quatenus contractus naturalis, prout est etiam inter conjuges infideles; vel quatenus est ratum, prout nimirum rationem sacramenti habet; vel quatenus est consummatum. *(Cf. n. 1898).*

[1] Cf. Rosset, *De Matr.*, n. 548 et seq.

1927. — Errores. — *Protestantes* passim admittunt, Matrimonium etiam consummatum pluribus in casibus, speciatim in casu adulterii, solvi posse quoad vinculum.

Sæculo elapso, plures *juristæ* contenderunt Matrimonium suapte natura non esse indissolubile: jugum enim nimis durum videtur impositum conjugibus, si nullo in casu ab invicem separari et novas nuptias inire liceat. Proin docuerunt, contractum matrimonialem, utpote libera voluntate initum, ad instar aliorum contractuum mutuo contrahentium consensu rescindi posse.

Horum doctrinam ad praxim deducens, cœtus legislativus in Gallia, die 20 Sept. 1792, divortium sancivit pro casibus in codice civili definitis. Quæ licentia anno 1816 revocata, præteritis hisce annis pluribus in regionibus restaurata est, in quibus auctoritas civilis impie sibi potestatem adscribit matrimonia quoad vinculum rescindendi, conjugibusque veniam concedendi, ut alias nuptias inire valeant.

1928. — Prop. I. *Matrimonium in se spectatum, vi primævæ suæ institutionis legisque positivæ, est indissolubile.*

NB. Dicitur: *in se spectatum*, quatenus videlicet Matrimonium est contractus naturalis, et in officium naturæ; ac proinde abstrahendo a ratione sacramenti.

Prop. *ad fidem pertinet*, ex Tridentino, Sess. XXIV, *prol. ad Matr.*: « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem*... Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi Christus Dominus apertius docet:... statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: *Quod ergo Deus conjunxit homo non separet.* »

Prob. I. **Ex Script. S.** Interrogatus a pharisæis (Matth. XIX): *Si licet homini dimittere uxorem suam*, respondit Jesus: *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quibus ex verbis manifestum est, ex divina institutione virum et mulierem tam arcto li-

gatos esse vinculo, ut in nullius hominis potestate sit vinculum matrimoniale solvere.

Et objicientibus pharisæis: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii*, respondit Jesus: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* Ergo, quia *ab initio non fuit sic*, ab initio Matrimonium fuit indissolubile.

II. **Ex Declaratione SS. Pontificum.** *Bonifacius VIII* declaravit: « Matrimonii vinculum ab ipso Ecclesiæ capite rerum omnium Conditore, ipsum in paradiso et in statu innocentiæ instituente, unionem et indissolubilitatem accepisse. » *(In 6 Decr., l. III, tit. 15, de voto et voti redempt.)*

Pius VI, in Epist. ad episc. Agriensem, 11 Jul. 1789, relatis verbis Tridentini supra citatis, ait: « Quo manifeste patet Matrimonium vel in ipso statu naturæ, ac sane ante multo quam ad proprie dicti sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexum, qui proinde nulla lege civili solvi queat; etc. »

SS. D. N. Leo PP. XIII: « Jesus Christus, *inquit*, Judæis et Apostolis testatus est, Matrimonium ex ipsa institutione sui duntaxat inter duos esse debere.... et nuptiale vinculum sic esse Dei voluntate intime vehementerque nexum, ut a quopiam inter homines dissolvi aut distrahi nequeat. » (Encycl. *Arcanum*).

1929. — Prop. II. *Matrimonium ex jure naturali saltem secundario est indissolubile.*

Certa, ex condemnata prop. 67 Syll.: « Jure naturæ Matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest. »

Prob. I. **Ex Traditione.** Ait *S. Joan. Chrysost.: « Jam non sunt duo, sed una caro.* Sicut ergo carnem secare scelestum est, ita et uxorem dirimere iniquum. Neque hic stetit (Christus), sed Deum quoque attulit dicens: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet;* ostendens illud et *contra naturam* et contra legem esse: *contra naturam*, quia una caro dissecatur; contra legem, quia cum Deus conjunxerit, et jusserit

non separare, vos id facere tentatis. » *(Hom. 62, (al. 63), in Matth.).*

II. **Ex S. Thoma.** « Matrimonium, *inquit*, ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturæ est quod parentes filiis thesaurizent, et filii parentum hæredes sint, (II Cor. XII). Et ideo cum proles sit commune bonum viri et uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam, secundum legis naturæ dictamen. Et sic inseparabilitas Matrimonii est de lege naturæ. » *(Suppl., q. 67, a. 1; cf. Cont. Gent., III, c. 123).*

III. **Ex Ratione.** Illud juri naturæ adversatur, quod innumera secum adducit mala, quod familias et regna perturbat, et ex quo, velut e nativo fonte, summa scaturit morum corruptela, cui nullum frenum imponi possit. Porro, tale quid est divortium, *teste SS. D. N. Leone PP. XIII.* « At vero, *inquit*, quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia fœdera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis præbetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quæ in periculum veniunt, ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur.

» Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quæ a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitæ privatæ et publicæ consuetudines aditum januamque patefaciunt.

» Multoque esse graviora hæc mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, major cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quoque serpens plurimorum animos invadat, quasi

morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans. » (Encycl. *Arcanum*).

1930. — Corollarium. Cum Matrimonium, etiam quatenus est in officium naturæ, sit indissolubile jure divino tam positivo quam naturali, sequitur: nullam humanam potestatem Matrimonium divortio solvere posse; quippe quod nulla potestas humana in jure divino dispensare possit; ac proinde leges civiles, quibus sancitur divortium, esse plane irritas, et sacrilegas indebiti juris usurpationes; necnon eos, qui, facto divortio a lege civili concesso, alias ineunt nuptias, in turpi vivere concubinatu.

1931. — Prop. III. *Privilegio fidei matrimonium infidelium, post unius conjugis conversionem, quibusdam in casibus quoad vinculum solvi potest.* — Certa.

NB. *Privilegium fidei,* (sic dictum quia datum est in favorem fidei), seu *privilegium Paulinum,* (sic dictum quia a B. Paulo fuit promulgatum), est licentia facta conjugi fideli discedendi a conjuge infideli, et novum ineundi Matrimonium, si nolit infidelis cum fideli cohabitare, aut si ad cohabitandum consentiens, nonnisi cum Creatoris contumelia faciat, aut fidelem ad peccatum mortale pertrahendo. Si vero infidelis pacifice cohabitare consentiat, fideli non potest concedi licentia novum contrahendi Matrimonium.

Prob. I. **Ex Verbis Apostoli.** Ait B. Paulus (I Cor. VII, 10-15): *Iis autem qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.... Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.*

Jamvero his ex verbis constat, Apostolum concessisse facultatem ipsum vinculum conjugale solvendi. Enimvero:

a) Opponit Matrimonium fidelium cum Matrimonio fidelis cum infideli. Docet, inter fideles mulierem non posse di-

mitti; et si fuerit dimissa, nunquam posse alteri nubere, sed debere innuptam manere, aut viro reconciliari. Fideli vero a gentilitate converso amplius quidpiam concedit, dicendo: *si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Proinde, fidelis liberatur ab ipsa conjugii servitute, seu ab ipso vinculo.

b) Ex contextu patet, Apostolum in favorem fidei velle fideli converso privilegium quoddam conferre. Porro, si vinculum conjugale non rumperetur, nullum concederet privilegium; quandoquidem et inter infideles et inter ipsos fideles separatio quoad torum et cohabitationem justas ob causas fieri potest. Ergo dicendum est, Apostolum privilegio suo aliquid amplius concessisse, facultatem scilicet ipsum vinculum solvendi et novas contrahendi nuptias.

II. **Ex Declaratione et praxi SS. Pontificum.**

Ait *Innocentius III:* « Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat,* etc. » *(Denz., n. 350).*

Idem testatur *Benedictus XIV,* De Synod., l. VI, c. 4, n. 3; et plures Pontifices, ut *Gregorius XIII, Pius V, Benedictus XIV,* facultatem hanc in praxim deduxerunt.

NB. Quid vero observandum sit in praxi quoad interpellationem ad solvenda id genus Matrimonia, quove tempore solvatur vinculum præcedentis contractus, de his videsis partem moralem. *(Cf. Marc, n. 1982).*

1932. — Prop. IV. *In Lege Mosaica, ex divina dispensatione, Matrimonium dissolvi potuit quoad vinculum.* — Probabilior.

Prob. Divortium in Lege Mosaica fuisse permissum, constat ex verbis Christi (Matth. XIX, 8): *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.*

Et (Deuter. XXIV, 1-4): *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam*

de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.

Jamvero his ex verbis deducitur, libellum repudii valuisse non solum ad separationem tori et mensæ, sicut plures contendunt, sed ad ipsius vinculi solutionem. Etenim:

1. Christus ait: *Ab initio autem non fuit sic.* Porro, jam ante Legem Mosaicam, non secus ac in Lege Christiana, justas ob causas fieri potuit separatio tori et mensæ. Ergo separatio, quæ non fuit ab initio, et concessa est Judæis *ad duritiam* cordis, major fuit magisque absoluta, scilicet quoad vinculum.

2. Qui mulierem dimissam duxit, vocatur in Deuter. *maritus,* non secus ac primus; et potuit dare libellum repudii, qui non adulteræ, sed uxori dandus erat. Quibus constat, inter dimissam et secundum maritum adfuisse verum Matrimonium, ac proinde primum quoad vinculum solutum fuisse.

Confirmatur hæc ratio ex eo, quod Levit. XXI, 7, prohibentur sacerdotes ne dimissam in uxorem assumant: quo innuitur id aliis fuisse licitum.

3. Mortuo secundo marito, vel muliere ab eo dimissa, non potuit primus maritus eam amplius in uxorem assumere. Sed, si remansisset vinculum, non apparet ratio cur mulier ad eum redire non potuerit.

1933. — Prop. V. *Christianorum Matrimonium consummatum nunquam solvi potest quoad vinculum.*

De fide, ex Trid., Sess. XXIV, can. 5: « Si quis dixerit, propter hæresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum: A. S. » — Et *can. 7:* « Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi...; A. S. »

Prob. I. **Ex Script. S.** *a) Ex Verbis Christi.* Legimus (Luc. XVI, 18): *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur; et qui dimissam a viro ducit, mœchatur.* — Et postquam Christus Matrimonium ad primævam suam institutionem, in qua erat omnino indissolubile, reduxit, (Marc. X, 2-9), addidit, (v. 11, 12): *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.*

Porro, illa Christi verba omnino generalia sunt, nullamque admittunt exceptionem. Igitur, ex divina institutione, consummatum Matrimonium christianorum nulla unquam de causa quoad vinculum solvi potest.

b) Ex verbis Apostoli. Legimus (I Cor. VII, 10-11): *Iis autem qui Matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* — Et v. 39: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est:* cui vult nubat: *tantum in Domino.* — (Rom. VII, 2. 3): *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri; ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.*

Jamvero, his verbis plane constat, christianorum Matrimonium ita esse ex Christi mandato firmum, ut sola alterutrius conjugis morte solvi possit quoad vinculum, et consequenter, « solvere vinculum conjugii inter christianos rati et consummati nullius in potestate esse. » *(SS. D. N. Leo PP. XIII,* Encycl. *Arcanum).*

II. **Ex Conciliis.** Concil. *Illiberitanum* (an. 313), cap. 9, statuit: « Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat: si autem duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquerit, prius de sæculo exierit. »

Florent., decr. pro Arm.: « Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit. »

III. **Ex Traditione.** Mire consentiunt SS. Patres in asserendo omnimodam Matrimonii consummati indissolubilitatem, et negando ulla unquam de causa solvi posse quoad vinculum, ne ob adulterium quidem. Unum alterumve citasse sat erit.

Ait *S. Justinus:* « Qui ducit repudiatam ab altero viro, mœchatur. » *(Apol. I, n. 15).*

S. Hieronymus in verba Apostoli supra citata, scribit: «Omnes igitur causationes Apostolus amputans, apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit... Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.» *(Epist. 55, ad Amand. n. 3).*

S. Augustinus: «Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod reus fit adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis.» *(De conjugiis adulter., l. II, c. 4).*

IV. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia summo zelo semper invigilavit, ut conjugiorum indissolubilitati et perpetuitati consuleretur: contra leges divortium sancientes semper reclamavit; Protestantium hæresim de divortiis et repudiis anathemate perculit; nuptias ea conditione initas, ut aliquando dissolvantur, irritas semper declaravit; principibus potentissimis petentibus ut divortia a se facta rata haberentur, fortiter restitit. «Quam ad rem, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII*, omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversum Philippum I regem Galliarum: a Cœlestino III et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exultantem.» (Encycl. *Arcanum*).

V. **Ex Ratione convenientiæ.** 1. Matrimonium christianorum, qui non sola voluntatum unione, sed corporum etiam commixtione facti sunt una caro, perfectissimum est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, quacum unum corpus mysticum efficit. Porro, Christi cum Ecclesia conjunctio est prorsus indissolubilis. Decuit proinde signum etiam illius conjunctionis esse prorsus indissolubile.

2. Divortia innumera secum adducunt mala, et innumeris criminibus januam aperiunt. Ast, tantus defectus cum

Legis Evangelicæ perfectione stare non decet. Decuit igitur divortia in Lege Evangelica omnino prohiberi.

1934. — Scholium. *De divortio ob alterutrius conjugis adulterium.* Legimus (Matth. XIX, 9), Christum hæc verba protulisse: *Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur: et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Hæc Christi verba, ut intuenti patet, duplicem patiuntur explanationem.

Prima, quæ est S. Patrum et omnium catholicorum, clausulam *nisi ob fornicationem*, ad ea, quæ præcedunt solum refert, non autem ad ea quæ sequuntur. Sicut, v. gr., in hac locutione, *qui die veneris manducat carnem, nisi ob dispensationem, et se inebriat, peccat;* clausula ad ea sola quæ præcedunt logice referri potest. Proinde, sensus verborum Christi est: Quicumque dimiserit uxorem suam (quoad separationem tori et cohabitationis), nisi ob fornicationem, mœchatur; quia exponit uxorem suam periculo mœchandi, quod peccatum viro, tanquam causæ, imputatur; et qui, dimissa uxore, aliam duxerit, item mœchatur, sicut ille qui dimissam duxerit. Quam explanationem diserte tradit S. Augustinus: « Quicumque, *inquit*, dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, facit eam mœchari; et si ipse alteram duxerit, adulterium committit. » *(Contr. Adimant., c. 3, n. 2).*

Secunda eamdem clausulam refert tum ad ea quæ præcedunt, tum ad ea quæ sequuntur, ita ut sensus sit: Quicumque dimiserit uxorem suam ob aliud motivum quam ob fornicationem, et quicumque, separatus ab uxore ob aliud motivum quam ob fornicationem, aliam duxerit, mœchatur.

Quam secundam interpretationem sequuntur Protestantes, Calvinistæ, Græci, Launoius *(De regia in Matrim. potest., P. III, a. 1, c. 5)*. Exinde inferunt adulterio Matrimonii vinculum dissolvi, et consequenter ob fornicationem licere conjugibus novas inire nuptias.

Hæc autem interpretatio rejicitur ut *falsa, erronea, hæresi proxima*, imo, sicuti nonnullis placet, ut *hæretica*, propter can. 7 Concilii Trid., supra citatum. Contradicit enim:

a) Conciliorum declarationibus. (Cf. dicta in superiori prop.).

b) Unanimi Patrum testimonio. (Cf. ibid.). — Diserte eam explodit S. Augustinus, loco supra citato. Præterea, ait idem S. Doctor: « Neque quisquam ita est absurdus, ut mœchum neget esse qui duxerit eam, quam maritus propter causam fornicationis abjecit, cum *(Christus)* mœchum dicat eum, qui duxerit eam, quæ propter causam fornicationis abjecta est. » *(De conjug. adulter., l. I, c. 9, n. 9).*

c) Ipsi Scripturæ Sacræ. — Si quid enim obscuritatis latitet in aliquo Scripturæ textu, explicandum est ex locis parallelis, in quibus eadem materia clare et explicite traditur. Porro, ipse Christus (Luc.

XVI, 18; Marc. X, 11) clare et explicite declaravit nullam ob causam unquam licere uxorem quoad vinculum dimittere.

Quocirca omnino tenendum est, Matrimonii vinculum adulterio nunquam dissolvi, ut declararunt Florentinum et Tridentinum; et merito Ecclesia «usitatam Græcis diremptionem Matrimoniorum multis modis damnavit,» ut ait SS. D. N. Leo PP. XIII. (Encycl. *Arcanum*).

1935. — Prop. VI. *Christianorum Matrimonium ratum non consummatum dissolvitur quoad vinculum per solemnem professionem religiosam.*

De fide, ex Trid., Sess. XXIV, can. 6: « Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; A. S. »

Prob. **Ex Declaratione SS. Pontificum.** 1. *Ex Decreto Alexandri III*, an. 1180: « Post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, (sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt), dummodo carnalis commistio non intervenerit inter eos: et alteri remanenti licitum est ad secunda vota transire. Quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in sæculo remanere. » (*Denz., n. 334*).

2. *Ex Decreto Innocentii III*, an. 1210: « Nos nolentes a prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam Matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad religionem transire, ita quod reliquus extunc legitime poterit alteri copulari: hoc ipsum tibi consulimus observandum. » (*Denz., n. 354*).

1936. — Scholium. *De jure quo per vota solemnia dirimitur Matrimonium ratum.*

Prima sententia probabilis docet, votum solemne dirimere Matrimonium ratum *ex jure divino positivo*; quia Christus in vitæ religiosæ favorem hanc vim voto solemni adnexuit, sicut etiam in favorem fidei exceptionem statuit pro conjuge ab infidelitate converso. Quæ lex divina per traditionem innotescit Ecclesiæ.

Secunda probabilior et inter recentiores communior, docet, hoc in casu Matrimonium dirimi *ex jure ecclesiastico*. Ratio prima est, quia votum solemne non dirimit Matrimonium *ratione voti*, secus votum

simplex illud etiam dirimeret; sed *ratione solemnitatis.* Porro, votorum solemnitas est de jure ecclesiastico, sicut declaravit Bonifacius VIII, *(cap. unic. de voto, in sexto).* Ergo solo jure ecclesiastico Matrimonium dirimitur.

Altera, et quidem præcipua ratio desumitur ex litteris S. Congreg. S. Off., de mandato SS. D. N. Leonis XIII datis, die 20 Febr. 1888, in quibus votum solemne enumeratur inter impedimenta Matrimonium *jure ecclesiastico* dirimentia. Porro, si votum solemne ex jure ecclesiastico vim habet impediendi quominus Matrimonium valide contrahi possit, sequitur quod, habens votum solemne posset, sublata lege ecclesiastica, Matrimonium valide contrahere, ac proinde votum solemne cum matrimoniali vinculo consociabile foret; si autem consociabile cum vinculo, ergo nec vinculum jam existens solvere posset. Quocirca recte deducitur, ex solo jure ecclesiastico votum solemne dirimere Matrimonium.

1937. — Prop. VII. *Christianorum Matrimonium ratum per dispensationem S. Pontificis solvi potest quoad vinculum.* — Certa.

Prob. I. **Ex Declaratione Benedicti XIV.** « Nullam, *inquit,* de potestate S. Pontificis moveri amplius posse quæstionem in eo quod attinet ad dispensandum super Matrimonio rato non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter theologos et canonistas, et in praxi sit recepta, uti notorium est. » *(Quæstion., can. 479).*

II. **Ex Praxi Ecclesiæ.** S. Pontifices, saltem a tempore post Martinum V elapso, non raro super Matrimonio rato non consummato dispensarunt, et nostris etiam temporibus sat frequenter hujusmodi dispensationes concessæ sunt [1].

Cum autem Matrimonii solutio sit res ad mores pertinens, nefas foret asserere, S. Pontificem in hujusce modi dispensatione errare posse. Proin concedendum est, per dispensationem S. Pontificis Matrimonium ratum non consummatum vere solvi quoad vinculum.

1938. — Quæritur. *Curnam solvi possit Matrimonium ratum, non autem Matrimonium consummatum.*

Resp. I. Quia traditione innotescit Ecclesiæ, Christum voluisse ut professio religiosa dirimeret ratum, non vero consummatum; item:

[1] Cf. Feije, *De Imped. matr.*, in append. n. 7, ubi multa citantur exempla.

Christum dedisse S. Pontifici potestatem dispensandi super rato, non autem super consummato.

II. Quia in consummato arctius adest vinculum quam in rato nondum consummato. In rato enim, etsi adest unio voluntatum et jus mutuum in corpora, attamen conjuges nondum effecti sunt una caro, ut declaravit Alexander III, (supra citatus, *n. 1935*). In consummato autem una caro effective facti sunt.

Apposite *S. Thomas:* « Ante carnalem copulam est inter conjuges tantum vinculum spirituale; sed postea etiam est inter eos vinculum carnale. Et ideo sicut post carnalem copulam Matrimonium solvitur per mortem carnalem; ita per ingressum Religionis, vinculum quod est ante carnalem copulam, solvitur, quia Religio est quædam mors spiritualis, qua aliquis sæculo moriens vivit Deo. » *(Suppl., q. 62, a. 2).*

Et *ad 2:* « Ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius, sed sub conditione, nisi interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ convolet. Sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis. »

CAPUT V.

DE ECCLESIÆ CIRCA MATRIMONIUM POTESTATE.

1939. — Quid possit Ecclesia in Matrimonium jam rite contractum, ex superiori capite compertum est. Sed præter potestatem dirimendi vinculum quibusdam in casibus, alia in Ecclesia existit potestas circa Matrimonium, potestas scilicet tum ponendi conditiones, sine quibus Matrimonium contrahi nequeat, tum inquirendi et judicandi de Matrimonii validitate, si quod forsan de ea dubium oriatur.

Proinde agendum est de potestate Ecclesiæ quoad impedimenta Matrimonii, et causas matrimoniales.

Impedimenta vocantur obstacula quædam, quæ prohibent ne Matrimonium rite contrahi possit.

Impedimenta alia sunt *dirimentia*, alia *impedientia* seu *prohibentia*. — *Dirimentia* vocantur, quæ Matrimonium invalidum reddunt; *impedientia*, quæ Matrimonium reddunt non invalidum, sed illicitum.

Ex impedimentis dirimentibus aliqua ab ipsa natura, alia a lege Dei positiva, alia a lege ecclesiastica statuta sunt.

Causæ matrimoniales eæ intelliguntur, quæ Matrimonii vinculum seu valorem respiciunt, sive *antecedenter*, ut sponsalia; sive *concomitanter*, ut consensûs valor et conditiones; sive *consequenter*, ut prolis legitimatio, separatio conjugum, etc.

1940. — Errores. — *Lutherus* et *Calvinus*, qui Matrimonium e numero sacramentorum expungunt, Ecclesiæ omnem potestatem impedimenta dirimentia statuendi denegant; et præter ea quæ in Levitico, cap. 18, constituta sunt, non alia agnoscunt impedimenta.

Novatoribus sæc. XVI accenseri debent *naturalistæ*, qui Matrimonium rebus pure humanis adnumerant, « quæ auctoribus hominibus institutæ sunt, et jure civili populorum reguntur atque administrantur. Unde sequi necesse erat, ut principibus reipublicæ jus in connubia omne tribuerent, nullum Ecclesiæ esse decernerent; quæ si quando potestatem ejus generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia principum, aut injuria factum. » *(SS. D. N. Leo PP. XIII*, Encycl. *Arcanum)*.

Marcus Ant. de Dominis, *Launoius*, aliique auctores juristæ et canonistæ, necnon theologi aulici seu regalistæ « contractum nuptialem a sacramento disjungunt, eo sane consilio, ut Ecclesiæ reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. » *(Leo XIII, loc. cit.)* — Iidem Ecclesiæ jus originarium denegant leges ferendi, quæ Matrimonium dirimant, et quod habet, ex indulgentia et concessione principum derivant.

Nonnulli demum theologi, ea moti ratione quod Matrimonium sit simul sacramentum in bonum Ecclesiæ, et contractus civilis in bonum societatis, potestatem impedimenta statuendi et de causis matrimonialibus cognoscendi ex æquo tribuunt Ecclesiæ et principibus sæcularibus.

1941. — Prop. I. *Pollet Ecclesia potestate statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.*

De fide, ex Trid., Sess. XXIV, can. 4: « Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; A. S. »

Prob. I. **Ex damnata Prop. 68ª Syll.:** « Ecclesia non habet potestatem impedimenta Matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt. »

II. **Ex constanti Praxi Ecclesiæ.** « Magnum pondus est, *inquit SS. D. N. Leo PP. XIII,* magna vis historiæ, qua luculenter docemur, potestatem legiferam et judicialem, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicæ consentientes fuisse aut conniventes in ea re, inepte et stulte fingeretur... Postea vero quam ad christianos Imperatores potentatus omnis reciderat, Pontifices maximi et episcopi in Concilia congregati, eadem semper cum libertate conscientiaque juris sui, de Matrimoniis jubere vetare perseverarunt quod utile esse, quod expedire temporibus censuissent, utcumque discrepans ab institutis civilibus videretur. Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis, publicæ honestatis in Conciliis Illiberitano, Arelatensi, Chalcedonensi, Milevitano II aliisque, fuerint ab Ecclesiæ præsulibus constituta, quæ a decretis jure imperatorio sancitis longe sæpe distarent. » (Encycl. *Arcanum*).

Porro, cum Ecclesia in juribus suis discernendis infallibilis sit, nefas est dicere eam statuisse impedimenta, quin statuendi potestate polleret.

III. **Ex Ratione.** Matrimonium est Novæ Legis sacramentum. Atqui, Christus Ecclesiæ potestatem in omnia sacramenta tradidit, non quidem ut eorum substantiam mutare posset, verum ut de conditionibus decerneret in eorum administratione, sive quoad tempus, sive quoad modum, aut personas, aut cæremonias apponendis. Ergo etiam circa Matrimonii conditiones, ut valide iniri queat, Ecclesia decernere potest.

« Christus, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* cum ad talem ac tantam excellentiam Matrimonia renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiæ credidit et commendavit. » — Et idem Pontifex præpositos adhortatur ut populum moneant: « Christum novi fœderis auctorem illud ipsum (Matrimonium) ex officio naturæ in sacramenta transtulisse; et quod ad vinculum spectat, legiferam et judicialem Ecclesiæ suæ adtribuisse potestatem. » (Encycl. *Arcanum*).

1942. — Objicitur. Ecclesia sacramentorum substantiam mutare non potest. Atqui appositio impedimenti dirimentis sacramenti substantiam mutat. Ergo nequit Ecclesia ea impedimenta statuere.

Resp. Ecclesia sacramentorum substantiam mutare nequit, *formaliter,* id est, statuendo ne talis materia a Christo determinata sit amplius materia valida, *concedo; materialiter,* id est, corrumpendo materiam, ita ut non sit amplius materia, quæ a Christo determinata fuit, *nego.* Sic, v. gr., non potest Ecclesia statuere, ne aqua naturalis sit amplius valida materia Baptismi, neve contractus matrimonialis legitimus inter christianos sit sacramentum. At, sicut aliquis aquam substantialiter corrumpere potest et consequenter efficere ne Baptismus valide in ea conferatur, ita potest Ecclesia contractum corrumpere, conditiones quasdam ei apponendo, et statuere, v. gr., contractum a tali persona, vel in tali circumstantia initum, non esse validum, nec consequenter materiam aptam ad sacramentum. Et cum Christus non quemlibet contractum, sed solum contractum *validum* ad esse sacramentale elevaverit, sequitur, Ecclesiam, eo ipso quod contractum invalidat, impedire quominus possit ad sacramenti dignitatem elevari.

1943. — Prop. II. *Potestas statuendi impedimenta dirimentia Ecclesiæ competit jure proprio et originario, et non ex principum sæcularium concessione.*

De fide, ex Bulla *Auctorem fidei,* qua Pius VI prop. 59[m] Synodi Pistoriensis tanquam hæreticam condemnavit. « Doctrina Synodi, *inquit Pius VI,* asserens, *ad civilem supremam potestatem dumtaxat originarie spectare contractui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia;* quod *jus originarium* præterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum:* subjungens, *supposito assensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii;* quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum Matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ Matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare; canonum 3, 4, 9, 12, Sessionis 24 Conc. Trid., eversiva, *hæretica.* » *(Denz., n. 1422).*

Prob. I. **Ex Prop. 69[a] condemnata Syll.:** « Ecclesia sequioribus sæculis impedimenta dirimentia inducere cœpit non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat. »

II. **Ex Ratione.** 1. Rerum sacrarum dispositio non ad civilem, sed ad ecclesiasticam potestatem pertinet. « Igitur

cum Matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum sola habet magisterium. » (Encycl. *Arcanum*).

2. Sacramentorum dispensationem Christus non regibus, sed Ecclesiæ immediate demandavit. « Deinde, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* consideranda sacramenti dignitas est, cujus accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et præcipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. » *(Loc. cit.).*

3. Idem conspicuum fit ex constanti usu et praxi Ecclesiæ, « quæ potestatem in conjugia christianorum omni cum tempore, tum loco exercuit, atque ita exercuit, ut illam propriam ejus esse appareret, nec hominum concessu quæsitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam. » (Encycl. *Arcanum*).

Enimvero, sicut ex monumentis historicis id commonstrat *Leo XIII,* jam sub imperatoribus ethnicis christiano nomini infensissimis, Ecclesia impedimenta statuit, atque nuptias a lege civili permissas tanquam irritas declaravit. Porro, « neque illud unquam homini sanæ mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitate conjugii, de nuptiis servos inter et ingenuas, tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab imperatoribus romanis, inimicissimis nomini christiano, quibus nihil fuit tam propositum, quam vi et cæde religionem Christi opprimere adolescentem. » *(Loc. cit.).*

Imperatores vero christiani, ut Honorius, Theodosius junior, Justinianus, fateri non dubitarunt se circa connubiorum impedimenta nihil statuere posse, atque in iis, quæ nuptias attingunt, nihil amplius sibi competere, quam sacros canones custodire atque defendere.

Ecclesia igitur non ex principum concessione, sed jure proprio et nativo, a Christo immediate accepto, impedimenta Matrimonium dirimentia statuere potest.

1944. — Prop. III. *Potestas civilis nullam prorsus habet potestatem statuendi impedimenta Matrimonium christianorum dirimentia.*

Prob. 1. Hujus propositionis veritas tanquam corollarium ex iis effluit, quæ hactenus dicta sunt. Etenim: Contractus ma-

trimonialis ad esse sacramentale elevatus est; quocirca, quidquid tangit contractum, necessario tangit ipsum sacramentum. Atqui, sola Ecclesia a Christo jus in sacramentorum administrationem accepit. Ergo sola circa contractum aliquid statuere potest.

2. Ex historia constat, tum Ecclesiam principibus sæcularibus potestatem statuendi impedimenta dirimentia nunquam agnovisse: tum ipsos principes christianos sibi persuasum habuisse, se illa potestate non pollere; quippe qui, cum optabant aliqua impedimenta Matrimonio apponi, id ab Ecclesia fieri postulabant. Exemplo est Galliarum Rex, qui a Concilio Tridentino petivit, ut Matrimonium filiorum familias absque parentum consensu initum, invalidum haberetur: quod tamen ei Concilium non concessit.

3. Si principes civiles una cum Ecclesia quamdam haberent potestatem in ipsum Matrimonium, funestissima exinde orirentur incommoda. Contingere enim posset contrarias et oppositas leges ab Ecclesia et Statu circa Matrimonii validitatem ferri: et consequenter idem Matrimonium esse coram Ecclesia validum, et simul coram societate civili invalidum, aut vice versa; quod sane funestissima foret ordinis perturbatio. Exinde enim lites et jurgia Statum inter et Ecclesiam continuo exorirentur; familiarumque tranquillitas et concordia vehementissime perturbarentur.

4. Fundamentum unicum, quo nituntur regalistæ ut quamdam potestatem principibus sæcularibus in vinculum matrimoniale tribuant, est supposita illa distinctio et separabilitas, quas contractum inter et sacramentum somniarunt. Sacramenti rationem Ecclesiæ reservant; contractum vero committunt principum potestati et arbitrio.

Sed, quam inane sit et falsum hujusmodi fundamentum ex dictis *(n. 1906)* liquet: cum enim contractus sit a sacramento inseparabilis, et sui elevatione ad esse sacramentale evaserit res sacra et spiritualis, ipse terrenæ potestati omnino subductus est, atque ecclesiasticæ auctoritati traditus.

« Quapropter, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* nec ratione efficitur, nec teste temporum historia comprobatur potestatem

in Matrimonia christianorum ad principes reipublicæ esse jure traductam. Quod si hac in re alienum violatum jus est, nemo profecto dixerit esse ab Ecclesia violatum. » (Encycl. *Arcanum*).

1945. — Prop. IV. *Ecclesia sola jus habet causas matrimoniales judicandi.*

Ecclesiam jus habere in causas matrimoniales, est *de fide*, ex Trid., Sess. XXIV, can. 12: « Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; A. S. » — Ecclesiam *solam* hoc jus habere, est *certum*, ex declaratione Pii VI, ad Episc. Motulens., 17 Sept. 1788; et ex *prop. 74* in Syll. damnata: « Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent. »

Prob. I. **Ex Ratione.** Causæ matrimoniales ad Matrimonii vinculum et valorem quodam modo pertinent, et consequenter ad valorem ipsius sacramenti, a quo contractus est inseparabilis. Porro, sola Ecclesia de causis ad sacramenta pertinentibus judicare potest. Ergo sola potest de causis matrimonialibus cognoscere.

II. **Ex Declaratione SS. Pontificum.** Ait *Pius IX:* « A conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, quæ ad idem Matrimonium quovis modo possunt pertinere. » (*Allocut.* in consist. 27 Sept. 1852).

Pius VI, de iis agens, qui quasdem Ecclesiæ, quasdam vero civili potestati causas tribuunt, ait: « Spiritus vero sive ratio legis (id est, *canonis 12* supra citati) adeo late patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquant. Si enim hæ causæ non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiæ judicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicæ sacramentis, sicut hæc sacramenti ratio communis est omnibus causis matrimonialibus, ita omnes hæ causæ spectare unice debent ad judices ecclesiasticos, cum eadem sit ratio in omnibus. » *(Epist. ad episc. Motulens.).*

Et in bulla: *Auctorem fidei*, idem Pontifex damnavit ut *falsam, prop. 58* Synodi pistoriensis, quæ statuit sponsalia « civilium legum præscripto omnino subjacere.» *(Denz., n. 1421).*

1946. — Quæritur I. *An contractus vel causæ matrimoniales christianorum potestati civili nulla ratione subdantur?*

Resp. I. Cum contractus matrimonialis sit a ratione sacramenti inseparabilis, ipse *quoad vinculum* sive incundum sive solvendum, potestati civili nulla ratione subditur. Proinde Matrimonium *civile,* in ordine ad sponsos conjungendos, invalidum est omnino, putidus est concubinatus, et de se nec eos quidem effectus civiles, quos civilis potestas ei adscribit, juste inducere potest, cum ne validi quidem contractus naturalis rationem possideat.

Quia vero plura extrinsece et accidentaliter cum Matrimonio connectuntur, ut dos, hæreditas, legitimitas prolis in foro civili, admissio ad publica officia, et alia id genus, quæ bonum societatis directe respiciunt, horum respectu contractus matrimonialis subdi potest civili potestati. Proinde, circa hujusmodi accidentalia princeps sæcularis ea statuere potest, quæ ad bonum societatis conducunt, salvis tamen juribus Ecclesiæ et primariis ipsorum contrahentium officiis.

Ecclesia « non ignorat neque diffitetur, *ait SS. D. N. Leo PP. XIII,* sacramentum Matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanæ dirigatur, cognationem et necessitatem habere cum rebus ipsis humanis, quæ Matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur: de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt qui rei publicæ præsunt.» (Encycl. *Arcanum*).

Resp. II. *Quoad causas matrimoniales.* — « Tria sunt causarum matrimonalium genera, *ait Benedictus XIV.*

» Aliquæ versantur circa initi fœderis firmitatem, et hæ, nullo catholicorum contradicente, in solo Ecclesiæ foro sunt pertractandæ.

» Aliæ sunt causæ excitatæ, aut super validitate sponsalium, aut super jure instituendi divortium quoad torum et cohabitationem; et istæ pariter ob illum respectum, quem habent ad Matrimonii sacramentum, ad solum judicem ecclesiasticum pertinent.

» Aliæ demum sunt causæ, quæ connexionem quidem habent cum Matrimonio, sed res mere politicas et temporales directe atque immediate respiciunt, uti sunt lites, quæ frequenter moventur super dote, donatione propter nuptias, hæreditaria successione, alimentis et similibus; et istas ad judices sæculares pertinere ex communi Doctorum sensu recte docent Bellarminus et Tanner.» *(De Synod., l. IX, c. 9, n. 3 et 4).*

1947. — Quæritur II. *Utrum princeps sæcularis possit impedimenta Matrimonium infidelium dirimentia statuere* [1].

Resp. *a)* Plures theologi et canonistæ recentiores docent, principem sæcularem posse quidem prohibere nuptias infidelium, quas bono publico noxias arbitratur, et hujusmodi nuptias ineuntes pœnis mulctare; ast non pollere auctoritate apponendi impedimenta, quæ contractum secundum legem naturalem initum invalidum reddant [2].

Hujus sententiæ patroni provocant præsertim ad verba SS. D. N. Leonis PP. XIII, (Encycl. *Arcanum*): « Cum Matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiæ. »

b) Antiquiores vero theologi et canonistæ, quibus consentiunt plurimi recentiores, communius affirmabant, posse principem civilem, propter reipublicæ bonum, statuere quoad subjectos suos infideles impedimenta Matrimonium dirimentia, dummodo sint rationabilia. Cui sententiæ tanquam probabiliori subscribimus. Etenim:

1. Sententiam hanc in praxi sequitur S. Sedes, quæ invalida tenet infidelium Matrimonia, in quibus intervenit impedimentum dirimens juris positivi ab eorum principe conditi, ut constat ex documentis nuperrime divulgatis, scilicet rescripto S. C. de Prop. Fide, 26 Jun. 1820, et altero S. C. Sancti Off., 20 Sept. 1854 [3].

2. *Idem suadetur ratione.* — Si Matrimonia lege positiva nulla regerentur, maxima inde mala in societatem tam civilem quam domesticam redundarent. Qua de causa, ob incolumitatem scilicet ipsius generis humani, ob pacem et tranquillitatem status et familiæ, Ecclesia plura condidit impedimenta Matrimonium dirimentia, quæ tamen, inspecta sola lege naturali aut divina positiva, contractum matrimonialem non invalidant; cujusmodi sunt Matrimonia inita absque publica forma, vel inter adoptantem et adoptatam, vel consanguineos inter et affines. Necesse est igitur quamdam existere auctoritatem, quæ conjugiis invigilet et circa ea leges ferat, ne in societatis detrimentum vergant: alioquin Deus bono publico non satis providisset.

Porro, apud infideles nulla existit auctoritas religiosa, cui Deus potestatem contulerit ea ordinandi, quæ ad conjugia pertinent; neque Ecclesia circa eorum Matrimonia quidquam statuere potest, cum de iis qui foris sunt, judicare non habeat. Proinde, licet Matrimonium, qua officium naturæ, vi divinæ suæ institutionis et ratione suæ significationis, (unionis scilicet Christi cum Ecclesia), sit « sua vi, sua natura, sua sponte sacrum » *(cf. n. 1900)*, et qua tale ad potestatem

[1] Cf. Rosset, *De Matr.*, n. 803 et seq.; Gasparri, *De Matr.*, n. 281 et seq. — [2] Cf. Perrone, *De Matr.*, P. II, sect. 2, c. 3. — [3] Cf. *Collect. S. C. de Prop. Fid.*, n. 1147 et 1149; et Gasparri, *loc. cit.*

religiosam essentialiter pertineat; ipsa tamen deficiente, jus circa connubia ad potestatem civilem devolvitur, quæ sola apud infideles legitime existit, et cui soli competit officium bono publico invigilandi. Quapropter *jure devolutivo* potest princeps civilis circa infidelium Matrimonia eas statuere leges, quæ ad societatis bonum necessariæ sunt; et proinde etiam de eorumdem causis matrimonialibus cognoscere et judicare, an contracta Matrimonia sint juxta leges inita ac proinde valida, necne: cui enim potestas legislativa, eidem et judiciaria competit.

Matrimonia vero semel valide inita etiam inter infideles princeps civilis nulla unquam de causa solvere potest, cum nulla hujusmodi potestas eidem sit concessa; nec impedimenta, quæ statuere potest, vim retroactivam habere valeant.

APPENDIX.

DE VIRGINITATIS PRÆSTANTIA [1].

1948. — Matrimonium, utpote ab ipso Deo institutum atque a Christo ad dignitatem sacramenti elevatum, est quid sanctum Deoque gratum; ast majori laude et dignitate commendatur virginitas, qua homo, ut Deo rebusque divinis liberius vacet, voluntariam servat carnis integritatem, atque firmo proposito ab omni, etiam licita, carnali voluptate in perpetuum abstinet.

1949. — Errores. — Jovinianus, sæculo IV, primus exstitit, qui virginitatis decorem et præstantiam minuere attentarit. Non damnabat quidem virginitatem; sed ei statum conjugalem æquabat, docens utrumque eamdem laudem idemque meritum habere apud Deum.

Reformatores sæculo XVI ulterius progressi sunt. Cum perditissimis essent moribus, atque turpi concubinatu clericalem cælibatum violassent, suam vivendi rationem cohonestare aggressi sunt, docentes: Matrimonium virginitati atque cælibatui præstare, et esse omnibus, vi legis naturalis, præscriptum.

Statum virginitatis pro Deo susceptum acriter etiam impetunt Montesquieu *(Lettres persanes, 117)*, nec pauci recentiores philosophi et medici materialistæ.

1950. — Prop. *Status virginitatis statui Matrimonii præstat.*

De fide, ex Trid., Sess. XXIV, can. 10: « Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus, et

[1] Cf. S. Th., 2. 2, q. 152; *Cont. Gentes,* l. III, c. 136; Rosset, *De Matr.,* n. 371 et seq.

non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu quam jungi Matrimonio; A. S.»

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. Postquam Christus omnimodam Matrimonii indissolubilitatem statuerat, dixerunt ei discipuli ejus (Matth. XIX, 10-12): *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.*

Sed prout S. Patres unanimiter testantur, qui se ipsos castraverunt, illos designant, qui statum virginitatis elegerunt; quem non elegerunt, nisi quia *datum est illis* ex speciali Dei gratia. « Qui potest capere, capiat, *ait S. Hieronymus.* Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino; et juxta eumdem Apostolum, esse sanctum corpore et spiritu. Hi sunt eunuchi qui se, lignum aridum ob sterilitatem putantes, audiunt per Isaiam (LVI), quod pro filiis et filiabus locum in cœlis habeant paratum.» *(Cont. Jovinian., l. I).*

2. S. Paulus, (I Cor. VII) virginitatem et cælibatum adeo commendat, ut eorum supra Matrimonium præstantia vix fortius exprimi possit. Ait: v. 1: *Bonum est homini mulierem non tangere.* — V. 7, 8: *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego.* — V. 32-34: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* Tandem concludit, v. 38-40: *Igitur qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit... Quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat: tantum in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.*

3. In Apocalypsi, XIV, 3, 4, singulare præmium eis, qui virginitatem servaverunt, promittitur. *Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* (Cf. S. Alph., *Vera sponsa*, c. I).

II. **Ex Traditione.** S. Patres virginitatem uno ore laudibus extollunt, ejusque supra Matrimonium præstantiam celebrant.

Scribit *S. Clemens I Rom.*: « Cujuscumque sexus virginibus asscritur nomen multo clarius quam honor ex filiis et filiabus procedens, eisque promittitur sublimior habitationis locus; nec ipsis comparandi sunt conjuges, licet sanctitate eximii, et quorum torus fuit immaculatus. Locus enim in quo habitabunt, non tantum electis om-

nibus commune regnum cœlorum est, sed pars ipsorum cum sanctis Angelis est, ut nobilius et excellentius quod elegerunt vitæ genus remuneretur.» *(Ep. I ad Virgin., c. 4).*

S. Joan. Chrysost.: «Bonum est virginitas; et ego consentio; ac Matrimonio etiam melior, et hoc confiteor. Et si placet, quanto etiam melior sit addam: quanto cœlum terra, quanto hominibus Angeli. Imo ut fortius aliquid addam, etiam amplius.» *(De Virginitate, c. 10).*

III. **Ex Ratione.** Jovinianus, *inquit S. Th.,* «posuit virginitatem non esse Matrimonio præferendam. Qui quidem error præcipue destruitur et exemplo Christi, qui et Matrem virginem elegit, et ipse virginitatem servavit; et ex doctrina Apostoli, qui (I Cor. VII) virginitatem consuluit tanquam melius bonum; et etiam ratione; tum quia bonum divinum est potius humano bono; tum quia bonum animæ præfertur bono corporis; tum etiam quia bonum contemplativæ vitæ præfertur bono activæ. Virginitas autem ordinatur ad bonum animæ secundum vitam contemplativam, quod est cogitare *ea quæ sunt Dei;* conjugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani; et pertinet ad vitam activam, quia vir et mulier in Matrimonio viventes necesse habent cogitare quæ sunt mundi, ut patet per Apostolum (I Cor. VII). Unde indubitanter virginitas præferenda est continentiæ conjugali.» *(2. 2. q. 152, a. 4).*

NB. Qui virginitatem impugnant, provocant tum ad jus naturale, tum ad jus publicum, imo ad jus divinum positivum, et ad auctoritatem Patrum et Conciliorum [1]. Duas tantum objectiones ex jure naturali et ex jure publico petitas, utpote inter recentiores materialistas usitatiores, allegare juvat.

1951. — Objicitur I. Natura, *inquiunt,* dedit organa ut homo eis utatur, eorumque exercendorum indidit desiderium. Cuique igitur jure naturæ incumbendum est procreationi prolis. — Quo argumento jam antiquiores usi sunt hæretici, qui, teste S. Hieronymo, *(Cont. Jovinian., l. I),* sic arguebant: «Cur creata sunt genitalia, et sic a conditore sapientissimo fabricati sumus, ut mutuum nostri patiamur ardorem, et gestiamus in naturalem copulam?»

Resp. Duplicis generis organa elargita est homini natura: alia quæ ad ipsius individui bonum necessaria sunt, ut, v. gr., vis nutritiva, visus, auditus, etc.; alia quæ ad multitudinis bonum ordinantur. Quæ ad ipsius individui bonum sunt necessaria, a quolibet, integra si fuerint, proprii boni causa exercenda sunt, ut patet de vi nutritiva; quæ vero non ad individui, sed ad multitudinis bonum ordinata sunt, non necesse est ab omnibus indiscriminatim exerceri; sat est aliquos eisdem uti, in quantum bonum multitudinis hoc exigit. Porro,

[1] Cf. Rosset, n. 372 et seq.

vis generativa non ad ipsius individui, sed ad multitudinis bonum ordinatur; quocirca sat est ad castitatem non vocatos nubere; alii vero absque juris naturalis violatione cælibes remanere possunt. Alioquin etiam dicendum foret, Christum et Apostolos, qui virginitatem servarunt, aliosque ad virginitatem adhortati sunt, contra jus naturæ egisse.

1952. — Obj. II. Bonum publicum, *inquiunt*, præstat bono privato. Sed Matrimonium, civium numerum augendo, ad publicum societatis bonum ordinatur; virginitas vero ad solum bonum privatum.

Præterea, si omnes virginitatem servarent, civilis societas et totum genus humanum mox exstinguerentur.

Demum, virgines et cælibes, utpote qui propriæ solum perfectioni studeant, civitatibus sunt inutiles, ac eo ipso jura civitatis lædunt.

Resp. 1. Bonum publicum præstat bono privato, *dist.*: si sunt ejusdem ordinis, *conc.*; si sunt diversi ordinis, *nego*. Jamvero bonum publicum, ad quod ordinatur prolis generatio, est ordinis naturalis; virginitas vero, utpote propter Deum et vitæ spiritualis perfectionem suscepta, ordinatur ad bonum gratiæ, quod per se cuicumque naturali bono præstat. «Bonum universi, *inquit S. Th.*, est majus quam bonum particulare unius, si accipiatur utrumque in eodem genere. Sed bonum gratiæ unius majus est quam bonum naturæ totius universi.» *(1. 2, q. 113, a. 9, ad 2)*.

2. De generis humani diminutione vel exstinctione ob virginitatem, quæ propter Deum et vitæ spiritualis perfectionem servatur, nullatenus est timendum; talis enim virginitas, utpote naturæ onerosa, semper erit rara; unde eam Dominus donum Dei vocavit, quod non omnibus conceditur.

De ejusdem vero diminutione potius timendum est tum ob detestandum cælibatum quem multi, ex iis præsertim qui contra cælibatum ecclesiasticum deblaterant, libidinis causa servant, ut nempe oneribus Matrimonii subtracti, passionibus ignominiæ liberius indulgeant; tum ob eorum agendi rationem, qui, Matrimonio inito, exsecrabili commercio solam voluptatem quærunt, prolem vero devitant.

3. Demum, omnino negandum est statum virginitatis bono publico non prodesse. Etenim:

a) Bonum publicum expostulat non solum ut augeantur bona materialia, sed etiam et præsertim ut abundent bona spiritualia; sed ad hæc procuranda, virgines oratione, omniumque virtutum exemplo apprime adlaborant. Multitudini hominum, *inquit S. Th.*, «necessarium est non solum quod multiplicetur corporaliter, sed etiam quod spiritualiter proficiat. Et ideo sufficienter providetur humanæ multitudini, si quidam carnali generationi operam dent: quidam vero ab hac abstinentes, contemplationi divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem et salutem: sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant;

quæ tamen omnia debita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt. » *(2. 2, q. 152, a. 2, ad 1).*

b) Sed et bonum temporale civitatum multum promovent virgines, tam viri quam mulieres. Alii educandæ juventuti totos se devovent; alii infirmis in nosocomiis subserviunt; alii ut proximo in omnigenis miseriis subveniant, propriam imo vitam profundere non verentur, ut quotidiana testatur experientia. Ast, si propriæ prolis educandæ curis detinerentur, si propriæ familiæ amore forent illaqueati, quomodo possent, sui obliti, totos in proximi utilitatem sese impendere? Exinde patet, bona vel temporalia civitatum virginitatis statu propter Deum suscepto apprime promoveri. *(Cf. etiam dicta de cælibatu ecclesiastico, n. 1891).*

EXPLICIT TRACTATUS DE MATRIMONIO.

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS.

DE NOVISSIMIS.

Conspectus generalis.

CAP. I. De judicio particulari.
- **A. 1.** De ejus existentia.
- **A. 2.** De ejus circumstantiis.

CAP. II. De Purgatorio.

CAP. III. De Antichristo.

CAP. IV. De signis consummationis sæculi.
- **A. 1.** De signis remotis.
- **A. 2.** De signis proximis.

CAP. V. De mortuorum resurrectione.
- **A. 1.** De ejus veritate.
- **A. 2.** De ejus circumstantiis.
- **A. 3.** De resurgentium qualitatibus.

CAP. VI. De judicio universali.
- **A. 1.** De ejus existentia.
- **A. 2.** De ejus circumstantiis.

CAP. VII. De mundi innovatione.

CAP. VIII. De statu damnatorum.
- **A. 1.** De inferni existentia.
- **A. 2.** De inferni æternitate.
- **A. 3.** De pœnis damnatorum.

CAP. IX. De statu Beatorum.
- **A. 1.** De beatitudine.
- **A. 2.** De dotibus et aureolis.

INTRODUCTIO.

1953. — Ex iis, quæ in hujusce operis decursu exposita sunt, perspectum habemus, et quomodo Deus ad gloriam suam et electorum salutem mundum e nihilo condiderit; et quomodo opus suum, peccato Adami collapsum, in sanguine Salvatoris restauraverit; et quomodo hominem omnibus tam internis quam externis instruxerit salutis mediis, quibus æternam beatitudinem consequi valeat. Manifestatum est etiam, quo pacto Deus operi suo incessanti cura invigilet, atque omnia, tam in ordine naturæ quam in ordine gratiæ, hunc in finem dirigat, ut ad gloriam suam compleatur electorum numerus: quo impleto, mundo huic adspectabili finis imponetur, et, omnibus in termino immutabiliter constitutis, Beati in gloria, reprobi in gehenna Creatoris gloriam in æternum celebrabunt.

Ut igitur theologica consideratio de Deo ejusque operibus ad apicem ducatur, superest ut de Deo omnium consummatore etiam instituatur sermo; de Deo scilicet omnia in suo termino constituente, et operi suo quasi coronidem imponente.

1954. — Divisio tractatus. — Inscribitur hic tractatus De Novissimis, quia ejus argumentum in iis considerandis versatur, quæ juxta divinæ providentiæ œconomiam *ultimo* seu *novissime* obtingunt tum cuilibet homini singulari, tum cuncto humano generi ac universo mundo: de quibus nos monet Spiritus Sanctus (Eccli. VII, 40): *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.*

Hominis novissima quatuor enumerantur, videlicet; *mors, judicium particulare, infernus*, et *cælum* cujus atrium est *purgatorium* pro iis qui justificati, sed nondum perfecte purgati, decedunt.

Ipsius generis humani et totius universi novissima sunt *mundi physici conflagratio et innovatio, mortuorum resurrectio, et judicium universale.*

Ordo igitur logicus expostularet, ut in hocce tractatu primo de novissimis cujusque hominis singularis, deinde de totius universi et ipsius generis humani novissimis sermo institueretur. Ast, cum de hoc argumento *Doctor Zelantissimus, S. Alphonsus,* plures et eas quidem pulcherrimas conscripserit dis-

sertationes, operæ pretium esse putavimus S. Doctoris dicta, eodem servato ordine, compendiose referre, paucis tantum additis, ubi pro rerum opportunitate utile visum fuerit.

Disseretur proinde: I. De judicio particulari. — II. De purgatorio. — III. De Antichristo. — IV. De signis finem mundi præcedentibus. — V. De mortuorum resurrectione. — VI. De finali judicio. — VII. De statu mundi post ultimum judicium. — VIII. De statu damnatorum. — IX. De statu Beatorum.

De morte, qua finis imponitur viæ, et homo in termino constituitur, jam in decursu operis sufficienter actum est.

—

CAPUT I.

DE JUDICIO PARTICULARI [1].

1955. — Judicium particulare est *discussio operum a Deo facta in morte cujuslibet hominis, ut ei pro meritis sive præmium sive pœna retribuatur.*

De Judicio particulari erraverunt tum antiquiores quidam hæretici, *Chiliastæ* nomine, docentes, animas ad ultimum usque judicium in incerto relinqui; tum *Lutherus* et *Calvinus* autumantes, sortem animarum ante diem ultimi judicii certo determinari non posse.

Circa judicium particulare duo sunt investiganda, nimirum: I. Ejus existentia atque exsecutio; II. ejus circumstantiæ.

ARTICULUS I.

DE JUDICII PARTICULARIS EXISTENTIA ATQUE EXSECUTIONE.

1956. — **Prop. I.** *Anima cujuslibet hominis statim post mortem a Deo judicatur.* — Certa.

NB. Hæc prop. non expli·ite quidem definita est *de fide;* implicite vero in iis continetur definitionibus, quibus statuitur,

[1] Cf. S. Alph., Diss. I; Gotti, Tr. *De Judicio,* q. IV. (Tom. 16, p. 343).

animas statim post mortem, vel in infernum detrudi, vel in cœlum assumi, si plene purgatæ fuerint.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Eccli. XI, 28, 29): *Facile est coram Deo in die obitus, retribuere unicuique secundum vias suas... In fine hominis denudatio operum illius.* Jamvero, ex verbis: *retribuere unicuique secundum vias suas, — denudatio operum,* planum est hic agi de quodam judicio. — Illud autem judicium statim post mortem fieri, conspicuum est ex verbis: *in die obitus, — in fine hominis.*

(Hebr. IX. 27): *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Etsi nonnulli theologi hunc textum de ultimo solum judicio intelligunt, eum tamen alii, et consultius quidem, de judicio particulari interpretantur, cum nullum Apostolus mortem inter atque judicium intervallum ponat. Eumdem de particulari judicio nonnulli ex Patribus intelligunt. « Statutum est, *ait S. Ambrosius,* omnibus semel mori, et post mortem judicabitur unusquisque secundum merita sua. » *(In Hebr. IX, 27).*

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Joan. Chrysost.:* « Postquam diem tuum obieris, judicium et pœna consequetur. » *(In Matth., Hom. 37). — S. Joan. Damasc.:* « Cum exhalamus spiritum, quasi in libra humana opera probantur. » *(Orat. de defunct.).* — Et *S. August.:* « Jam illud rectissime et valde salubriter credit, judicari animas cum de corporibus exierunt, antequam veniant ad istud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari. » *(De orig. animæ, l. 2, c. 4).*

III. **Ex Ratione.** 1. *De fide* est, animas impiorum in mortis articulo igne gehennæ statim puniri; sanctorum vero animas plene purgatas gaudio beatifico statim remunerari. Porro, ut justa sit retributio pro operibus in hac vita peractis, operum discussionem necessario præsupponit. Ergo quilibet statim post mortem judicabitur.

2. In mortis articulo terminatur merendi vel demerendi tempus. Sed, absoluto cursu viæ, conveniens est judicium de quolibet statim ferri.

3. « Quilibet homo, *ait S. Th.,* et est singularis quædam persona, et est pars totius generis humani: unde et duplex

ei judicium debetur. Unum singulare, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet juxta ea, quæ in corpore gessit, quamvis non totaliter, quia non quoad corpus, sed quoad animam tantum; aliud judicium debet esse de eo, secundum quod est pars totius humani generis. » *(Suppl., q. 88, a. 1, ad 1).*

1957. — Prop. II. *Impiorum animæ statim post judicium particulare in infernum detruduntur; piorum vero animæ perfecte purgatæ* (post Christi mortem) *beatifica Dei visione statim donantur.*

De fide, ex Lugdun. II, et ex Florent., *decr. pro Arm.*, in quo legitur: « Definimus insuper... illorum animas, qui, post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contracti peccati maculam... sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est;... illorum autem animas, qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. » — *Cf. etiam Const.* Benedictus Deus, *Benedicti XII, an. 1336, contra millenarios. (Denz., n. 456).*

Prob. I. Pars: *Impiorum animæ statim post mortem in infernum detruduntur.*

I. **Ex Script. S.** Legimus (Job. XXI, 13): *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Dicitur *in puncto*, id est, in ipso mortis instanti. — (Luc. XVI, 22, 24): *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno... Crucior in hac flamma.*

II. **Ex Traditione.** Scribit *S. Hilarius:* « Excipit impios statim ultor ignis. » *(In Ps. II).* — *S. Gregor. Magn.:* « Sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. » *(Dialog., l. IV, c. 28).*

Prob. II. Pars: *Animæ justæ plene purgatæ beatifica Dei visione statim donantur.*

I. **Ex Script. S.** Christus ait ad B. Latronem (Luc. XXIII, 43): *Hodie mecum eris in paradiso;* id est in fruitione gloriæ, sicut explicant S. Patres [1]; quam gloriæ fruitionem Pa-

[1] Cf. Mazzella, *De Deo Creante*, n. 1206.

tribus in sinu Abrahæ detentis Christus descendens ad inferos elargitus est [1].

(II Cor. V, 1 et seq.): *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis... Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, (per fidem enim ambulamus et non per speciem): audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum.* — (Philipp. I, 23): *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.*

Quibus ex verbis patet, statim ac corpus, domus nostra terrestris, per mortem dissolvitur, animam, si nihil expiandum ei superfuerit, recipi in domum non manufactam, æternam in cœlis, et præsentem sisti ad Dominum, et esse cum Christo. Sed, *recipi in cœlum, præsentem esse ad Dominum, esse cum Christo,* nihil aliud est quam beatifica fruitione donari.

II. **Ex Traditione.** « Luce clarius constat, *ait S. Greg. Magn.*, quia defunctorum justorum animæ, mox ut hujus carnis claustro exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur, quod et ipse per se Veritas attestatur... et Paulus dissolvi desiderans et esse cum Christo. Qui ergo Christum in cœlo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo neget. » *(Dial., l. 4, c. 2).*

Sævientibus persecutionibus, ut fidelium constantiam roborarent, S. Patres, ad spem Deum statim post mortem videndi provocabant. Ait *S. Cyprianus:* « Baptisma (sanguinis), quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat... Quanta est dignitas, quanta securitas... claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus. » *(Exhort. ad martyr.)*

III. **Ex Confessione Martyrum.** Ut ex ipsorum actis constat, Martyres, v. gr., S. Felicitas, S. Lucius, S. Symphorosa, coram judicibus aperte protestati sunt, eos, qui ab ipsis necati fuerant, cœlesti gloria jam perfrui. — Ad judicem ait *S. Symphorosa:* « Vir meus Getulius et frater ejus Amantius

[1] Cf. S. Th., P. 3, q. 52.

pro nomine Jesu Christi decollari maluerunt, quam sacrificare: vicerunt vestros dæmones, et nunc cum æterno rege vita æterna fruuntur in cœlis. »

IV. **Ex Sensu fidelium et Liturgiis.** Quotquot exstant fideles, persuasum sibi habent sanctos in cœlis divina visione perfrui: et eorum precibus se commendant, ut pro se apud Deum intercedere dignentur.

Ipsa Ecclesia in precibus suis clare testatur, Sanctos in cœlis jam remunerari. Sic, v. gr., in festo S. Gregorii orat: « Deus, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contulisti, etc. »

V. **Ex Ratione.** Utramque thesis partem ratione confirmat S. Thomas.

1. « Nulla ratio est, *inquit*, quare in punitione vel præmiatione animarum exspectetur resumptio corporum; quin magis conveniens videtur, ut animæ in quibus per prius fuit culpa et meritum, prius etiam puniantur vel præmientur. » *(Cont. Gent. IV, c. 91).*

2. « Sicut in corporibus est gravitas, vel levitas, qua feruntur ad suum locum, qui est finis motus ipsorum, ita etiam est in animabus meritum vel demeritum, quibus perveniunt animæ ad præmium, vel ad pœnam, quæ sunt fines actionum ipsarum. Unde sicut corpus per gravitatem vel levitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur; ita animæ, soluto vinculo carnis, per quod in statu viæ detinebantur, statim præmium consequuntur, vel pœnam, nisi aliquid impediat; sicut interdum impedit consecutionem præmii veniale peccatum, quod prius purgari oportet; ex quo sequitur quod præmium differatur. Et quia locus deputatur animabus secundum congruentiam præmii vel pœnæ, statim ut anima absolvitur a corpore, vel in infernum immergitur, vel ad cœlos evolat; nisi impediatur aliquo reatu, quo oporteat evolationem differri, ut prius anima purgetur. » *(Suppl., q. 69, a. 2).*

ARTICULUS II.

DE CIRCUMSTANTIIS JUDICII PARTICULARIS.

De circumstantiis judicii particularis nihil est fide definitum; imo nec quidquam certitudine theologica tenetur. Quæ igitur probabiliora videntur indicabimus.

1958. — I. **De tempore judicii.** — « Docent communiter theologi, *ait S. Alph.*, particulare judicium in ipso mortis momento institui, in illo scilicet temporis puncto, quo anima separatur a corpore. Non fit ante illud instans, quandoquidem nondum transiit merendi vel demerendi tempus; nec post illud, peracta enim illa separatione, nulla datur differendi judicii ratio, cum anima sit extra viam, et consequenter incapax majorem aut mercedem aut pœnam promerendi. » *(N. 4).*

« Quamvis S. Patres atque theologi dicant, judicio assistere et Angelum custodem tanquam advocatum, et dæmonem tanquam accusatorem, omnia tamen in unico instanti, seu, ut *ait S. Augustinus,* mira celeritate peragentur; quandoquidem Christus, etiam qua homo, opera nostra perfecte cognoscens, ad ea discutienda nec tempore indiget, nec testibus. Quocirca ipse nos monet, dicens: *Et accedam ad vos in judicio, et ero testis velox* (Malach. III, 5); — *Ego sum judex et testis.* (Jerem. XXIX, 23). — Præterea, in illo momento, operatione divina, quilibet judicandus merita aut demerita sua uno ictu oculi cognoscet. » *(N. 5).*

1959. — II. **De loco judicii.** — Cum judicium in ipsissimo instanti instituatur, quo anima separatur a corpore, communior theologorum opinio tenet, hominem in eo ipso loco, ubi moritur, judicari. *(N. 6).*

1960. — III. **De Judice.** — Ante Christi adventum judicia particularia peragebantur a Verbo divino, qua Verbo et Deo: tunc enim Christus qua homo nec existebat, nec per humilitatem passionis judiciariam potestatem adeptus erat.

An autem post Incarnationem et passionem Christus in judicio particulari sit judex quatenus Deus aut quatenus homo, incertum est. Alii docent, Ipsum esse judicem qua Verbum; alii, et quidem probabilius, qua hominem. Quæ enim leguntur (Act. X, 42): *Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum,* de Christo Homine videntur esse intelligenda. *(N. 7).*

1961. — Etsi vero judicium particulare a Christo Homine exercetur, attamen ad illud exercendum Ipse nec e cœlo descendit, nec

ad animam judicandam corporaliter accedit: alioquin perpetuo esset extra cœlos, et in continuo motu per diversas terræ partes, ut ibidem morientes judicet. Quocirca, cum Scripturæ et Patres dicunt, *Christum venire in obitu ad judicium*, eorum verba non de adventu locali, sed de intellectuali accipi debent, quia Christus ab anima judicanda ita videtur, ac si corporaliter præsens adesset.

Nec animæ judicandæ in cœlum ad thronum Dei ascendunt: sanctitatem quippe illius loci dedecet, animam peccato inquinatam illum ingredi. Posito etiam, animam e corpore egredi puram et perfecte purgatam, ipsa tamen in cœlum collocari non debet, nisi post latam sententiam. Quapropter, cum Patres dicunt, animas judicandas ad thronum Dei adduci, ipsi non aliud, quam præsentationem et elevationem intellectualem ad thronum Dei, significare intendunt. *(N. 8).*

1962. — IV. **De Sententia.** — « Docent communiter theologi, *ait S. Alph.*, sententiam a Christo non vocaliter, sed spiritualiter proferri, et spiritualiter etiam animabus manifestari. Cum enim animæ, corporibus depositis, sint pure spirituales, convenientius est sententiam, eo ipso instanti quo fertur, eisdem spiritualiter intimari. Exinde concludit Estius, cum S. Thoma, aliisque, Christum divina sua virtute in mentem cujuslibet judicati propriam sive de mercede sive de pœna sententiam imprimere. » *(N. 9).*

« Ecce igitur, *concludit S. Doctor*, ecce finis in quem omnes properamus: tribunal Christi, ante quod sisti necesse est, ut quidquid sive boni sive mali egerimus, examini subjiciatur, et pro meritis vel demeritis judicium subeamus, teste Apostolo (II Cor. V, 10): *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* » *(N. 9).*

CAPUT II.

DE PURGATORIO [1].

1963. — Purgatorium locus est, in quo animæ justorum cum reatu peccati venialis vel pœnæ temporalis decedentium,

[1] Cf. S. Alph., Diss. II, et: *Cont. hær.*, sess. XXV, a. 1; S. Th., *Suppl. App.*, q. 2; Bellarmin., *De Purgat.*; Gotti, *De Purgat.* (T. 16, p. 26 et seq.): et: *De vera Eccl.*, P. II, art. 10.

divinæ justitiæ tamdiu satisfaciunt, donec plene purgatæ in Beatorum societatem admittantur.

Duo circa purgatorium quærere est, nempe: I. utrum purgatorium revera existat; II. utrum animæ ibidem detentæ vivorum suffragiis adjuvari possint.

ARTICULUS I.

DE PURGATORII EXISTENTIA.

1964. — Qui primus purgatorii existentiam negavit, *Aerius* videtur, sæc. IV; quem postea secuti sunt *Waldenses, Albigenses, Hussitæ. Lutherus*, etsi prius purgatorii existentiam non inficiatus sit, negavit tamen illud posse ex Scripturis probari; deinceps vero prorsus rejecit, atque *meram diaboli larvam esse docuit.* Idem rejecit *Calvinus*, qui *purgatorium exitiale Satanæ esse commentum* prædicavit.

1965. — **Prop.** *Existit purgatorium.*

De fide, ex Lugdun. II, *in confess. fidei Mich. Palæologi (Denz., n. 387)*; ex Florentino, *in decr. Union. Græcorum (Denz., n. 588)*; ex Trid., *Sess. VI, can. 30, et Sess. XXV*, in qua legimus: « Cum catholica Ecclesia... ex sacris Litteris et antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, et novissime in hac œcumenica Synodo docuerit purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio juvari, etc. »

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. Legimus (II Machab. XII, 43-46): Judas, *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans... Et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

Quibus ex verbis apparet, existere defunctos, qui nec sunt a peccatis perfecte soluti, nec tamen damnati, cum possint a peccatis solvi, et dormitionem cum pietate acceperint. In al-

tera igitur vita quoddam existit receptaculum animarum, in quo justi nondum plene purgati divinæ justitiæ pœnas exsolvunt.

2. (Matth. XII, 32): *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* In quæ verba scribit *S. August.:* « Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro. » *(De Civit. Dei, l. XXI, c. 24).* — Quam explicationem tradunt etiam S. Gregor. M. *(Dial., l. IV, c. 39);* Ven. Beda *(In c. 3 Marci);* S. Fulgent. *(De Remiss. pecc., l. I, c. 24);* S. Bernardus *(Serm. 66, in Cantic.),* pluresque alii.

Cf. etiam: Matth. V, 25, 26; — Luc. XII, 58 et seq.; I Cor. III, 11 et seq.

II. **Ex Traditione.** « De levibus culpis, *ait S. Gregor. M.,* esse ante judicium purgatorius ignis credendus est. » *(Dial., l. IV, c. 39).* — *Tertullianus,* agens de carcere, cujus meminit Christus, *(Matth. V, 25, 26),* ait: « In summa, cum carcerem illum, quem Evangelium demonstrat, inferos intelligamus, et novissimum quadrantem modicum quoque delictum mora resurrectionis illic luendum interpretemur, nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos. » *(De Anima, c. ult.)* — *S. Gregor. Nyss.:* « E corpore egressus non poterit divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit. » *(Orat. de morte).*

Huc etiam collineant omnia Patrum testimonia, quibus docent, orandum esse pro defunctis, ut a pœnis absolvantur.

III. **Ex Praxi Ecclesiæ, et fidelium.** Ecclesia Deo preces et sacrificia pro defunctis offert, multumque satagit, ut et fideles suffragiis eisdem subveniant; et apud fideles semper et ubique viguit consuetudo pro defunctis Deum exorandi. Porro, aperte demonstrat hæc consuetudo, fidem de purgatorio semper viguisse in Ecclesia. Si enim justis nihil post mortem expiandum esse crederet, pro eis certe non oraret, cum persuasissimum sibi habeat, et sanctos in cœlis prece non indigere, et reprobos in gehenna prece non adjuvari.

IV. **Ex Ratione.** « Ex illis quæ supra determinata sunt, *ait S. Th., (cf. n. 1785)* satis potest constare, purgatorium esse post hanc vitam. Si enim per contritionem deleta culpa non tollitur ex toto reatus pœnæ, nec etiam semper venialia dimissis mortalibus tolluntur; et justitia Dei hoc exigit ut peccatum per pœnam debitam ordinetur; oportet quod ille qui post contritionem de peccato et absolutionem decedit ante satisfactionem debitam, post hanc vitam puniatur; et ideo illi qui purgatorium negant, contra divinam justitiam loquuntur, et propter hoc erroneum est, et a fide alienum. » *(4. Sent., D. 21, q. 1, a. 1; cf. Cont. Gent., IV, c. 91).*

1966. — Scholium I. *De pœnis purgatorii.*

« In purgatorio, *ait S. Th.*, erit duplex pœna, una damni, in quantum scilicet (animæ) retardantur a divina visione: alia sensus, secundum quod ab igne corporali punientur. » *(4. Sent., D. 21, q. 1. a. 1).*

Utramque pœnam gravissimam esse, docent S. Patres atque theologi. « Gravior est ille ignis, *ait S. August.*, quam quidquid potest homo pati in hac vita. » *(In Ps. XXXVII, n. 3).* — Et *S. Isidorus Hisp.:* « De illo purgatorio igne hoc animadvertendum est, quod omni, quam excogitari in præsenti potest homo, tormentorum modo et longior et acrior erit. » *(De ord. creat., c. 14, n. 12).*

Pœna vero damni major est quam sensûs. « Maxima pœna, *ait S. Alph.*, quam in hoc sanctorum carcere patiuntur illæ animæ, quæ Deum ex totis viribus diligunt, in eo consistit quod a sponso suo tenentur separatæ, atque intuitiva ejus visione privantur. Magnæ quidem sunt cæteræ, quibus cruciantur, pœnæ; ast omnes, cum privatione divinæ visionis comparatæ, pro nihilo reputantur; et pœnas millies graviores libenter sustinerent illæ animæ, si Deum contemplari eis concederetur. » *(Diss. II, n. 3).*

1967. — An vero minima pœna purgatorii maximam præsentis vitæ superet, disputatur. — Affirmat S. Thomas, dicens: « Quantum ad utrumque (pœnam scilicet sensus et damni), pœna purgatorii minima excedit maximam pœnam hujus vitæ. » *(Loc. cit.).*

« Docet tamen S. Bonaventura *(4. Sent., D. 20, p. 1, a. 1, q. 2), ait S. Alph.*, non quamlibet purgatorii pœnam qualibet pœnâ præsentis vitæ esse majorem; quæ quidem sententia Bellarmino placet; quia, quantumvis magna sit pœna privationis divinæ visionis, multum tamen mitigatur certitudine Deum aliquando possidendi.... Huc spectant quæ profert S. Augustinus: *Minimam pœnam damni*, inquit, *si tamen æterna sit, majorem esse omnibus pœnis hujus vitæ. (In Enchir., c. 112)*. Nota, *si tamen æterna sit;* ergo etiam pœna damni in purgatorio non erit semper major omnibus pœnis præsentis vitæ. » *(Cont. hær., Sess. XXV, n. 28)*.

1968. — Scholium II. *De igne purgatorii.*

Animas in purgatorio pœnam sensus per ignem pati, ex unanimi et constanti Ecclesiæ traditione manifestum est, et ex verbis Apostoli aperte deducitur. Ait (I Cor. III, 13, 15): *Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit.... Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Cujus autem naturæ sit ille ignis, utrum materialis et verus, an metaphoricus, non est ab Ecclesia definitum.

Græci ignem metaphoricum tantum admittunt, dicentes igne significari tristitiam, mœrorem, conscientiæ remorsus, loci obscuritatem, et alia id genus, quibus animæ excruciantur. Græcis consentiunt quidam minoris nominis theologi.

Communis tamen theologorum sententia, imo et communis Patrum et totius Ecclesiæ Latinæ doctrina docet, ignem purgatorii esse verum et proprie dictum ignem, et non solum methaphoricum. Cui sententiæ omnino standum est. *(S. Alph., Diss. II, n. 5)*.

1969. — Scholium III. *De duratione pœnæ purgatorii.*

Certum est post diem ultimi judicii nullam amplius fore expiationem in purgatorio. « Purgatorias pœnas, *ait S. August.*, nullas futuras opinetur christianus, nisi ante illum ultimum diem tremendumque judicium. » *(De Civ. Dei, l. 21, c. 16)*.

Quantum vero temporis cujusque animæ duret pœna purgatoria, determinari nequit; pendet enim ab inscrutabili Dei judicio.

Docuit Soto *(4. Sent., D. 19, q. 3, a. 2)*, nullam animam ultra decem annos in purgatorio esse remansuram, quia non patietur Dei clementia animas sibi devotas a se diutius separari. Quam tamen opinionem alii merito rejiciunt, et cum communi sententia docent, quasdam diutius in flammis expiatoriis remansuras; imo probabile esse, quosdam insigniores peccatores non ante diem judicii a pœnis purgatoriis liberatum iri. « Quæ sententia, *ait S. Alph.*, ex modo agendi Ecclesiæ confirmatur, dum suffragia, quæ defunctis, cum adhuc viverent, pro se fieri curaverunt, exsolvi jubet, etiamsi centum abhinc

annis vel ducentis jam decesserint. » *(Cont. hær., Sess. XXV, n. 25; Cf. Diss. II, n. 8).*

1970. — Scholium IV. *De loco purgatorii.*

« De loco purgatorii non invenitur aliquid expresse determinatum in Scriptura, *ait S. Th.*, nec rationes possunt ad hoc efficaces induci. Tamen probabiliter, et secundum quod consonat magis Sanctorum dictis, et revelationi factæ multis, locus purgatorii est duplex. Unus secundum legem communem, et sic locus purgatorii est locus inferior inferno conjunctus, ita quod idem ignis sit qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in purgatorio purgat; quamvis damnati secundum quod sunt inferiores merito, et loco inferiores ordinandi sunt. — Alius est locus purgatorii secundum dispensationem; et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum pœna innotescens, per suffragia Ecclesiæ mitigaretur. » *(4. Sent., D. 21, q. 1, a. 1, sol. 2. — Cf. S. Alph., Cont. hær., n. 24).*

1971. — Scholium V. *De pace animarum in purgatorio.*

Animæ in purgatorio existentes sunt de sua salute securæ, sicut constat ex *Prop. 38* Lutheri a Leone X damnata: « Animæ in purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem non omnes. » Ratio est, quia in judicio particulari unicuique innotescit sententia judicis. *(S. Alph., Diss. II, n. 11 et 12; Cont. hær., n. 26).*

Et quamvis animæ illæ pœnis cruciantur acerbissimis, eas tamen summa pace atque patientia sustinent: etenim: *dormiunt in somno pacis,* ut dicitur in canone Missæ, atque continuis et ferventissimis amoris actibus in Deum feruntur, quem caritate perfecta indesinenter diligunt. *(Diss. II, n. 9).*

ARTICULUS II.

DE SUFFRAGIIS [1].

1972. — Suffragia vocantur subsidia quædam spiritualia, quibus fideles sibi invicem opitulantur sive ad satisfaciendum pro pœna temporali, sive ad bona spiritualia impetranda. « Suffragia Ecclesiæ pro defunctis, *ait S. Th.*, sunt quasi quædam satisfactiones viventium vice mortuorum, et secundum hoc mortuos a pœna absolvunt. » *(Suppl., q. 72, a. 3, ad 6).*

[1] Cf. S. Th., *Suppl.*, q. 71; S. Alph., Diss. II, § 2, n. 13 et seq.; Bellarm., *De Purg.*, l. II, c. 15 et seq.

Ex supradictis jam constat, fideles, propter communionem sanctorum, ratione scilicet caritatis, qua omnes in unum corpus coadunantur, et directione intentionis, qua unus alteri subvenire intendit, posse se invicem juvare, atque pro aliorum pœnis Deo satisfacere. *(Cf. n. 1796).*

1973. — Quæritur ergo in specie, *an vivorum suffragia prosint etiam defunctis in purgatorio detentis.*

Negative respondent, quotquot aut ipsius purgatorii existentiam negant, aut cum Luthero tenent, una cum culpa totam pœnam semper remitti.

Docet vero fides catholica, defunctos a viventibus adjuvari posse, non quidem quoad substantialem status mutationem, cum jam sint in termino; sed quoad solutionem satisfactionis, quam pro pœnis temporalibus Deo deferre tenentur.

Suffragia pro defunctis duplici modo fieri possunt, videlicet: *a) per modum impetrationis*, quando ipsa Ecclesia aut privatus quidam a Dei liberalitate remissionem pœnæ pro defunctis efflagitat; — *b) per modum satisfactionis*, quando Ecclesia aut aliquis privatus propria sua opera satisfactoria offert, quæ dignetur Deus in remissionem illius pœnæ acceptare, quam defuncti exsolvere tenentur.

Ad satisfactionem referuntur tum sacrificium missæ *(n. 1711)*, tum indulgentiæ, quæ defunctis applicantur *(n. 1820)*.

1974. — **Prop.** *Fidelium animæ in purgatorio detentæ vivorum suffragiis adjuvari possunt.*

De fide, ex locis supra citatis. *(N. 1965).*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (II Mach. XII, 46): *Sancta ergo et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Quibus evidenter constat, mortuos precibus vivorum juvari posse.

II. **Ex Traditione.** « Orationibus sanctæ Ecclesiæ, *ait S. August.*, et sacrificio salutari, et eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari; hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia. » *(Serm. 172, n. 2).*

Tertullianus: « Oblationes pro defunctis pro natalitiis annua die facimus... Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. » *(De corona Milit., c. 3 et 5; cf. S. Alph., Cont. hær. Sess. XXV, n. 12, 13, 14, 29).*

III. **Ex Praxi Ecclesiæ.** Ecclesia, sicut ex Patrum testimoniis et ex antiquissimis liturgiis colligitur, semper consuevit pro defunctis orare, sacrificiumque Altaris offerre, ut a pœnis solvantur.

Præterea, omnes fideles persuasum sibi habent defunctos precibus suis et operibus piis adjuvari. Porro, si suffragia defunctis non prodessent, tota Ecclesia, docens et credens, in errore versaretur.

IV. **Ex Ratione.** « Opus unius, *ait S. Th.*, potest valere alteri, non solum per viam orationis, sed etiam per viam meriti. Quod quidem dupliciter contingit: vel propter communicationem in radice operis, quæ est caritas in operibus meritoriis: et ideo omnes qui sibi invicem caritate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant,... et inde est quod articulus fidei ponitur *sanctorum communio.* Alio modo ex intentione facientis, qui aliqua opera specialiter ad hoc facit ut talibus prosint. Unde ista opera quodammodo efficiuntur eorum pro quibus fiunt, quasi eis a faciente collata; unde possunt eis valere ad impletionem satisfactionis. » *(Suppl., q. 71, a. 1).* Porro, « Caritas, quæ est vinculum Ecclesiæ membra uniens, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos, qui in caritate decedunt... Similiter etiam mortui in memoriis hominum viventium vivunt. Et ideo intentio viventis ad eos dirigi potest. Et sic suffragia vivorum mortuis dupliciter prosunt, sicut et vivis, et propter caritatis unionem, et propter intentionem in eos directam. » *(Loc. cit., a. 2).*

1975. — **Scholium I.** *De oratione Beatorum pro defunctis.* Negant nonnulli, Beatos in gloria jam existentes pro defunctis Deum exorare. — Communior tamen et probabilior

sententia docet, eos Deo suas preces suppliciter deferre, ut animas in flammis purgatoriis detentas liberare dignetur. Id exigere videtur mutua illa caritas, qua omnia corporis mystici membra ad invicem connectuntur. Etenim, ut ait Apostolus (I Cor. XII, 26): *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Sicut igitur Beati pro membris Ecclesiæ militantis, ut a peccatis præserventur, ita etiam pro membris Ecclesiæ patientis, ut a pœnis liberentur, intercedunt.

Quam opinionem confirmat liturgia. Sic, v. gr., orat Ecclesia: « Omnipotens sempiterne Deus... te supplices exoramus, ut quos... sæculum futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. » *(Inter Orat. diver., ult.)* — Cf. etiam: Orat. pro defunctis: *Deus veniæ largitor. (S. Alph., Diss. II, n. 13).*

1976. — Scholium II. *De oratione animarum in purgatorio pro vivis.*

Plures negant, animas in purgatorio pro vivis orare. Probabilior tamen et communior sententia affirmat, cum S. Alphonso, Bellarmino, Suarez, Valentia, etc. « Requirit hoc, *ait Estius*, membrorum ejusdem corporis in caritate communio, præsertim cum non ignorent nos indigere suffragiis alienis. » *(4. Sent., D. 45, § 11, ad 7).*

Nec obstat quod illæ animæ preces nostras nec naturaliter cognoscere valeant, cum rebus humanis non intersint; nec in Verbo videre possint, cum gloria nondum fruantur. Enimvero, « pie credi potest, *ait S. Alph.*, Deum eisdem preces nostras manifestare; et tunc ipsæ, caritate cum flagrent, certe pro nobis orare non omittunt... Et S. Augustinus, agens de mortuis, qui nesciunt quid peragatur in terris, ait (*De Spir. et An.*, c. 29): *Scire possunt ab Angelis qui hic nobis præsto sunt.* » *(Diss. II, n. 16).*

Ex quibus sequitur, animas in purgatorio degentes a nobis invocari posse, ast *privatim* tantum; etsi enim Ecclesia eas non solet invocare, earum tamen privatam invocationem non prohibet.

1977. — Scholium III. *De suffragiorum applicatione.*

Animas in purgatorio suffragiis adjuvari, ex dictis *(n. 1974)* satis constat. An autem fructus suffragiorum sit infallibilis, *non plane certum est*, cum hac de re nulla adsit divina promissio, vi cujus Deus teneatur vivorum satisfactiones in solutionem pœnæ defunctorum acceptare.

Probabilior sententia tenet, suffragia, si fiant pro defunctis in communi, ipsis infallibiliter prodesse; si vero pro determinato defuncto applicentur, effectum non esse infallibilem, saltem quoad totum operis satisfactorii valorem; obstare enim possunt divina justitia et sapientia, quominus suffragia ipsi totaliter, imo et partialiter applicentur; sicut jam supra *(n. 1824)* de indulgentiis notatum est.

Merito tamen creditur suffragia iis certo prodesse, « qui per merita præcedentia se habilitaverunt ut fructum suffragiorum susciperent » *(S. Th., Suppl., q. 71, a. 12, ad 2)*; iis præsertim, qui in vita sua erga proximos tam vivos quam defunctos sese misericordes exhibuerunt, secundum illud (Matth. V, 7): *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Certum est suffragia ei, pro quo determinate fiunt, magis prodesse quam aliis, (nisi adsit quoddam impedimentum). « Non est dubium, *ait S. Th.*, quin magis valeant ei pro quo fiunt, imo sic ei soli valent. Satisfactio enim proprie ad remissionem pœnæ ordinatur. Unde quantum ad remissionem pœnæ præcipue valet suffragium ei pro quo fit. » *(Suppl., q. 71, a. 12).*

« Credibile tamen est, *addit S. Doctor*, quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis supersit his pro quibus fiunt, (ut si eis non indigeant), aliis dispensetur pro quibus non fiunt, si eis indigeant. » *(Suppl., q. 71, a. 14, ad 2).*

1978. — Scholium IV. *De Sanctorum communione.*

Ex dictis iterum videre est, quam arcto caritatis vinculo omnia Ecclesiæ membra inter se connectantur: *Multi enim unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius*

membra, (Rom. XII, 5); et quanta bona omnibus Ecclesiæ membris ex hac intima unione adveniant. *(Cf. n. 1001).*

Membra omnia Ecclesiæ triumphantis, militantis et patientis, cum Capite et inter se mutua caritate consociantur, cujus gratia quilibet ex alterius operibus quidpiam emolumenti reportat.

Caput in omnia membra gratiam jugiter influit; et membra Capiti gloriam et honorem tanquam Altissimo Regi perpetuo deferunt.

Angeli cœlestes Capiti continuo assistunt, cui famulentur; Regis ministeria, præsertim circa electorum salutem, exsequuntur; pro nobis orant; et ipsi ex electorum salute gaudium reportant.

Beati in cœlis Deum facie ad faciem jam intuentes, pro fratribus preces fundunt: pro vivis ut a malis præserventur; pro defunctis, ut a pœnis liberentur. Eorum præterea superfluæ satisfactiones, in thesauro Ecclesiæ reconditæ, ad remissionem pœnæ tam vivis quam defunctis per indulgentias applicantur. Ipsi vero ex obsequiis nostris honorem consequuntur.

Sancti in purgatorio detenti pro nobis Deum exorant, ut corpori caritate conjuncti maneamus; atque ipsi ex suffragiis nostris solatium accipiunt et a pœnis solvuntur.

Viventes in terra, sacramentorum receptione, precibus aliisque operibus mutuo se juvant, tum ad satisfaciendum pro peccatis, tum ad merendum bona sive spiritualia sive temporalia, quibus ad finem vitæ æternæ perducantur.

Hæc intima membrorum Ecclesiæ ope caritatis connexio, hæc mutua bonorum operum participatio, est *Sanctorum communio*, quæ ponitur dogma fidei: *Credo... Sanctorum communionem. (Cf. Catech. Rom., P. 1, c. 10, n. 23).*

CAPUT III.

DE ANTICHRISTO [1].

1979. — Antichristus est iste homo peccati et filius perditionis, qui in fine mundi Christo ejusque regno adversabitur.

Vocatur per antonomasiam *Antichristus*, seu *Christi adversarius*, quia, licet jam multi fuerint in mundo multique sint adhuc antichristi, secundum illud (I Joan. II, 18): *Antichristus venit, et nunc antichristi multi facti sunt*, hi tamen omnes velut typi et umbra illius sunt, qui in consummatione sæculi ad gentes seducendas venturus est, et qui caput et princeps est omnium Christi inimicorum.

1980. — Antichristum describit Apostolus (II Thessal. II, 3 et seq.): *Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus... Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum: cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.*

Ex his verbis, si cum Patrum testimoniis conferas, constat, et Antichristum in fine mundi certo venturum, ipsumque non moralem fore personam, sicut pluribus placet, sed physicam; verum hominem, non dæmonem.

De cujus *ortu*, *notis*, *persecutionibus* et *morte* quædam breviter adnotanda sunt.

1981. — **I. De ortu Antichristi.** — 1. NATIVITAS. — Docent nonnulli, Antichristum operatione dæmonis ex virgine nasciturum; quæ quidem opinio plane falsa est, cum nativitas ex virgine summum sit miraculum, quod Deus solius Verbi Incarnati gratia patravit.

[1] Cf. S. Alph., Diss. III; Gotti, *De fine mundi*, q. I, (T. 16, pag. 178); Malvenda, *De Antichristo.*; Bellarm., *De Rom. Pontif.*, l. III, c. 1-17.

S. Hippolytus M. [1], S. Ephrem [2], S. Joan. Damascenus [3], ipsum ex muliere impudente et fornicaria nasciturum dicunt, quam opinionem card. Gotti [4] probabilem æstimat.

S. Irenæus [5], S. Ambrosius [6], S. Augustinus [7], S. Gregorius [8], S. Hieronymus [9], S. Thomas [10], etc., ejus ortum ex familia judaica, et ex tribu Dan repetunt: quod inferunt ex illo Genesis, XLIX, 17: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro;* — et ex verbis (Jerem. VIII, 16): *A Dan auditus est fremitus equorum ejus, a voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra; et venerunt, et devoraverunt terram.* — Ipsum ex gente Judaica oriundum esse, certum videtur, quippe quem Judæi tanquam Messiam secus non agnoscerent. *(S. Alph., n. 1).*

2. Patria. — S. Hieronymus [11], Babylonem pro Antichristi patria designat; cui sententiæ adhæret Rabanus Maur. [12], ipsam communem Patrum opinionem nominans. *(S. Alph., n. 2).*

3. Educatio. — Docent Theodoretus [13], S. Anselmus [14], aliique plures: quemadmodum Christus ab ipsa pueritia omni fuit gratiarum et virtutum genere cumulatus, ita e contrario, Antichristus statim a pueritia omni vitiorum genere repletus erit; qua de causa ab Apostolo vocatur *homo peccati, filius perditionis.* — Et S. Hieronymus Antichristum a tenerrima ætate specialissimo modo possessum iri a diabolo prædicat: in eo, inquit, *totus satanas habitaturus est corporaliter* [15], ipsique maximam infundet malitiam. *(S. Alph., n. 2).*

Fiet ejus educatio Babylone aut in vicino; et cum ex infimæ fæcis parentibus sit procreandus, clam et furtive, ut ait S. Joan. Damascenus [16], educabitur, origine et parentibus a vulgo ignoratis. — Pueritia vix exacta, parentes derelinquet, ut docent S. Anselmus [17], Vincentius Bellovacensis [18], et Rabbanus Maur. [19]; atque dæmone comitante, prima suæ malitiæ semina Corozain et Bethsaida sparget, ut quæ Christus prima sanctificavit loca, prima etiam contaminet. *(S. Alph., n. 3).*

1982. — Antichristi notæ. — 1. Ingenium. — Teste S. Anselmo [20], Antichristus ingenio erit perspicacissimus; litterarum studiis operam dabit, fietque eloquentissimus et eruditissimus. Erit tamen præcipua

[1] Orat. *De consummat. mundi.* — [2] *Sermo de Antichr.* — [3] *De fide orthod.*, l. IV, c. 27. — [4] *De fine mundi*, q. 1, dub. 3, § 1, n. 5. — [5] *Adv. hær.*, l. V, c. 30. — [6] *De Benedict. Patriarch.*, c. 7. — [7] *Quæst. in Josue*, l. VI, q. 22. — [8] *Moral.*, l. XXXI, c. 18. — [9] *In Daniel*, c. 11. — [10] *Opusc. 53* (alias 60), c. 25. — [11] *Loc. cit.* — [12] *De ortu, vita et morib. Antichr.*; Cf. Malvenda, l. III, c. 12. — [13] *In II Thessal.*, c. 2. — [14] *Elucidar.*, l. III, c. 10. — [15] *In Daniel*, c. 7. — [16] *De fide orthod.*, l. IV, c. 27. — [17] *Elucidar.*, l. III, c. 10. — [18] *Specul. hist.*, l. XXXI, c. 109. — [19] *De Ortu Antichr.*. — [20] *Loc. cit.*

ejus cura in Sacris Scripturis evolvendis, quas totas memoriter tenebit. Et ita, naturalibus ingenii dotibus instructus, et dæmonis auxilio adjutus, gentes decipiet, speciatim Judæos, quibus se Messiam persuadebit.

Artibus magicis, ita strenuam, licet clanculum, dabit operam, ut, dæmone magistro, magus evadat ex omni parte absolutissimus; innumerosque homines miris præstigiis seducat, ut ait S. Cyrillus Hier. [1] *(S. Alph., n. 4).*

2. Mores. — Antichristi mores paucis apprime descripsit Apostolus, eum hisce nominibus appellans: *homo peccati, filius perditionis.* Testibus S. Ephrem [2], S. Cyrillo Hier. [3], principio se virum sanctum simulabit, ut multitudinis, præsertim populi judaici, amorem sibi hac arte conciliet. Quod prædixit Daniel (XI, 21): *Et veniet clam, et obtinebit regnum in fraudulentia.*

Omnia in se conjunget vitia, quæ, regno semel adepto, in publicum diffundet. — Summa superbia elatus, et divinitatis gloriæ cupidissimus, omnia ad propriam laudem referet, seque supra Deum extollet, sicut ait Apostolus (II Thessal. II, 4): Qui... *extollitur supra omne quod dicitur Deus.* Quocirca et templa idolorum evertet, nec quemquam deorum curabit. *Et Deum patrum suorum non reputabit,* ait Daniel. XI, 37,... *nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget.* Suam vero propriam statuam in templo Dei adorandam præcipiet, ut probat Malvenda [4]. *(S. Alph., n. 5).*

Erit rapacissimus, et rapinis fraudibusque deditus; ærarium spoliis implebit, quibus plures comparabit exercitus; cæterisque regibus subactis, ad monarchiam universalem ascendet. Ita sub persona Antiochi describitur apud Danielem (XI, 24): *Et abundantes et uberes urbes ingredietur;... rapinas, et prædam, et divitias eorum dissipabit, et contra firmissimas cogitationes inibit: et hoc usque ad tempus. (S. Alph., n. 6).*

Demum, fœdissimis totum se libidinibus tradet, secundum illud (Dan. XI, 37): *Et erit in concupiscentiis feminarum. (S. Alph., n. 7).*

3. Religio. — Principio, ad Judæorum animos sibi conciliandos, Antichristus legis et legalium cæremoniarum amatorem se ostendet; adepta vero suprema monarchia, omnem legem, omnemque religionis actum abjiciet, et ipse sedebit in templo tanquam Deus, teste Apostolo (II Thess. II, 4): *Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* — « Et latro, *ait S. Irenæus* [5], quasi Deus vult adorari. » *(S. Alph., n. 8).*

[1] *Cateches.*, 15. [2] Serm., *De Antichr.* — [3] *Cateches.*, 15. — [4] *De Antichr.*, l. VIII, c. 14. — [5] *Adv. hær.*, l. V, c. 25.

1983. III. **Antichristi actio atque persecutio.** 1. Præstigiæ. — Antichristus, utpote magus insignis, incantationibus suis dæmonisque adjutorio, multa mira et prodigiosa patrabit, quibus populos seducet. *Cujus est adventus*, ait Apostolus, *secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.* (II Thess. II, 9, 10). — Tanta adeoque mira erunt ejus prodigia, ut, teste ipso Christo, (Matth. XXIV, 24): *In errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. (S. Alph., n. 9).*

2. Conatus contra Christum. Antichristus, ut vel nomen indicat, omnem conatum in Christum convertet, prædicans Ipsum nec verum Messiam, nec Filium Dei, nec generis humani Redemptorem fuisse; consequenter docebit, Christi religionem, præcepta, et sacramenta putidam esse fallaciam. *Qui negat*, ait S. Joan. (I Ep. II, 22), *quoniam Jesus est Christus, hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium. (S. Alph., n. 10).*

3. Character Antichristi. — Signum seu characterem suum ab omnibus in manu vel in fronte circumferri præcipiet. (Apocal. XIII, 16, et seq.): *Et faciet omnes... habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis: et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus... Numerus enim hominis est, et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.* Quisnam autem futurus sit ille character, prorsus ignotum est. *(S. Alph., n. 11). De hoc charactere, cf. Calmet, Dissert. De Antichr., art. 3. — Malvenda, l. VIII, c. 18. — Bellarm, De Rom. Pontif., l. III, c. 11.*

4. Regnum Antichristi. — « De regno et præliis Antichristi, *ait Bellarm. (loc. cit. c. 16)*, quatuor in Scripturis legimus. *Primo*, Antichristum ex humillimo loco prodeuntem, per fraudes et dolos regnum Judæorum adepturum. *Secundo*, pugnaturum cum tribus regibus, nimirum Ægypti, Libyæ, atque Æthiopiæ, et regna illorum, illis devictis, occupaturum. *Tertio*, subacturum sibi alios septem reges, et eo modo Monarcham totius mundi evasurum. *Quarto*, cum innumerabili exercitu toto orbe Christianos persecuturum, et hoc esse prælium Gog et Magog.

» De primo sic loquitur Daniel, XI: *Stabit*, inquit, *in loco ejus despectus, et non tribuetur ei honor regius, et veniet clam, et obtinebit regnum in fraudulentia...*

» De secundo sic loquitur idem Daniel, VII: *Considerabam*, inquit, *cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus.* Et infra explicans: *Porro*, inquit, *cornua decem, decem reges erunt, et alius consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit.* Et cap. XI, explicans qui sint isti reges tres: *Mittet*, inquit, *manum suam in terras, et terra Ægypti non effugiet, et dominabitur thesaurorum auri et argenti, et in omnibus pretiosis Ægypti. Per Lybiam quoque et Æthiopiam transibit...*

» *De tertio* habemus testimonia veterum apertissima... Et satis aperte deducitur ex Apocalypsi c. 17, ubi legimus: *Et decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt. Hi unum concilium habent, et virtutem et potestatem suam bestiæ tradent.*

» *De quarto* loquitur Joannes, (Apocal. XX): *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog et Magog, et congregabit eos in prælium, etc.*»

5. Persecutio Ecclesiæ *sub Antichristo.* — Persecutio, quam in Christi religionem suscitabit Antichristus, erit omnium sævissima, quas Ecclesia unquam passa fuerit. *Erit... tunc tribulatio magna,* ait ipse Christus, *qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet; et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* (Matth. XXIV, 21, 22).

Antichristus enim, et fideles omnes a vera fide avertere, et ad sui adorationem adigere conabitur. Quocirca, ubi ipse præsens adesse non poterit, sui imaginem erigi curabit asseclarum ope, falsi præsertim prophetæ, quem sibi socium adjunget, et de quo Joannes (Apocal. XIII, 11): *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra.*

Ea vigente persecutione, quæ annos tres et dimidium durabit, publica sacrificii altaris oblatio cessabit, sicut infertur ex Daniele, XII, 11: *Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* — Attamen, qui Deo fideles permanserint, clam convenient, et in abscondito Missæ sacrificium offerent; Danielis enim vaticinium de sola publica sacrificii oblatione Doctores intelligunt; quo etiam sensu intelliguntur verba (Apocal. XII, 6): *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. (S. Alph., n. 13).*

1984. — IV. **Exitus Antichristi.** — Quonam modo infelix ejus exitus eventurus sit, dubitatur. Verisimile est, Antichristum, interfectis Henoch et Elia, exercitus suos versus Jerusalem congregaturum, ut Ecclesiam fidelesque penitus disperdat; sed, commisso prælio, ipsum cum militibus suis profligatum iri et miserrime interiturum. Colligitur ex verbis (Apocal. XX, 8-10): *Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam; et descendit ignis a Deo de cælo, et devoravit eos; et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.*

Quomodo autem periturus sit Antichristus, ignotum est. Secundum aliquos, in prædicto certamine peribit; secundum alios autem, visa suorum strage, in castra super montem Oliveti aufugiet, ibique, jubente Christo, a Michaele Archangelo ictu tonitrui interficietur, secundum illud (II Tessal. II, 8): *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem*

Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui. « Id est, *ait S. Th.*, mandato suo, quia Michael interfecturus est eum in monte Oliveti. » *(In II Tessal., c. II, lect. 2; S. Alph., n. 14).*

Quantum vero temporis effluxurum sit a morte Antichristi ad diem universalis judicii, pariter incertum est; communis tamen Patrum opinio docet, non longum intercessurum esse intervallum. *(S. Alph., n. 15).*

CAPUT IV.

DE SIGNIS, QUÆ FINEM MUNDI PRÆCEDENT [1].

1985. — « Christus ad judicandum veniens, *ait S. Th.*, in forma gloriosa apparebit, propter auctoritatem quæ judici debetur. Ad dignitatem autem judiciariæ potestatis pertinet habere aliqua indicia, quæ ad reverentiam et subjectionem inducant. Et ideo adventum Christi ad judicium venientis multa signa præcedent, ut corda hominum in subjectionem venturi judicis adducantur, et ad judicium præparentur, hujusmodi signis præmoniti. » *(Suppl., q. 73, a. 1).*

Ipsæ Scripturæ testantur, signa multa ultimum Christi adventum præcessura. Quænam vero sint, quove ordine sequantur, scitu est perdifficile. Nonnulla tamen S. Patres et theologi, Scripturis Sacris innixi, communiter enumerant, quæ et nos referemus.

Prævia ultimi judicii signa alia sunt *remota*, alia *proximiora*. In articulo igitur I. de signis remotis, in II. de proximioribus dicemus.

ARTICULUS I.

DE SIGNIS REMOTIS.

Signa remota ea vocantur, ad quæ non statim sequetur mundi consummatio; quæ consummationem tamen certo præcedent. Plura hujusmodi signa enumerantur.

[1] Cf. S. Alph., Diss. IV; Gotti, *De fine mundi*, q. I, dub. 2, § 2, et q. II; S. Th., *Suppl.*, q. 73 et 74.

1986. — **Primum signum** est prædicatio Evangelii per universum mundum, sicut prænuntiavit ipse Christus (Matth. XXIV, 14): *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio. (S. Alph., n. 1).*

Utrum autem hæc Evangelii prædicatio fieri debeat successive an simultanee per universum orbem, libere controvertitur.

1987. — **Secundum signum** est generalis quædam apostasia a fide, de qua vaticinatus est Christus (Luc. XVIII, 8): *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* — Et S. Paulus scribit (I Tim. IV, 1): *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum.* — Et (II Thess. II, 3) testatur Dominum non esse venturum *nisi venerit discessio primum.* Per discessionem autem, *ait S. Th., Thess. II. lect. 1),* recessum ab auctoritate S. Pontificis intelligere debemus. — Non omnes tamen fidem negabunt, sed admodum pauci eam conservabunt. *(S. Alph., n. 2).*

1988. — **Tertium signum** est romani imperii romanique nominis totalis abolitio; quod indicavit Daniel, loquens de quarta bestia, (cap. VII), quæ juxta Patrum interpretationem, romanum imperium præfigurat. Ait *S. Hieronymus:* « Nisi fuerit romanum imperium ante desolatum, et Antichristus præcesserit, Christus non veniet. » *(Ad Algas., q. 11; S. Alph., n. 3).*

1989. — **Quartum signum** est adventus Antichristi; quia, teste Apostolo, (II Thess. II, 3), Christus non venturus est *nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis;* de quo in superiori capite satis actum est.

1990. — **Quintum signum** est adventus Henoch et Eliæ [1]. — De Henoch scriptum legimus (Eccli. XLIV, 16): *Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus*

[1] Cf. Gotti, *De fine mundi,* q. I, dub. 4.

pœnitentiam. — De Elia verò (Malach. IV, 5): *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* — De utroque intelliguntur verba Apocal. (XI, 3): *Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.*

Henoch et Eliam in fine mundi venturos esse, qui dent gentibus pœnitentiam, testatur unanimis Patrum traditio.

Sicuti constat ex Apocal. XI, 3, Henoch et Elias prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta; proinde probabile est eos sub initio regni Antichristi venturos; hunc que dies aliquot eis fore superstitem.

Apparebunt *amicti saccis*, in signum pœnitentiæ; suamque prædicationem miraculis et prophetiis confirmabunt. De eis enim legimus (Apocal. XI, 5, 6): *Si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum; ... hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum; et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint.*

Completo prædicationis suæ tempore, Henoch et Elias ab Antichristo occidentur, eorumque corpora tribus diebus cum dimidio in platea civitatis Jerusalem insepulta jacebunt; quo tempore elapso, ad vitam revocati ad cœlum in nube assumentur, cernentibus suis inimicis; et statim terræmotu decima pars civitatis evertetur, pluraque millia hominum interibunt. (Apocal. XI, 7 et seq.): *Et quum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos. Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ... Et post dies tres et dimidium, spiritus vitæ a Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos... Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube; et viderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus est terræ motus magnus, et decima pars civitatis cecidit. (S. Alph., n. 5-7).*

1991. — **Sextum signum** est conversio Judæorum, qui ad prædicationem Henoch et Eliæ sinum Ecclesiæ intrabunt.

De ea legimus (Os. III, 4, 5): *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim; et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum et David regem suum; et pavebunt ad Dominum et ad bonum ejus in novissimo dierum.* — Cf. Rom. XI, 11 et seq.

Secundum communiorem tamen sententiam, non omnes Judæi, sed major pars eorum fidem Christi novissimis temporis amplectentur. *(S. Alph., n. 7).*

ARTICULUS II.

DE SIGNIS PROXIMIS.

1992. — Signa quædam ultimum judicium proxime fore præcessura, colligitur tum ex Prophetis *(Joel, II et III; Isa. XIII; Ezech. XXXII)*, tum ex verbis Christi Domini (Luc. XXI, 25-27): *Et erunt signa in sole et luna et stellis; et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum. Arescentibus hominibus præ timore, et expectatione, quæ supervenient universo orbi: nam virtutes cœli movebuntur; et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate*, etc. — Cf. etiam Matth. XXIV, Marc. XIII.

1993. — **Primum signum** est obtenebratio solis et lunæ. De quo legimus (Matth. XXIV, 29): *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum.* — (Joel II, 31): *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* — Cf. Apocal. VI, 12. — Fiet autem hæc solis et lunæ obtenebratio per luminis privationem seu suspensionem, quemadmodum pro sole in morte Christi contigisse legimus. *(S. Alph., n. 11).*

1994. — **Secundum signum** est lapsus stellarum, secundum illud (Matth. XXIV, 29): *Et stellæ cadent de cœlo.* — (Apocal. VI, 13): *Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram.*

Quonam vero modo stellæ casuræ sint de cœlo, sat est explicatu difficile. Communiter docent Doctores, stellas non reapse de cœlo super terram casuras: hoc enim impossibile videtur; sed dicuntur cadere, quia non amplius dabunt lumen suum, sicut ait Joel, III, 15: *Et stellæ retraxerunt splendorem suum.*

Præterea, permulta hisce temporibus apparebunt phœnomena, cujusmodi etiam nunc ex aerolithis et bolidis quandoque contingunt, quæ vulgo stellas decidentes existimant. « Stellæ cadent de cœlo, *ait Lessius,* nempe quoad apparentiam et hominum æstimationem, quia de summa aeris regione cadent multæ igneæ faces instar stellarum. » (*De perf. div., l. XIII, c. 39*). Cui interpretationi favent quæ leguntur (Apocal. VI, 13, 14): *Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur; et cœlum recessit, sicut liber involutus.*

1995. — Tertium signum est commotio virtutum cœlestium, (Matth. XXIV, 29): *Et virtutes cœlorum commovebuntur.* Quomodo autem hæc verba sint intelligenda, non ita facile est indicare.

S. Thomas (Suppl., q. 73, a. 3), virtutes cœlorum Angelos esse autumat, qui ob majestatem venientis judicis et magnitudinem insolitorum, quæ tunc fient, magno corripientur stupore. — Alii vero per *virtutes cœlorum,* solem, lunam, et astra intelligunt; astra quippe in S. Scripturis non raro virtutes et exercitus cœlorum nominantur. Commovebuntur autem astra, quia lumine deficient et cessabunt a motu, ex quo in terris stupendi contingent eventus, hominesque timore afficientur: *arescentibus hominibus præ timore... nam virtutes cœlorum movebuntur.* (Luc. XXI, 26; S. Alph., n. 13, 14).

Præter enumerata, alia adhuc evenient stupenda signa. *In mari* horribiles sævient tempestates: *In terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum.* (Luc. XXI, 25).

In aere tonitrua erunt et fulgura, vocesque audientur; in terris omnia terræ motu commovebuntur: *Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua; et terræmotus factus est magnus... Et facta est civitas magna in tres partes, et civitates gentium ceciderunt.* (Apocal. XVI, 18, 19; S. Alph., n. 14).

Omnia prædicta signa ante Judicis descensum eventura, certum est, secundum illud (Luc. XXI, 31): *Quum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.* Quonam vero eventura sint ordine, et quo temporis spatio judicium

sint præcessura, incertum est. « Quæ omnia ventura esse credendum est; *ait S. August.*, sed quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia. » *(De Civit. Dei, l. XX, c. 30).*

1996. — **Ultimum signum** erit mundi conflagratio; igne enim elementa solventur, et omnia quæ in terris sunt, redigentur in favillam, teste B. Petro (II Ep. III, 10): *Adveniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur; terra autem et quæ in ipsa sunt opera calore exurentur.* — De qua finali mundi conflagratione plures loquuntur Scripturæ textus, eamque prænuntiat unanimis Patrum traditio.

Igne illo mundus ab immunditiis peccato contractis primum purgabitur, deinde renovabitur; et homines adhuc superstites in cinerem redigentur, ita tamen, ut mali per actionem ignis crucientur; justi vero, in quibus nihil purgandum supererit, nullum prorsus ex eo doloris sensum accipiant; boni autem, in quibus aliquid purgandum adhuc repertum erit, majorem vel minorem ex eo cruciatum, pro meritorum varietate, patiantur. *(S. Alph., n. 15-19; cf. S. Th., Suppl., q. 74).*

CAPUT V.

DE MORTUORUM RESURRECTIONE [1].

1997. — Resurrectio definitur: *Animæ cum corpore iterata conjunctio, facta virtute omnipotentis Dei.*

Carnis resurrectio est fidei dogma fundamentale, quocum stat vel labitur christiana religio. Etenim, *si resurrectio mortuorum non est*, inquit Apostolus, *neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra.* (I Cor. XV, 13, 14); et v. 32: *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi*

[1] Cf. S. Alph., Diss. V; S. Th., *Suppl.*, p. 75-86; Gotti, *De fine mundi*, q. III; *Catech. Rom.*, P. I, c. 12.

prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus: cras enim moriemur.

De quo argumento tria sunt discutienda, nimirum: I. Resurrectionis veritas; II. ejus circumstantiæ; III. resurgentium qualitates.

ARTICULUS I.

DE RESURRECTIONIS VERITATE.

1998. — Carnis resurrectionem ignorabant gentiles, ut constat ex verbis (Act. XVII, 32): *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant.* — Apud Judæos resurrectionis veritatem negabant *Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem* (Matth. XXII, 23).

Tempore Apostolorum nonnulli christiani carnis resurrectionem admittere renuerunt, ut constat I Cor. XV, 12; et II Tim. II, 17, 18, Apostolus nominat Hymenæum et Philetum, *qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam.*

Eamdem veritatem inficiati sunt antiquiores quidam hæretici, necnon et Albigenses, et Sociniani. Quibus nostra ætate adnumerandi sunt Athei, Pantheistæ, Materialistæ, et omnes id genus, qui animæ spiritualitatem negant.

Millenarii seu Chiliastæ, quorum errores apud plures sectas, speciatim apud Mormones, hodiedum vigent, duplicem agnoverunt carnis resurrectionem, primam pro bonis, qui prius resurgent et cum Christo mille annis regnaturi sunt in terra; secundam pro malis, qui elapso mille annorum spatio, in fine mundi resurgent.

1999. — **Prop. I.** *Futura est carnis ressurrectio.*

De fide, ex diversis Symbolis et Conciliis. Legimus in Symbolo Apost.: « Credo... carnis resurrectionem. » Et in Conc. Lateran. IV, cap. *Firmiter:* « Qui omnes (reprobi et electi) cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua sive bona fuerint, sive mala. »

Prob. I. **Ex Script. S.** — **A.** *Ex Veteri Testam.* — Legimus (Job. XIX, 25-27): *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et*

non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo. In quæ verba scribit *S. Hieronymus:* « Resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit. » *(Ep. ad Paul. n. 8; cf. etiam Ezech. XXXVII, 8-10; Daniel XII, 2).*

Apud Judæos spes in futuram carnis resurrectionem vivida semper exstitit. Regem Antiochum his interpellat unus ex septem fratribus, (II Machab. VII, 9): *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* — Et Martha de fratre defuncto respondit Domino (Joan. XI, 24): *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.*

B. *Ex Novo Testam.* — De Resurrectione luculenta leguntur Christi et Apostolorum testimonia.

Nolite mirari hoc, ait Christus Dominus, *quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* (Joan. V, 28, 29). — Et (Joan. VI, 55): *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* — Cf. Matth. XXII, 29-32.

Apostolus (I Cor. XV, 13), carnis resurrectionem ut fundamentale christianæ religionis dogma exhibet. *(Cf. n. 1997; cf. etiam I Thess. IV).*

II. **Ex Traditione**. Veritatem hanc Ss. Patres omnes proposuerunt, pluresque de ea non per transennam tantum, sed integros etiam libros conscripserunt, veluti *Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tertullianus,* etc.

Episcopi in Concil. Toletano (an. 447), hunc canonem ediderunt: « Si quis dixerit vel crediderit, corpora humana non resurgere post mortem; A. S. » *(Denz., n. 123).*

S. August.: « Resurrecturam tamen, *inquit,* carnem omnium, quicumque nati sunt hominum atque nascentur, et mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet christianus. » *(Enchirid., c. 84).*

Accedunt etiam *Martyrum* testimonia, qui spe futuræ resurrectionis acerbissima quæque sustinuerunt tormenta. Aiebat

S. Pionius: « Hæc me potissimum ratio compellit ad mortem, ut populus omnis intelligat resurrectionem futuram esse post mortem. » *(Apud Ruinart, Martyrium S. Pionii).*

III. **Ex Ratione.** Cum carnis resurrectio opus sit supernaturale, ejus veritatem, seclusa fide, ratio naturalis nullatenus probare valet, *(S. Th., Suppl., q. 75, a. 3);* ast præeunte fide, rationes congruentiæ afferre potest, quarum præcipua desumitur ex beatitudinis desiderio.

« Finis ultimus hominis, *inquit S. Alph.*, est beatitudo. Cum autem his in terris beatitudinem homo consequi non possit, statuit Dominus, ut eam in altera vita æterno duraturam acquireret. Hanc autem homo non plene consequeretur, nisi anima corpori iterum conjungeretur; cum enim corpus sit naturaliter pars humanæ naturæ, anima a corpore separata est pars hominis et non totus homo; qua de causa homo naturaliter suæ beatitudinis plenitudinem desiderat, secus suum desiderium non plene satiaretur. » *(Diss. V, n. 1).*

Præterea, homo opera sive meritoria sive demeritoria ponit, quatenus ex anima et corpore constat. Proinde conveniens est, eum in anima simul et corpore præmiari vel puniri. Cum autem plerumque his in terris nec præmium retribuatur nec punitio, decet in altera vita retribui; ac proinde necesse est corpus resurgere, ut debitam retributionem accipere valeat. *(Cf. S. Th., Cont. Gent., IV, 79; et Catech. Rom., n. 5 et 8).*

2000. — Prop. II. *In novissimo die resurrectio erit universalis pro omnibus hominibus.*

De fide, ex symb. S. Athan.: « Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis »; et ex Later. supra citato.

NB. Prop. contra quosdam militat, qui hisce verbis innixi (Ps. I, 5): *Non resurgent impii in judicio*, nonnisi electos resurrecturos esse docuerunt.

Prob. I. Propositio iisdem ac superior probatur argumentis; quæ quidem, utpote generaliter dicta, nullam admittunt exceptionem.

Prob. præterea, ex Apostolo (I Cor. XV, 51, 52): *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non*

omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba (canet enim tuba) et mortui resurgent incorrupti.

II. **Ex Catech. Rom.** « Explicare diligenter oportebit ex Apostoli doctrina, *inquit, n. 6*, quinam ad vitam suscitandi sint. Nam ad Corinthios scribens (I Cor. XV, 22): *Sicut in Adam*, inquit, *omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Omni itaque malorum bonorumque discrimine remoto, omnes a mortuis, quamquam non omnium par conditio futura est, resurgent... Quum autem *omnes* dicimus, tam eos intelligimus, qui adventante judicio mortui jam erunt, quam eos, qui morientur. Huic enim sententiæ, quæ asserit omnes morituros esse nemine excepto, ecclesiam acquiescere, ipsamque sententiam magis veritati convenire, scriptum reliquit S. Hieronymus; idem sentit S. Augustinus. »

2001. — **NB.** 1. Quæ leguntur (Ps. I, 5): *Non resurgent impii in judicio,* non de corporis, sed de spirituali animæ resurrectione prolata sunt. *(S. Alph., n. 3).*

2. Ab universali resurrectione excipi debent: *a)* B. V. Maria, quæ juxta unanimem Ecclesiæ traditionem secundum animam et corpus jam in cœlis regnat *(n. 1084); b)* Henoch et Elias, qui triduo post mortem resurgent *(n. 1990); c)* forte etiam sancti, qui, moriente Domino, e monumentis exierunt, et juxta probabiliorem S. Thomæ sententiam *(Suppl., q. 77, a. 1, ad 3)* non iterum mortui sunt, sed cum Christo in cœlos ascenderunt. *(S. Alph., n. 2).*

ARTICULUS II.

DE RESURRECTIONIS CIRCUMSTANTIIS.

Resurrectionis circumstantiæ aliæ ad causam efficientem, aliæ ad tempus, aliæ ad locum referuntur.

2002. — I. **Causa efficiens** *resurrectionis multiplex assignatur.* 1. *Primaria et principalis* est ipse Deus, et Christus qua Deus. (Rom. VIII, 11): *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra.* — (Joan. V, 21): *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat.* — (Joan. XI, 25): *Ego sum resurrectio et vita.*

2. *Proxima principalis efficiens* est Christus homo. (I Cor. XV, 21): *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem*

resurrectio mortuorum. (Quo vero modo Christi resurrectio sit nostræ resurrectionis causa efficiens, *cf. n. 1038, VI; et S. Th., P. 3, q. 56, a. 1; Suppl., q. 76, a. 1).*

3. *Instrumentalis causa* erit vox Christi (Joan. V, 28): *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent...*

4. *Causa instrumentalis* erunt etiam tuba et vox Archangeli. (I Thessal. IV, 15): *Ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli, et in tuba Dei, descendet de cælo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi.* — Cf. I Cor. XV, 52.

Quid vero tubæ clangore et voce Archangeli intelligendum sit, non constat. Probabilius erit sonus ingens ab Angelis, Christo jubente, sensibiliter productus, mortuosque ad judicium vocans.

5. Interveniet etiam Angelorum ministerium.

« In resurrectione, *inquit S. Th.*, est aliquid ad transmutationem corporum pertinens, scilicet collectio cinerum, et eorum præparatio ad reparationem humani corporis. Unde quantum ad hoc in resurrectione utetur Deus ministerio Angelorum. » *(Suppl., q. 76, a. 3).* — Quod quidem ministerium exhibebunt Angeli, partim virtute sua naturali, partim virtute divina superaddita: solius enim divinæ potentiæ est cineres præparare ac in corporis humani formam et organizationem etiam remote disponere. « Sed anima, *addit S. Th., l. c.*, sicut immediate a Deo creata est, ita immediate a Deo corpori iterato unietur sine aliqua operatione Angelorum. » *(S. Alph., n. 5-9).*

2003. — II. **Tempus** resurrectionis non aliter in Scripturis S. indicatur nisi per: *novissimum diem.* Quandonam vero adventurus sit dies ille novissimus, aut sæculi consummatio, prorsus ignotum remanebit, teste Domino (Marc. XIII, 32): *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.*

Nec ulli privata revelatione manifestabitur dies ille decursu temporum; quare ipsis Apostolis de tempore illo sciscitantibus Jesus respondit (Act. I, 7): *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.*

Neque ex signis ultimum judicium præcedentibus diem illum novissimum certo præcognoscere dabitur; nulli enim in-

notescere poterit, an aut quando perfecte fuerint impleta. *(S. Alph., Diss. V, n. 10-12; Diss. VI, n. 3-5. S. Th., Suppl., q. 77).*

2004. — III. **Locus,** in quo cujusque anima corpori iterum unietur, a nonnullis dicitur vallis Josaphat, in quam Angeli defunctorum cineres deferent, ut, ubi a judice examinabuntur homines, ibi etiam ad vitam redeant. Quæ sententia est probabilis.

Probabilior tamen, longe communior et Scripturis etiam conformior opinio tenet, quemlibet eo in loco resurrecturum, in quo corpus vel major pars jacebit. Legimus (Ezech. XXXVII, 13, 14): *Et scietis quia ego Dominus, cum aperuero sepulcra vestra, et eduxero vos de tumulis vestris, populo meus, et dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis.* Et (Joan. V, 28, 29): *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent...* Quæ verba hanc secundam sententiam apprime confirmant.

Eamdem sequitur *S. Hieronymus:* « Cum resurgere debeant mortui, *inquit,* ex his locis in quibus sepulti sunt. » *(In Ezech. c. 37). — S. Chrysostomus:* « Visura sit Roma Paulum repente ex illa theca cum Petro resurgentem, et sublatum in occursum Domini. » *(In Ep. ad Rom. Hom. 32). S. Alph., n. 13.*

Peracta omnium resurrectione, Angeli *congregabunt electos ejus a quatuor ventis* (Matth. XXIV, 31), et malos de medio justorum separantes (Matth. XII, 49, 50), judicandos in vallem Josaphat compellent.

ARTICULUS III.

DE RESURGENTIUM QUALITATIBUS.

2005. — Resurgentium qualitates aliæ ad solos electos, aliæ ad solos reprobos spectant; de his infra tractabitur, ubi de cœlo vel inferno sermo erit; aliæ demum tam electis quam reprobis conveniunt, de quibus hic quædam addenda sunt.

Circa resurgentium qualitates plures prodierunt errores. Antiquiores quidam hæretici, cum quibus consentiunt nonnulli ex Socinianis

et Anabaptistis, dictitabant, corpus, quod morte ceciderit, non resurrecturum esse, sed aliud ei subrogatum iri ex alia materia formatum. — Eutyches, Patriarcha Constantinop., corpus cui anima iterum unietur, ex æthereis elementis componendum fore sentiebat. — Alii demum sexuum diversitatem negabant, docentes: omnes tanquam viros esse resurrecturos, ut omnes primo Adamo et Christo perfecte conformentur.

2006. — I. **Prima resurgentium qualitas** est *perfecta identitas*, in eo sita, quod quælibet anima illud idem corpus, quod morte deposuerit, reassumet; ita ut homo resurgens sit idem identice ac qui nunc vivit.

Prop. *Omnes homines resurgent cum iisdem, quæ morte deposuerint, corporibus.*

De fide, ex Later. IV: « Qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant. » *(Denz., n. 356).* — Et ex diversis Symbolis ac fidei professionibus. Sic v. gr., in Symb. a Leone IX proposito Petro Episc. legimus: « Credo veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gesto. » *(Denz., n. 295).* — Et in Symb. fidei Conc. Toletani XI, an. 675: « Confitemur vera fide resurrectionem carnis omnium mortuorum. Nec in aerea vel qualibet alia carne (ut quidam delirant) resurrecturos nos credimus, sed in ista, qua vivimus, consistimus et movemur. » *(Denz., n. 234).*

Prob. I. **Ex Script. S.** 1. *Ex verbis Apostoli.* « Veritas catholica tenet, *ait S. Alph.*, animam in resurrectione idem resumpturam esse corpus, in quo prius vixit, cum eadem carne, pelle, ossibus et nervis, sicuti constat ex Apostolo dicente (I Cor. XV, 53): *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem.* Jamvero si anima non idem, sed aliud corpus resumeret, hoc aliud non esset corruptibile, quod induit incorruptionem. Addit Apostolus *(loc. cit. 54, 55): Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua?* Porro, si corpus, quod induet immortalitatem, aliud foret a corpore, quod morte cecidit, mors adhuc victoriam suam jactare posset, quandoquidem corpus, quod vitâ spoliaverat, nunquam resurgeret. » *(Diss. V, n. 17).*

2. *Ex verbis Job,* (XIX, 25, 26): *In novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum.* Quibus verbis nihil clarius.

3. *Ex resurrectione Christi.* Christi resurrectio nostræ resurrectionis exemplar est. Porro, Christus resurgens illud idem corpus habuit, quod cruci fuerat affixum. Quocirca, existimantibus Apostolis se spiritum videre, quando Christus eis apparuit, respondit Jesus, (Luc. XXIV, 39): *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et Thomæ dixit, (Joan. XX, 27): *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.*

II. **Ex Traditione.** « Resurget igitur caro, *inquit Tertullianus,* et quidem omnis et quidem ipsa, et quidem integra. » *(De Resurr. carn., c. 63).* — Et *S. Hieronym.:* « Certe in resurrectione eadem erit corporum substantia, qua nunc utimur. « *(Adv. Jovinian., l. I, n. 36).*

III. **Ex Ratione.** 1. *Ex resurrectionis notione.* — « Hoc idem, *ait Catech. Rom., n. 7,* colligitur ex ipsius resurrectionis definitione; est enim resurrectio, auctore Damasceno, ad eum statum, unde ecciderís, revocatio. » — « Nec enim recte resurrectio dici potest, *inquit S. Gregor. M.,* ubi non resurgit, quod cecidit. » *(Moral., l. XIV, c. 55).*

2. *Ex fine resurrectionis.* — « Idcirco autem, *ait Catech. Rom., n. 8,* corpora excitanda esse docuimus, *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Hominem igitur ex ipso corpore, cujus opera vel Deo vel dæmoni servivit, resurgere oportet, ut cum eodem corpore triumphi coronas et præmia consequatur, aut pœnas et supplicia miserrima perferat. »

2007. — II. **Secunda resurgentium qualitas,** est *perfecta corporis integritas.* « Quidquid, *ait S. Th.,* pertinet ad integritatem humanæ naturæ in resurgente, hoc totum resurget. » *(Suppl., q. 80, a. 3).*

Igitur: *a)* aderunt omnia membra et organa, quæ ad perfectam integramque corporis constitutionem requiruntur, etiam ea, quæ nulli profutura sunt usui, velut nutritionis et generationis organa, aut quibus

homo a nativitate vitio naturali forte caruerit. Quam perfectam integritatem non solum electi, sed etiam reprobi consequentur. *(Cf. S. Th., q. 80, a. 1; q. 86, a. 1; S. Alph., n. 23, 24; Catech. Rom., n. 9-11).*

b) Aderunt ungues et capilli secundum illud (Luc. XXI, 18): *Capillus de capite vestro non peribit.* Hæc enim, etsi non sint de prima hominis perfectione, ad secundariam tamen pertinent, utpote ordinata vel ad corporis ornamentum vel ad aliarum partium custodiam. *(S. Th., q. 80, a. 2; S. Alph., n. 26).*

c) Aderunt humores, qui in quolibet individuo ad humanæ naturæ integritatem pertinent, ut sanguis; non autem cæteri. *(S. Th., q. 80, a. 3).*

2008. — III. **Tertia resurgentium qualitas** est *statura perfecta* cum debita membrorum dispositione.

a) Omnes resurrecturos esse in statura perfecta, eruitur ex verbis Apostoli (Ephes. IV, 13): *Donec occurramus omnes... in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Docent communiter theologi unumquemque cum ea statura resurrecturum, quam, inspectis suæ individuæ naturæ principiis, in virili ætate, circa annum videlicet trigesimum tertium, habuit aut habuisset. Qui igitur in præsenti vita staturâ excedunt aut deficiunt, illis divina potentia aut auferet aut supplebit. *(S. Th., q. 81, a, 1 et 2; S. Alph., n. 27, 29).*

b) Communiter etiam docent theologi, justos, et probabilius etiam reprobos, resurrecturos esse cum perfecta membrorum dispositione et absque ulla deformitate, quæ in individuo ex particulari quodam vitio orta fuerat, ut sunt cæcitas, gibbositas, claudicatio, vultus fœditas; ratio est, quia in natura per resurrectionem reparanda, Deus non ad merita aut demerita, sed ad naturalem ipsius naturæ constitutionem attendet. *(S. Th., q. 86, a. 1; q. 75, a. 2, ad 3; S. Alph., n. 28).* Defectus vero, qui ex ipsius naturæ principiis oriuntur, sicut passibilitas, tarditas motus ob gravitatem, etc., auferentur a beatis, in damnatis autem remanebunt, ut infra dicetur.

2009. — IV. **Quarta resurgentium qualitas** est *incorruptibilitas* et *immortalitas*, etenim: *Mortui resurgent incorrupti*, ut ait Apostolus (I Cor. XV, 52).

Proxima hujus incorruptibilitatis ratio est cessatio motus. Principium enim generationis et corruptionis est motus cœli; hoc igitur cessante, cessabit omnis generatio aut corruptio.

Prima tamen et principalis istius incorruptibilitatis ratio est divina omnipotentia, quæ corporibus immortalitatem tribuet, ut juxta opera in æternum præmientur aut puniantur. In Beatis, omnimoda hæc incorruptibilitas dos erit ex animæ felicitate ad corpus derivata; in reprobis erit effectus divinæ justitiæ, ut perpetuo viventes, perpetuo puniantur. *(S. Alph., n. 40; S. Th., q. 86, a. 2; Opusc. X, a. 25).*

—

CAPUT VI.

DE JUDICIO UNIVERSALI [1].

Mortuorum resurrectionem statim excipiet extremum judicium, quod et *universale* vocatur, quia in eo *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi,* (II Cor. V, 10). — De quo judicio quærendum est: I. an revera sit futurum; II. quænam sint ejus circumstantiæ.

ARTICULUS I.

DE UNIVERSALIS JUDICII EXISTENTIA.

Extremi judicii existentiam negant quotquot ipsam carnis resurrectionem inficiantur.

2010. — **Prop.** *Post mortuorum resurrectionem fiet universale judicium.*

De fide, ex diversis Symbolis. Legimus in *Symb. Apost.:* « Credo... in Jesum Christum... qui venturus est judicare vivos et mortuos. » — Et in *Symb. S. Athanasii:* « Ad cujus

[1] Cf. S. Alph., Diss. VI; S. Th., *Suppl.,* q. 88 et seq.; Gotti, *De Judicio univ.,* (T. 16, p. 305); Katschth., Sect. III, c. 3.

adventum homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Solemnia de ultimo judicio testimonia cum in Veteri tum in Novo Test. occurrunt. Cf. Ps. XCV, 12; CVII, 9; Isa. XIII, 9; Joel. II; Sophon. I, 12-14; Zachar. XIV, 15; Malach. IV; Act. Ap. X, 42; XVII, 31; XXIV, 25; II Cor. V, 10; Jud. 14 et 15; II Petr. II, 9; Apocal. XX, 12.

Ipsius Christi verba retulisse sat erit. Dixit (Matth. XVI, 27): *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* — Et (Matth. XXV, 31 et seq.): *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis; et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris, etc... Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.*

II. **Ex Traditione.** Universale aliquando fore judicium, S. Patres unanimi ore prædicant.

Ait *Tertullianus:* « Regula autem est fidei, ut profiteamur Christum venturum esse cum claritate, ad sumendos sanctos in vitæ æternæ et promissorum cœlestium fructum, et ad profanos adjudicandos igni perpetuo. » *(De Præscript., c. 13).*

S. Justinus: « Credimus Christum primogenitum æterni Dei, aliquando ad universum genus humanum judicandum venturum esse. » *(Apol. I, n. 53).*

S. Augst.: « Quod ergo in confessione ac professione tenet omnis Ecclesia Dei veri, Christum de cœlo esse venturum ad vivos ac mortuos judicandos, hunc divini judicii ultimum diem dicimus, id est, novissimum tempus. » *(De Civ. Dei, l. XX, c. 1, n. 2).*

S. Basilius: « Ad aliquod peccatum impelli te cum videris, horrendum illud et intolerabile Christi tribunal, quæso, cogita: in quo præsidet quidem judex in alto quodam et sublimi throno, omnis vero creatura ob gloriosum ejus conspectum contremiscens adstat. » *(Hom. in Ps. XXXIII, n. 8).*

III. **Ex Liturgia.** Orat Ecclesia: « Libera me, Domine, de morte æterna, in die illa tremenda: quando cœli movendi sunt et terra: dum veneris judicare sæculum per ignem. » *(In ritu depos. defunct.)* — Et in sequentia: *Dies iræ*, canit: « Quantus tremor est futurus, — quando judex est venturus, — cuncta stricte discussurus!... Mors stupebit et natura, — cum resurget creatura, — judicanti responsura. »

IV. **Ex Ratione.** Etsi jam in particulari judicio cujusque opera judicata sint, cuique etiam intimata sit salutis aut damnationis sententia, attamen convenientissimum est, cum ex parte Dei, tum ex parte Christi et hominum, universale institutum iri judicium, in quo cujusque opera palam manifestentur, sententiaque solemniter proclametur.

1. *Ex parte Dei*, ut ejus videlicet justitia omnibus manifesta appareat. « Quoniam in adversis et secundis hominum rebus, *ait Catech. Rom.*, quæ promiscue nonnunquam bonis et malis eveniunt, probandum erat, nihil non infinita Dei sapientia et justitia geri ac gubernari: par fuit, non solum bonis præmia, improbis supplicia in futuro sæculo constitui, verum etiam publico ac generali judicio decerni, quo omnibus notiora et illustriora fierent, atque ut Deo justitiæ et providentiæ laus ab omnibus tribueretur, pro injusta illa querela, qua sancti etiam viri deplorare interdum, ut homines, solebant, quum improbos valentes opibus et honoribus florentes animadverterent. Nam Propheta: « *Mei*, inquit (Ps. LXXII), *pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns* »; et paulo post: « *Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias; et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.* » Atque hæc frequens querela multorum fuit. Ergo necesse erat, ut generale judicium exerceretur, ne forte homines dicerent: Deum circa cardines cœli perambulantem non curare terrena. » *(P. I, c. 8, n. 4).*

2. *Ex parte Christi*, ut nimirum gloria ejus, qui injuste judicatus est, omnibus manifestetur per hoc, quod ipse sit omnium judex. *(S. Th., P. 3, q. 59, a. 3).* Quam rationem

sæpius tangit *S. Augustinus:* « Tunc, *inquit*, manifeste veniet inter justos et injustos judicaturus juste, qui occulte venerat judicandus ab injustis injuste. » *(De Civ. Dei, l. XX, c. 2).*

3. *Ex parte hominum:* « Quum vel ipsis hominibus mortuis, *ait Catech. Conc. Trid.*, interdum superstites sint filii parentum imitatores, reliqui sint libri, discipuli, exemplorum, orationum, actionum amatores ac propugnatores, quibus rebus ipsorum mortuorum præmia et pœnas augeri necesse est, quum hæc vel utilitas vel calamitas, ad plurimos pertinens, non prius finem habitura sit, quam extremus veniat mundo dies: æquum erat, de universa hac recte aut perperam factorum dictorumque ratione perfectam quæstionem haberi; quod fieri non poterat, nisi facto communi omnium hominum judicio. Accedit etiam, quod quum piorum fama sæpe lædatur, impii vero innocentiæ laude commendentur, divinæ justitiæ ratio postulat, ut pii ereptam injuria apud homines existimationem in publico universorum hominum conventu et judicio recuperent. Deinde vero boni et mali homines, quæcumque in vita egerunt, quum non sine corporibus egerint, omnino sequitur, ut benefacta sive malefacta ad corporea etiam pertineant, quæ actionum ipsarum instrumentum fuerunt. Maxime igitur conveniebat, corporibus una cum eorum animis debita æternæ gloriæ præmia aut supplicia impertiri; quod quidem neque sine omnium hominum resurrectione, neque sine generali judicio fieri poterat. » *(Loc. cit.; cf. S. Th., P. 3, q. 59, a. 5).*

ARTICULUS II.

DE UNIVERSALIS JUDICII CIRCUMSTANTIIS.

Respectu universalis judicii inquiri potest: 1. de judice; 2. de judicandis; 3. de loco judicii; 4. de causæ inquisitione et manifestatione; 5. de proferenda sententia.

§ 1. *De Judice.*

2011. — I. *Judex erit Christus qua homo.* — Est *de fide*, ex Symb. Apost.: « Qui venturus est judicare vivos et mor-

tuos. » — Constat ex Scripturis. Legimus (Matth. XXIV, 30): *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate.* — Et B. Petrus de Christo dicit (Act. X, 42): *Ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.*

Suffragatur ratio. — a) Oportet judicem a judicandis videri. Porro, reprobi Christum non in gloria divinitatis, sed in sola humanitate cernere possunt. « Boni et mali, *ait S. Augustinus,* visuri sunt judicem vivorum et mortuorum, procul dubio eum videre mali non poterunt nisi secundum formam, qua Filius hominis est. » *(De Trinit., l. I, c. 13, n. 28).*

b) « Judicium, *inquit S. Th.,* aliquod dominium in judicante requirit... Et ideo secundum hoc Christo competit judicare, secundum quod dominium super homines habet. Ipse autem est noster Dominus, non solum ratione creationis... sed etiam ratione Redemptionis, quod ei competit secundum humanam naturam. Unde (Rom. XIV, 9): *In hoc Christus mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur.* » *(Suppl., q. 90, a. 1; S. Alph., n. 13).* Ergo non solum ut Deus, sed etiam ut homo judicabit Christus.

2012. — II. *Ad judicandum Christus in forma gloriosa veniet. — Certa,* ex Symb. Nicæno: « Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos. » — Legimus (Matth. XXIV, 30): Christum venturum esse *cum virtute multa et majestate;* et cap. XVI, 27: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis.*

« Boni et mali, *inquit S. August.,* visuri sunt judicem... sed tamen in claritate in qua judicabit, non in humilitate in qua judicatus est. » *(De Trinit., l. I, c. 13, n. 28).* — Et: « In cruce patientia erat, in judicio potentia erit. Apparebit enim homo judicans, sed in claritate: quia *sicut eum vidistis ire,* dixerunt Angeli, *sic veniet.* » *(In Ps. LXXXV, n. 21).*

Accedit ratio. — « Ille qui judicat, *ait S. Th.,* debet eminere illis qui judicantur. Sed electi qui judicabuntur a Christo, corpora gloriosa habebunt. Ergo multo fortius judex in forma gloriosa apparebit.

» Præterea, sicut judicari est infirmitatis, ita judicare est auctoritatis et gloriæ. Sed in primo adventu, quod Christus venit ad hoc quod judicaretur, in forma infirmitatis apparuit. Ergo in secundo aventu, in quo veniet ad hoc quod judicet, apparebit in forma gloriosa. » *(Suppl., q. 90, a. 2).*

NB. Reprobi igitur, non secus atque electi, cernent in judicio Christi humanitatis gloriam; sed hæc visio Beatis erit in gaudium, reprobis in supplicium. Nam « sicut amici gloria est delectabilis, ita gloria et potestas ejus qui odio habetur, maxime contristat. Et ideo sicut visio gloriæ humanitatis Christi erit justis in præmium, ita inimicis Christi erit in supplicium. » *(S. Th., loc. cit., ad 4).*

2013. — III. *Judicem venientem præcedet signum crucis.* — *Certa*, ex Scripturis et traditione. Legimus (Matth. XXIV, 30): *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo.* — « Signum autem verum et Christi proprium crux est, *inquit S. Cyrillus Hier*,... demonstrans eum qui prius crucifixus fuit. » *(Catech. 15, n. 22).* Et *S. Chrysost.* in prædicta verba *Signum Filii hominis*, scribit: « Id est crux, sole splendidior: siquidem sol obtenebratur et absconditur, crux autem apparet. » *(In Matth. hom. 76, al. 77).* — Ipsa Ecclesia canit: « Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. » *(In off. exalt. S. Crucis).*

Adveniente judice, crux splendebit in cœlis: *a)* ut omnibus plane innotescat, mundum cruce Christi fuisse redemptum; *b)* ut reprobi, qui cruce redempti gratias salutis contempserint, afficiantur ignominia, et inexcusabiles palam demonstrentur; *c)* ut electi, per crucem salvati, gaudio et consolatione repleantur.

Una cum cruce, alia passionis instrumenta etiam apparebunt. « Veniente Domino ad judicium, *ait S. Th.*, signum crucis et alia Passionis indicia demonstrabuntur. » *(Opusc. I, c. 244).*

Utrum vero crux, quæ tunc in cœlis apparebit, sit ipsum crucis lignum, in quo Christus pependit, an figura tantum crucis ex splendido aere efformata, non constat. Pro utraque sententia magnæ afferuntur auctoritates. Sententia, quæ videtur probabilior, tenet, non lignum crucis, sed tantum ejus signum seu figuram esse apparitu-

ram; secus enim plura patrari deberent miracula, præsertim ad colligendas particulas ubique terrarum distributas. *(S. Alph., n. 9-11).*

2014. — IV. *Judicem venientem comitabuntur Angeli. — Certa.* — Legimus (Matth. XXV, 31): *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.*

Christum judicem probabilius etiam comitabuntur illi Beati, qui tunc temporis corpore et anima jam perfruentur beatitudine, ut B. V. Maria, Henoch et Elias, et qui tempore mortis Christi e sepulcris egressi cum Redemptore in cœlos ascenderunt.

Electi, quorum corpora adhuc in terris jacent, cum Christo non descendent, sed ante Christi adventum resurgent, et venienti judici obviam ferentur in aera, teste Apostolo (I Thessal. IV, 16): *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera. (S. Alph., n. 16).*

2015. — V. *Una cum Christo judice sedebunt aliqui Sancti tanquam judices. — Certa,* ex verbis ipsius Christi (Matth. XIX, 28): *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* — Et (Luc. XXII, 29, 30): *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut... sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel.*

Quæ promissio Apostolis nominatim facta, ad alios etiam extenditur Sanctos; ad eos scilicet qui, voluntariam paupertatem corde et animo professi, Christum secundum spiritualis vitæ perfectionem secuti sunt. Constat ex verbis Christi. Scisciranti Petro (Matth. XIX, 27): *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* respondit Jesus: *Vos qui secuti estis me... sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.*

Eadem promissio ad Martyres, ad Virgines, et ad celebriores Ecclesiæ antistites extenditur, qui licet divitias possederint, affectu tamen pauperes fuerunt, aliisque mediis ad summam vitæ perfectionem pervenerunt. *(S. Alph., n. 20).*

Sancti, qui in judicio assessores erunt Christi, secundum S. Thomam *(Suppl., q. 89, a. 1 et 2)*, non solum judicabunt judicio approbationis, sententiam nempe judicis tantum approbando: hoc enim omnibus electis competet; neque solum judicare dicuntur, quia sedebunt cum judice nihil agentes: dicuntur enim ab ipso Christo *sedere* et *judicare*. Sed ad judicium concurrent *ministerialiter*, communicando scilicet tam electis quam reprobis particulares judicis sententias. « Intelligitur autem, *ait S. Th.*, ista prolatio sententiæ, non vocalis, sed spiritualis, in quantum per superiores Sanctos inferiores, vel etiam peccatores, spirituali quadam illuminatione illuminabuntur, quales pœnæ, et qualia merita eis debeantur. » *(I Cor., c. 6, lect. 1)*.

Angeli, etsi Christum judicem comitentur, testesque sint humanorum actuum, homines tamen non judicabunt. « Assessores judicis, *inquit S. Th.*, debent judici esse conformes. Judicium autem Filio hominis attribuitur, quia secundum naturam humanam omnibus apparebit tam bonis quam malis, quamvis tota Trinitas judicet per auctoritatem. Et ideo etiam oportet ut assessores judicis humanam naturam habeant, in qua possint ab omnibus bonis et malis videri. Et sic Angelis non competit judicare, quamvis Angeli etiam aliquo modo possint dici judicare, scilicet per sententiæ approbationem. » *(Suppl., q. 89, a. 3; S. Alph., n. 23)*.

§ 2. *De Judicandis.*

2016. — Fide certum est omnes homines, quotquot ab initio ad finem usque mundi exstiterint, tam bonos quam malos, tam adultos quam parvulos, judicio universali adfuturos. Legimus enim (Rom. XIV, 10): *Omnes... stabimus ante tribunal Christi.* — (II Cor. V, 10): *Omnes... nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.*

Rationem indicat *S. Thomas (q. 89, a. 5)*, dicens: judiciariam potestatem Christo concessam esse in præmium ejus, quam in Passione exhibuit humilitatis. Porro, Christus in Passione pro omnibus sanguinem fudit; et idcirco consentaneum est omnes homines in judicio congregari, ut videant omnes Christi exaltationem in humana natura, secundum quam a Deo judex vivorum et mortuorum constitutus est. *(S. Alph., n. 33)*.

2017. — Una tantum moveri potest difficultas, quoad parvulos scilicet, qui, utpote ante usum rationis mortui, nullum

opus posuerunt, cujus rationem reddere teneantur. Eos in judicium esse adducendos, certum est, non quidem ut eorum examinentur opera, sed ut ipsi gloriam Judicis videant, omnibusque manifeste appareat justissimam esse judicis sententiam, qua parvuli ex meritis Christi justificati in cœlum admittuntur, et qua cum peccato originali defuncti, ob illud peccatum e cœlorum regno excluduntur. *(S. Alph., n. 34).*

Omnes igitur homines adducentur in judicium; non omnes tamen eodem modo judicabuntur. « Ad judicium duo pertinent, *ait S. Th.*, scilicet discussio meritorum et retributio præmiorum. Quantum ergo ad retributionem præmiorum, omnes judicabuntur, etiam boni, in eo quod unusquisque recipiet ex divina sententia præmium merito respondens. Sed discussio meritorum non fit nisi ubi est quædam meritorum commixtio bonorum cum malis. » *(Q. 89, a. 6).*

2018. — Quatuor judicandorum classes distingui solent. *Prima* est electorum, in quibus nullo modo, (ut in B. V. Maria, aut parvulis baptizatis), aut non multum saltem bona malis commixta sunt: judicabuntur retributionis, non autem discussionis judicio.

Secunda est electorum, in quibus fuit commixtio bonorum cum malis: judicabuntur judicio retributionis simul et discussionis, ut bonorum meritorum præeminentia omnibus manifestetur, sicque Dei justitia comprobetur.

Tertia est eorum reproborum, in quibus ob fidem et caritatem, quas aliquando habuerunt, admixtio invenitur malorum meritorum cum bonis: judicabuntur judicio retributionis simul et discussionis, ut manifestetur omnibus malorum meritorum præeminentia.

Quarta est reproborum, in quibus quia fidem et caritatem nunquam susceperunt, nulla fuit admixtio boni cum malis: judicabuntur judicio retributionis, non autem discussionis; etenim, *qui non credit, jam judicatus est.* (Joan. III, 18); horum siquidem causa, utpote manifestissima, discussione non indiget. — Quibus adnumerari debent parvuli cum peccato originali defuncti.

2019. — Angeli, *docente S. Thoma (q. 89, a. 8),* in universali judicio judicabuntur: *a)* non judicio discussionis, quia in bonis nullum malum, in malis vero nullum bonum inveniri potest; *b)* nec judicio retributionis quantum ad præmium essentiale, quia boni statim ab initio in beatitudinem sublimati sunt, mali vero in miseriam demersi; *c)* sed judicio retributionis quantum ad præmium accidentale, quia boni majus accipient gaudium de eorum salute, quos ad meritum induxerunt; mali autem ex eorum ruina, quos ad peccandum incitaverunt, intensius accipient supplicium.

Quæ vero profert Apostolus (I Cor. VI, 3): *Nescitis quoniam Angelos judicabimus,* intelligenda sunt et de judicio comparationis, quia homines quidam angelis gloria superiores invenientur; et de judicio approbationis, quia electi judicium de Angelis ab initio latum approbabunt. *(S. Alph., n. 40).*

§ 3. *De Loco judicii.*

2020. — Quo in loco peragendum sit universale judicium, certo definiri nequit. Juxta probabiliorem sententiam, quam communiter sequuntur S. Patres et theologi, futurum erit in valle Josaphat, inter Jerusalem atque Oliveti montem sita; qui locus a Scripturis innui videtur. Legimus (Joel. III, 2): *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi.* — Et (v. 12): *Consurgant, et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu.* Et (Act. I, 11): *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* « Sed ipse, *inquit S. Th., (q. 88, a. 1),* ascendit in cœlum de monte Oliveti, qui præeminet valli Josaphat. Ergo et circa illa loca ad judicandum veniet, » ut ostendatur idem esse qui descendit, et qui ascendit.

Neque opponi potest, vallem Josaphat, utpote valde angustam, tantæ hominum massæ non sufficere: non enim dicitur omnes in ipsa valle staturos; sed judicium peractum iri in valle, atque Judicem supra illam ex parte montis Oliveti in aere sessurum. — Electi enim rapientur *in nubibus obviam Christo in aera* (I Thess. IV, 16), et sese in aere ad dexteram Judicis tenebunt; reprobi vero in ipsa valle et in locis vicinis a Judicis sinistra consistent; ita tamen ut omnes Judicem claritate fulgentem videant. *(S. Alph., n. 8).*

§ 4. *De Causæ inquisitione et manifestatione.*

2021. — 1. Causam judicandam constituent omnes hominum actus morales, sive facta, sive dicta, sive cogitata, tam bona quam mala. Legimus (Eccle. XII, 14): *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit.* — (Soph. I, 12): *In tempore illo scrutabor Jerusalem in lucernis.* — (Matth. XII, 36): *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Cf. Apoc. II, 23.

2. Causæ discussio mira celeritate peragetur: Judex enim, utpote omnium factorum testis, nam *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus,* (Hebr. IV, 13), ad causas cognoscendas, nec testibus indiget, nec libris.

Quæ causarum discussio probabilius fiet silentio, mentaliter scilicet, et non vocaliter. « Si enim vocaliter singulorum facta narrarentur, *inquit S. Th., (q. 88, a. 2),* inæstimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur. » Christus igitur virtute suæ omnipotentiæ cujusque conscientiam de omnibus et singulis ejus actionibus subito illuminabit, ita ut quisque ictu oculi, quidquid boni vel mali in tota vita sua egerit, clare et manifeste videat; juxta illud Apostoli (Rom. II, 15): *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Dominus occulta hominum. (S. Alph., n. 23, 24).*

3. Cuilibet, præter actiones proprias manifestabitur quidquid boni vel mali omnes alii in vita sua egerint.

A. — Cuilibet manifestanda fore propria sua facta, ex dictis jam patet. — *Præterea,* suadetur ratione. « Quia oportet, *ait S. Th.,* quod testis, accusator, et defensor in quolibet judicio habeant eorum notitiam quæ in judicio versantur, in illo autem communi judicio omnia opera hominum in judicium venient, oportet quod omnium operum suorum quisque tunc notitiam habeat. Unde conscientiæ singulorum erunt quasi quidam libri continentes res gestas, ex quibus judicium procedet: sicut etiam in judicio humano registris utimur. Et isti sunt libri de quibus (Apoc. XX, 12) dicitur: Libri aperti sunt

et alius liber apertus est, qui est vitæ; et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.» *(Q. 37, a. 1; S. Alph., n. 24).*

B. — Cuilibet etiam manifestandum fore quidquid sive boni sive mali omnes alii egerint, in Scripturis innuitur. Legimus (Matth. X, 26): *Nihil enim est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur.* — (I Cor. IV, 5): *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.*

Accedit ratio: Necesse est divinam justitiam in ultimo judicio omnibus manifestam apparere. Cum igitur cuique innotescet omnium aliorum vel remuneratio vel condemnatio, cuique etiam manifestari debent aliorum merita vel demerita; sublata enim hac manifestatione, non jam evidens appareret divina justitia. *(S.Th., q. 87, a. 2 et 3).* — Peccata proinde electorum, licet pœnitentia deleta, omnibus etiam manifesta erunt; ipsis vero hæc manifestatio non in ignominiam, sed in gloriam cedet, propter pœnitentiam, quam de eis egerunt. *(S. Alph., n. 44 et 45).*

§ 5. *De Sententia.*

2022. — Examinata causa, statim proferetur sententia, et quidem duplex: *particularis una, altera generalis.*

1. *Particulares sententiæ* tot proferentur, quot homines adulti aderunt judicio: cuilibet enim in particulari indicabitur propria remuneratio vel punitio, meritis vel demeritis proportionata. Proferentur non vocaliter, cum ad hoc immensum requireretur tempus; sed cuique sua mentaliter manifestabitur, sive divinæ virtutis operatione, sive voce propriæ conscientiæ, sive ministerio Sanctorum, qui Judicis erunt assessores. *(S. Alph., n. 28 et 31).*

Cujusque propria sententia omnibus aliis virtute divina innotescet, ut quilibet omnium aliorum remunerationem vel damnationem cognoscat. *(S. Alph., n. 29).*

2. Particulari sententia omnibus communicata, procedet Judex ad generalem sententiam ferendam, quam probabilius alta voce promulgabit; indicatis tamen mentaliter tantum hujus sententiæ causis, quas apud Matthæum XXV, legimus. *(S. Alph., n. 30-32).*

Quæ futura sit generalis illa sententia, nos docuit ipse Dominus (Matth. XXV): *Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus*

erunt: Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi... Tunc dicet et his qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.

Duplex ista sententia pro solis erit adultis, qui in corpore suo mortali bona vel mala egerunt, sicut ex verbis immediate subsequentibus constat: *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, etc. Tertia proinde admittenda est sententia generalis, pro infantulis scilicet et perpetuo amentibus, qui cum solo peccato originali mortui sunt. «Pro omnibus igitur hominibus judicandis, *ait S. Alph.*, tres erunt generales sententiæ, quibus alii in cœlum admittentur, alii detrudentur in gehennam, et alii e cœlorum regno excludentur.» *(n. 27)*.

Generali sententia a Christo prolata, judicio imponetur finis, statimque sententia exsecutioni mandabitur: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* (Matth. XXV, 46).

CAPUT VII.

DE MUNDI INNOVATIONE [1].

2023. — In consummatione sæculi, mundum annihilari, novumque, natura diversum, forma pulchriorem, ei subrogatum iri, plures olim docuerunt, inter quos Origenes.

Alii vero, eum in ea, quam nunc habet forma, perpetuo duraturum esse censuerunt; vel, si ultima conflagratione perierit, in eadem forma esse reproducendum, ita ut semper in eo sint homines aliaque animalia, quæ generatione in perpetuum sese propagent.

Docet autem communis Patrum et Doctorum sententia, mundum in fine sæculi non annihilari; sed futurum esse, ut ea quam nunc habet, forma pereat, et nova eaque perfectior ei substituatur: quæ formæ transmutatio nuncupatur *mundi innovatio.*

[1] Cf. Alph., Diss. VII; S. Th., *Suppl.*, q. 91; Gotti, *De judicio univ.*, q. V.

2024. — **Prop.** *In consummatione sæculi mundus non annihilabitur, sed innovabitur.* — Certa.

Prob. I. **Ex Script. S.** « Testantur omnes Scripturæ tam Novi quam Veteris Test., *ait S. Alph.*, novum tunc fore cœlum. atque terram novam. (Isa. LXV, 17, 18): *Ecce ego creo cœlos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora et non ascendent super cor: sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo.* — (II Petr. III, 13): *Novos vero cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat.* — (Apoc. XXI, 1): *Vidi cœlum novum et terram novam, primum enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est.* — Dicitur: *cœlum novum et terram novam, et mare jam non est*, non eo sane quod cœli, terræ, marisve substantia mutabitur, ita ut huic mundo novus substituatur, sicuti scripsit Origenes, cujus opinio rejicitur: eadem enim remanebit mundi substantia; sed quia corpora tum cœlestia tum terrestria in accidentibus et superficie in nobiliorem mutabuntur formam. » *(N. 2).*

II. **Ex Traditione.** Mundum in fine sæculi non esse penitus destruendum, sed transformandum, diserte tradunt S. Patres. Ait *S. Hieronym.*, ad verba: *Ecce ego creo cœlos novos*, etc.: « Non dixit alios cœlos, et aliam terram videbimus, sed veteres et antiquos in melius commutatos.» *(In Isa., c. 65).*

S. Augustinus: « Peracto judicio, tunc esse desinet hoc cœlum et hæc terra, quando incipiet esse cœlum novum et terra nova. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu, transibit hic mundus. Unde et Apostolus ait: *Præterit enim figura hujus mundi*... Figura ergo præterit, non natura... Illa itaque, ut dixi, conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant, ut scilicet mundus in melius innovatus apte accommodetur hominibus, etiam carne in melius innovatis. » *(De Civ. Dei, l. XX, c. 14).*

III. **Ex Ratione.** Rationem convenientiæ indicat S. Th.: ut scilicet in mundo glorificato oculus Beatorum divinitatis

irradiationem contempletur. « Ad hanc visionem essentiæ (divinæ), *inquit,* oculus carnis (Beatorum) attingere non poterit; et ideo ut ei etiam solatium congruens de visione divinitatis præbeatur, inspiciet divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta indicia divinæ majestatis apparebunt, et præcipue in carne Christi, et post hoc in corporibus Beatorum, et deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit ut etiam illa corpora majorem influentiam a divina bonitate suscipiant quam nunc; non tamen speciem variantem, sed addentem cujusdam gloriæ perfectionem: et hæc erit mundi innovatio. Unde simul mundus innovabitur, et homo glorificabitur. » *(Suppl., q. 91, a. 1).*

2025. — **Scholium.** *De natura innovationis mundi.*

In eo consistit mundi innovatio quod « omnia elementa claritate quadam vestientur, non tamen æqualiter, sed secundum suum modum. » *(S. Th., q. 91, a. 4).*

I. Corpora cœlestia majori fulgebunt claritate, secundum illud (Isa. XXX, 26): *Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.* — « Post resurrectionem, *ait S. Th.,* quando lux lunæ augebitur secundum rei veritatem, non erit alicubi nox super terram, sed solum in centro terræ, ubi erit infernus, quia tunc, ut dicitur, luna lucebit quantum lucet nunc sol; sol autem in septuplum plus quam nunc. » *(Q. 91, a. 3, ad 4).*

2. Aer erit splendens ut cœlum, non quia radios projiciet, sed sicut diaphanum illuminatum. Ignis erit ut luminaria cœli; aqua sicut crystallus, non soliditate et densitate, sed puritate et claritate.

3. « Terra, *ait S. Th.,* quamvis ex natura sua opacitatem habeat propter defectum lucis, tamen ex divina virtute in sui superficie gloria claritatis vestietur, sine præjudicio densitatis. » Et ita « terra erit in superficie exteriori pervia sicut vitrum. » *(Q. 91, a. 4).* Probabile est etiam terram fore tunc planam, et absque montibus ullis, ut colligitur ex Apocal. XVI, 20: *Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. (S. Alph., n. 5).*

4. Corpora cœlestia a motu cessabunt. « Motus cœli, *inquit S. Th.,* cessabit in illa mundi innovatione non quidem ex aliqua naturali causa, sed divina voluntate faciente », *(q. 91, a. 2).* Ratio est, quia « motus ille ordinatus est ex divina providentia ad complendum numerum electorum », *(loc. cit., ad 6),* per hoc scilicet quod ad humanam generationem et vitæ conservationem concurrit. Quocirca, expleto electorum numero, cessabit humana generatio, et consequenter etiam quæ ad generationem erant ordinata. Proinde, homine glori-

ficato, sol, luna, et alia corpora cœlestia a motu cessabunt, atque in loco cuique a Deo assignato immobilia perstabunt. *(S. Alph., n. 3).*

5. In mundo innovato neque animalia erunt neque plantæ. « Cessante fine, *ait S. Th.*, cessare debet id quod est ad finem. Sed animalia et plantæ facta sunt ad animalem vitam hominis sustentandam... Ego cessante vita hominis animali, debent cessare animalia et plantæ. Sed post illam innovationem animalis vita in homine non erit. Ergo nec plantæ nec animalia remanere debent. » *(Q. 91, a. 5).* — Præterea, in animalibus et plantis speciei perpetuitas conservari nequit absque motu cœlesti, qui tunc cessabit.

Quod de animalibus et plantis, hoc idem affirmandum est de omnibus corporibus mixtis, ita ut in terra innovata nihil, præter elementa, remaneat.

CAPUT VIII.

DE STATU DAMNATORUM POST ULTIMUM JUDICIUM [1].

Circa statum damnatorum tria quærenda sunt, nimirum: I. an existat infernum; II. an sit æternum; III. quibus pœnis plectantur damnati.

ARTICULUS I.

DE INFERNI EXISTENTIA.

2026. — Infernum locus est ille miserrimus, in quo dæmones, atque homines cum peccato lethali mortui, æternis afficiuntur suppliciis. — Inferni existentiam negant quotquot animas cum corporibus perire existimant, et recentiores præsertim rationalistæ ac materialistæ, qui omnem revelatam veritatem rejiciunt.

2027. — Prop. *Existit infernus.*

De fide, ex Symb. S. Athanas.: « Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum. » —

[1] Cf. S. Th., *Suppl.*, q. 97; S. Alph., Diss. VIII, et *Præpar. Mort.*, Consid. 26, 27, 28; Lessius, *De Perfect. div.*, l. XIII, c. 24; Patuzzi, *De futuro impiorum statu*; et *De sede inferni.*

Et ex Constit. Benedicti XII, *Benedictus Deus*, in qua legitur: « Definimus insuper, quod, secundum Dei ordinationem communem, animæ decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam, ad inferna descendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur. » *(Denz., n. 456).*

Prob. I. **Ex Script. S.** Gehennam existere, in qua reprobi pœnis plectuntur, omnes fere tam Veteris quam Novi Testamenti paginæ testantur.

In Veteri Test,: de Dathan et Abiron legimus (Numer. XVI, 33): *Descenderunt vivi in infernum.* — De reprobis vero, (Job. XXI, 13): *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* — (Ps. XX, 10): *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui; Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.* — (Ps. XLVIII, 15): *Sicut oves in inferno positi sunt; mors depascet eos.*

In Novo Test. magis adhuc explicita occurrunt de inferno testimonia. Legimus (Matth. XIII, 41, 42): *Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium.* — (Matth. XXV, 41): *Tunc dicet et his qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus.* — (II Petr. II, 4): *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* — (Apocal. XX, 15): *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

II. **Ex Ratione.** In Deo, utpote legislatore sapientissimo, atque mundi rectore justissimo, necessario adesse debet firma voluntas remunerandi bona, mala vero puniendi. Ast sæpissime contingit, ut justi in præsenti vita nullam accipiant remunerationem, sed ærumnis et calamitatibus jugiter afficiantur; mali vero dies suos in bonis transeant, omnique bonorum genere abundent: de quo jam quæstus est Propheta (Ps. LXXII): *Mei pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns... Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt di-*

vitias, etc. Proinde, necesse est justitiam Dei, sicuti bonos in cœlis remunerat, ita malos post hanc vitam punire.

His accedit omnium populorum, etiam ethnicorum, unanimis consensus: omnes quippe gentes ubique terrarum sibi persuasum semper habuerunt, post præsentem vitam bonis præmia, malis vero supplicia servari. *(S. Alph., n. 1-3).*

2028. — Scholium. *De sede inferni.*

Infernum specialem quemdam esse et determinatum locum, catholici omnes unanimiter docent: manifeste enim eruitur ex Scripturis. Siquidem vocatur *lacus*. (Ps. XXIX, 4): *Salvasti me a descendentibus in lacum;* — vocatur *stagnum*, (Apocal. XX, 9): *Missus est in stagnum ignis.* — Et de malo divite dicitur (Luc. XVI, 22) *Sepultus est in infernum.* — Et v. 28, ipse dives infernum nominat *locum tormentorum.*

Ast, ubi situs sit infernus, certo sciri nequit. « Non credo, *ait S. Th.*, ab homine sciri posse ubi sit infernus. » *(Opusc. XI, c. 25).* Probabilior et communis quidem Patrum ac theologorum sententia tenet, subtus terram positum esse infernum; quæ opinio in Scripturis videtur innui. Legimus enim, (Numer. XVI, 31): *Dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos,... descenderuntque vivi in infernum operti humo.* — (Ps. LIV, 16): *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.* — (Luc. XVI, 22): *Sepultus est in inferno.* Porro, hi textus locum subterraneum pro inferno designant.

Imo, secundum probabiliorem sententiam, sedes inferni est ipsum terræ centrum. « Sicut cor, *ait S. Hieronym.*, in medio est animalis, ita infernus in medio terræ esse perhibetur. » *(Cap. II in Isa.)* — Et *S. Thomas* ita affirmat: post resurrectionem « non erit alicubi nox super terram, sed solum in centro terræ, ubi erit infernus. » *(Suppl., q. 91, a. 3, ad 4; S. Alph., n. 4-6).*

ARTICULUS II.

DE INFERNI ÆTERNITATE [1].

2029. — Pœnarum infernalium æternitas altum est mysterium, et hominibus impervium. Quo enim modo fieri potest, ut Deus, summe misericors atque bonus, creaturas ex amore conditas, pro unius momenti delicto, atrocibus ac æternis deputet suppliciis? Quocirca non

[1] Cf. S. Th., *Suppl.*, q. 99; S. Alph., Diss. VIII, n. 33-40; *Ver. fid.*, P. II, c. 19; Lessius, l. XIII, c. 25.

mirandum est, homines in fide debiles, inferni æternitatem aut prorsus negasse, aut saltem vocasse in dubium.

Origenes primus citatur, qui æternam inferni durationem negaverit. Docuit, dæmones et homines reprobos fore post diuturna supplicia ab inferno liberandos, ac sanctis in beatitudine consociandos.

Sociniani eamdem pœnarum æternitatem inficiantur; docent, reprobos post mortem aut saltem post ultimum judicium annihilatum iri. — Eamdem rationalistæ, tanquam Dei justitiæ atque bonitati repugnantem, rejiciunt. — Demum, non pauci ex protestantibus tenent, dari reprobis in altera vita tempus ad pœnitentiam, qua omnes æternam felicitatem consequantur.

2030. — Prop. *Damnatorum pœnæ sunt æternæ.*

De fide, ex Symb. Athanasiano: « Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum. » — Et ex Conc. Later. IV, cap. *Firmiter:* « Omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua... illi (reprobi) cum diabolo pœnam perpetuam, est isti (electi) cum Christo gloriam sempiternam. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Isa. LXVI, 24): *Et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me; vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Quæ quidem verba plerique interpretum, etiam inter protestantes, de infelici reproborum statu directe intelligunt. Porro « qualiscumque pœna significata sit nomine vermis atque ignis, *ait S. August.*, certe si non morietur nec exstinguetur, sine fine prædicta est; nec aliud agebat Propheta, cum hoc diceret, nisi ut eam sine fine prædiceret. » *(Ad Oros., c. 6).*

(Dan. XII, 2): *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium ut videant semper.*

(Matth. XXV, 41, 46): *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Quo in textu reproborum supplicium dicitur æternum eodem sensu, quo æterna dicitur electorum beatitudo. Hæc autem semper est duratura; ergo et illud. « Si utrumque æternum, *inquit S. August.*, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum

debet intelligi. Par pari enim relata sunt, hinc supplicium æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu: Vita æterna sine fine erit, supplicium æternum finem habebit, multum absurdum est. Unde, quia vita æterna Sanctorum sine fine erit, supplicium quoque æternum quibus erit, finem procul dubio non habebit. » *(De Civ. Dei, l. XXI, c. 23).*

(II Thessal. I, 8): *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non obediunt Evangelio Domini Nostri Jesu Christi; qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini.*

II. **Ex Traditione.** Scribit *S. Justinus:* « Quem (diabolum) in ignem esse mittendum cum exercitu ipsius et hominibus qui eum sequuntur, in æternum puniendos, Christus ante significavit. » *(Apol. I, 28).* — *S. Chrysost.:* « Quod non sit temporanea (gehenna) audi Paulum nunc dicentem de iis, qui Deum non norunt, neque credunt Evangelio, quod pœnas dabunt, exitium æternum. Quod autem est æternum, quomodo temporale? » *(Hom. 3 in II Thess., n. 1).* — *S. Hieronymus:* « Præparata est a rege Domino *Topheth*, id est, lata et spatiosa gehenna, quæ eos æternis urat ardoribus. Nutrimentum ejus et fomes ignis est, et ligna multa, id est, flamma perpetua et supplicia peccatorum. » *(In Isa., l. X, c. 30, v. 30).* — Similia tradunt omnes S. Patres. Accedunt Martyrum testimonia, quibus coram tyranno protestati sunt, se, mortis æternæ vitandæ causa, temporalem mortem non timere. Accedit etiam sensus omnium fidelium, quibus persuasissimum est, animas ex inferno nunquam liberatum iri.

III. **Ex Ratione.** Non potest quidem ratio ex se sola pœnarum æternitatem apodictice demonstrare; rationes tamen convenientiæ adferre potest, quibus æquissimam esse probetur.

1. « Sicut se habet præmium ad meritum, *ait S. Th.*, ita pœna ad culpam. Sed secundum divinam justitiam merito temporali debetur præmium æternum. Ergo et culpæ temporali secundum divinam justitiam debetur pœna æterna. » *(Suppl., q. 99, a. 1).*

2. Peccatum mortale, utpote contra Deum commissum, malum est quodammodo infinitum *(cf. n. 856)*, cui proinde

infinita etiam debetur pœna. Sed pœna non potest esse infinita in intensione, quippe cujus creatura sit incapax; decet ergo ut infinita sit duratione. *(S. Alph., Ver. fid., c. 19, n. 3).*

3. Æquum est, tamdiu durare pœnam, quamdiu durat culpa. Porro, in damnatis culpa manet in æternum: non enim remittitur culpa absque gratia ex meritis Christi proveniente; sed sicut *in inferno nulla est redemptio,* (ut dicitur in officio defunctorum), ita et nulla gratiarum effusio. Æquum est igitur damnatorum pœnam in æternum esse duraturam. *(S. Alph., loc. cit., n. 5 et 6).*

4. Justum est eum, qui in suo æterno peccat, a Deo in suum æternum puniri. Sed « qui in peccatum mortale labitur propria voluntate, *ait S. Th.,* se ponit in statu a quo erui non potest, nisi divinitus adjutus: unde ex hoc ipso quod vult peccare, consequenter vult in peccato manere perpetuo. Sicut si aliquis se in foveam projiceret, unde exire non posset nisi adjutus, posset dici quod in æternum ibi manere voluerit, quantumcumque aliud cogitaret. » *(Loc. cit.)*

2031. — Objicitur I. Repugnat divinæ bonitati atque misericordiæ homines in æternum acerbissimis cruciari suppliciis. Ergo damnatorum pœnæ non erunt æternæ.

Resp. Repugnat antecedenter ad culpam, *concedo;* consequenter, *nego.* — Deus, quantum est in se, omnium miseretur, omnium vult salutem, omnibusque manifesta suæ bonitatis atque misericordiæ argumenta exhibet: omnibus enim misit Redemptorem, per quem Deo reconciliarentur; omnibus, nullo excepto, sufficientes elargitur gratias, quibus, si velint, æternam felicitatem consequi possint. Verum, Dei misericordia ordine sapientiæ regulatur. Inde sequitur, eos, qui dum erant in via, gratiis a Redemptore oblatis recte usi fuerint, in patria a Dei misericordia in æternum remuneratum iri; eos vero, qui, dum tempus est miserendi, nec gratiis acceptis uti, nec in reconciliatione facta a Christo esse aut permanere voluerint, et idcirco misericordia indignos se exhibuerint, misericordiam post mortem nunquam esse consecuturos, sed juste in æternum fore puniendos. *(S. Alph., Diss. VIII, n. 34; S. Th., q. 99, a. 2, ad 1; et a. 3, ad 1).*

2032. — Obj. II. Postulat justitia, ut pœnam inter et culpam adsit proportio. Atqui nulla est proportio inter pœnam æternam et peccatum brevissimo temporis spatio commissum. Ergo æternitas pœnarum divinæ justitiæ repugnat.

Resp. Inter pœnam et culpam debet adesse proportio, *dist.*: durationis, *nego*: meriti, *concedo*. — In nullo judicio duratio pœnæ commensuratur durationi delicti, sed gravitati culpæ; qua de causa, in judicio etiam humano pro unius momenti delicto aliquis exilio perpetuo vel etiam morte muletatur. Porro peccatum, utpote contra Deum commissum, licet brevissimo perficiatur tempore, infinitam quandam continet malitiam; unde et perpetua pœna juste punitur.

Præterea, peccatum etsi transeat quoad actum, remanet tamen quoad reatum, et in æternum remanebit, cum post mortem non detur amplius pœnitentiæ locus. Proinde, culpa semper remanente, justum est pœnam etiam semper durare. *(S. Th., 1. 2, q. 87, a. 3; Suppl., q. 99, a. 1).*

2033. — Obj. III. Æterna damnatorum punitio divinæ sapientiæ repugnat. Enimvero: 1. divinæ sapientiæ repugnat creaturam fine, ad quem condita est, perpetuo privari. Sed finis hominis est æterna beatitudo. — 2. Repugnat sapientiæ eam inferre pœnam, ex qua nulla provenit utilitas. Ergo.

Resp. 1. Repugnat divinæ sapientiæ creaturam fine, ad quem condita est, perpetuo privari; *dist.*: fine primario et omnium ultimo, *concedo*; fine proximo et primario subordinato, *nego*. Item, *dist. min.*: finis hominis est æterna beatitudo: finis proximus, *concedo*; finis primarius et ultimus, *nego*. — Enimvero, finis ad quem ultimo conditus est homo, sicut quælibet creatura, est gloria Dei, ad quam hominis beatitudo pondere suo tendit. Verum, sive salvetur, sive damnetur homo, gloria Dei manifestatur: per misericordiam in iis, qui salvi fiunt; per justitiam in iis, qui pereunt. Æterna igitur hominis damnatio divinæ sapientiæ non derogat, cum etiam in ea primarius creationis finis obtineatur. *(Cf. n. 650 et seq.)*

2. Repugnat sapientiæ eam inferre pœnam, ex qua nulla provenit utilitas: *dist.*, ex qua nulla, neque reo, neque aliis, provenit utilitas, *concedo*; ex qua non reo, sed aliis provenit, *nego*. Sed ex pœna damnatis nulla provenit utilitas, *concedo*; non provenit aliis, *nego*. — Etenim, ut pœnæ respondeant sapientiæ legibus, non requiritur ut eis sint utiles, qui puniuntur; sat est ut in aliorum utilitatem cedant, sicut etiam in humanis legibus manifestum est; sic, v. gr., non suspenditur homicida, ut ipse emendetur, sed propter alios, ut scilicet vel securitatem habeant, vel metu pœnæ similia crimina patrare non audeant. Pœnæ igitur reprobis inflictæ, non ipsis prosunt, sed aliis, ut ex earum consideratione a peccatis abstineant. *(S. Th., 1. 2, q. 87, a. 3, ad 2; Suppl., q. 99, a. 1, ad 3).*

Præterea, impiorum pœnæ, *ait S. Th.*, in perpetuum duraturæ non erunt omnino inutiles. Sunt enim utiles ad duo: primo ad hoc quod in eis divina justitia conservetur, quæ est Deo accepta propter seipsam... Secundo ad hoc sunt utiles ut de his electi gaudeant, cum in his Dei justitiam contemplantur, et dum se evasisse eas cognoscant.» *(Q. 99, a. 1, ad 4).*

2034. — Scholium. *De mitigatione pœnarum inferni.* Mitigatio pœnarum triplici sub respectu considerari potest.

1. Considerari potest tanquam in ipso concedenda judicio, quo reprobi inferno deputantur. Multi theologi, inter quos S. Thomas, *(4. Sent., D. 46, q. 2, a. 2, q. 1; Suppl., q. 99, a. 2, ad 1)*, docent, Deum reprobos semper *infra condignum* punire, minoremque imponere pœnam, quam flagitia expostularent. Quæ sententia est probabilis.

Alii vero, inter quos S. Alphonsus *(Diss. VIII, n. 41-43)*, docent, nihil in judicio de pœna relaxari, sed peccatum *juxta condignum* rigorose semper puniri. Est etiam probabilis hæc opinio.

2. Considerari potest tanquam adventura per diminutionem aut exstinctionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis in hac vita quoad culpam condonatis, sed pro quibus reprobus ante mortem plene non satisfecit. Pœnam hanc, utpote temporalem, suapte natura aliquando cessare, ac proinde ex ea parte damnatorum miseriam mitigari, multi theologi autumant [1], et quidem probabiliter. Ast hujusmodi pœnæ exstinctio, cum sit solutio rigorosa, proprie dici nequit mitigatio.

3. Demum, considerari potest mitigatio tanquam concedenda quoad pœnas illatas pro peccatis ante mortem quoad reatum culpæ non deletis. Antiquiores quidam theologi, quos refert S. Thomas *(4. Sent., D. 45, q. 2, a. 2, q. 2)*, et nonnulli recentiores docuerunt, damnatorum pœnas a Deo mitigari, quorumdam nempe modo continuo, quorumdam vero statutis temporibus, ita tamen ut pœna nunquam plene auferatur; addunt præterea, damnatos, ad diem usque judicii, Ecclesiæ precibus ad pœnæ levamen juvari posse. Porro, ut ait *S. Thomas (loc. cit.)*: « est prædicta opinio præsumptuosa, utpote Sanctorum dictis contraria; et vana, nulla auctoritate fulta; et nihilominus irrationalis: tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum caritatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis; tum quia totaliter ad viæ

[1] Cf. Gotti, *De Judicio*, q. VIII, dub. 3; Sylv., *Suppl.*, q. 99, a. 3.

terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem. »

Quæ ponit nullam dari in his pœnis mitigationem, est sententia communis theologorum, quam plerique vocant *certam, fidei proximam.*

Colligitur enim ex Scripturis. Legimus (Apocal. XIV, 11): *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam.* — Et (Luc. XVI) discimus guttulam aquæ, qua linguam paululum refrigeraret, malo diviti fuisse negatam.

Idem suadet ratio. a) In damnatis nunquam minuitur culpa; ergo nec pœna. Deus enim nihil relinquit inordinatum; nequit autem ordinari culpa nisi per correspondentem pœnam.

b) Nulla pœna dimittitur aut minuitur nisi virtute Passionis Christi. Sed damnati, utpote a corpore mystico omnino abscissi, nullum prorsus a Christo influxum accipere possunt. Unde nec eorum pœna in aliquo minui potest.

Nullatenus igitur illis annuendum est theologis, qui, ad Dei misericordiam commendandam, essentialem damnatorum pœnam mitigari docent. Misericordiæ tempus est vita præsens; reprobis morte clauditur misericordiæ aditus, et sola exercetur rigorosa Dei justitia, quæ, sicut in judicio nihil, nisi justum, infligit, ita nec postea quidquam inflictum detrahit.

ARTICULUS III.

DE NATURA PŒNARUM INFERNI.

2035. — In inferno reprobi duplici torquentur pœna, sensûs videlicet et damni, utraque gravissima. Ast, licet omnes damnati Deo priventur, et crucientur igne, non omnes tamen ex Dei privatione aut ex igne eadem sustinent tormenta, sed diversa pro demeritorum diversitate. Sicut enim justi judicis decreto Beati in eadem visione divinæ essentiæ pro meritorum inæqualitate inæqualiter gaudebunt, ita et reprobi pro demeritorum inæqualitate inæqualiter cruciabuntur.

Dicemus proinde: 1. de pœna sensûs; 2. de pœna damni; 3. in specie de reproborum intellectu et voluntate.

§ 1. *De Pœna sensûs.*

2036. — Pœna sensûs consistit in cruciatu sensibus tam internis quam externis percepto. Debetur peccato quatenus est inordinata conversio ad creaturam; justum est enim eum, qui libera voluntate inordinatam in creaturis delectationem quæsivit, contra propriam voluntatem a creaturis pœnam percipere.

Multiplex in inferno existit pœna sensûs.

2037. — I. **Prima et formidabilior pœna est ignis.** — Ignem in inferno inveniri, est *de fide*, ex Symbolo Athan: « Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum. » — Manifeste colligitur ex Scripturis. *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*, dicet ipse Judex reprobis; centies in Scripturis ignis infernalis commemoratur.

De natura vero illius ignis nihil definitum habemus. Docuerunt nonnulli, ignem infernalem non esse realem et physicum, sed tantum metaphoricum. Certa tamen et communis Patrum et theologorum sententia docet, ignem inferni esse realem, physicum et elementarem, non secus ac ignem nostrum terrestrem, licet in multis ab eo dissimilem. Cui sententiæ, a qua citra temeritatem recedere non licet, magnum additum est pondus ex declaratione S. Pœnitentiariæ, die 30 Apr. 1890. Quæstioni enim: An pœnitentes, qui in inferno solum ignem metaphoricum, non autem realem, agnoscunt, absolvendi sint, respondit: « Hujusmodi pœnitentes diligenter instruendos esse; et pertinaces non esse absolvendos. » *(Cf. S. Th., Suppl., q. 97, a. 5; S. Alph., n. 7).*

2038. — **Scholium.** *De modo, quo anima separata ab igne corporali cruciari possit.*

Animas separatas et dæmones ab igne cruciari, certum est; hujus autem cruciandi modus nobis occultus remanet, cum intelligere non valeamus quomodo res corporalis in spiritum possit agere.

Dicunt nonnulli, spiritus ab igne cruciari propterea quod igni alligantur, eoque, velut divinæ justitiæ instrumento, detinentur; ac pro-

inde ignem effici pœnalem, quatenus eos ab exsecutione propriæ voluntatis impedit, ne scilicet possint esse et operari ubi vellent.

Alii vero docent, ignem actione sua physica, non quidem virtute naturali, sed divinitus superaddita, in spiritum reprobum ita agere, ut ipsi dolorem directe inferat, eumque vere et proprie exurat.

Quidquid sit, asserendum est, Deo non deesse spiritus igne etiam corporali puniendi modum. « Cur enim non dicamus, *ait S. August.*, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? » *(De Civ. Dei, l. XXI, c. 7 et 8).*

2039. — II. **Vermis.** — Inter damnatorum pœnas commemoratur vermis mordens et crucians. (Eccli. VII, 19): *Vindicta carnis impii ignis et vermis.* — Hujus pœnæ meminit ipse Christus (Marc. IX, 43): *Ubi vermis eorum non moritur.*

Vermem fore materialem, atque damnatorum corpora vere corrosurum, nonnulli ex Patribus autumant. Communior tamen et probabilior sententia tenet, vermibus metaphorice intelligi remorsus conscientiæ, quibus damnatorum animæ veluti vermibus mordebuntur atque cruciabuntur. « Post diem judicii, *ait S. Th.*, in mundo innovato non remanebit aliquod animal, vel aliquod corpus mixtum, nisi corpus hominis tantum... Unde vermis qui in damnatis ponitur, non debet intelligi esse corporalis, sed spiritualis, qui est conscientiæ remorsus, qui dicitur vermis, in quantum oritur ex putredine peccati, et animam affligit, sicut corporalis vermis ex putredine ortus affligit pungendo. » *(Q. 97, a. 2).*

2040. — III. **Tenebræ.** — Adesse in inferno tenebras, sæpius testantur Scripturæ. (Matth. XXII, 13): *Mittite eum in tenebras exteriores.* — (II Petr. II, 17): *Hi sunt... quibus caligo tenebrarum reservatur.* — (Jud. 13): *Quibus procella tenebrarum servata est in æternum.*

Tenebris tamen inferni aliquid miscetur luminis. « Dispositio inferni, *ait S. Th.*, erit talis, quod maxime miseriæ damnatorum competat. Unde secundum hoc sunt ibi lux et tenebræ, prout maxime spectant ad miseriam damnatorum... Et ideo in inferno hoc modo debet esse locus dispositus ad videndum secundum lucem et tenebras, ut nihil ibi perspicue videatur; sed solummodo sub quadam umbrositate videantur ea quæ afflictionem cordi ingerere possunt. Unde, simpliciter loquendo, locus est tenebrosus. Sed tamen ex divina dispositione est ibi aliquid luminis, quantum sufficit ad videndum illa quæ animam torquere possunt. » *(Q. 97, a. 4; S. Alph., n. 12).*

2041. — IV. **Fletus et stridor dentium.** — De his legimus (Matth. XIII, 42 et 50): *Ibi erit fletus et stridor dentium.*

« Fletus, *ait S. Th.*, et stridor dentium in spiritualibus substantiis nonnisi metaphorice intelligi possunt: quamvis in corporibus damnatorum post resurrectionem nihil prohibeat, corporaliter ea intelligi: ita tamen quod per fletum non intelligatur lacrymarum deductio; quia ab illis corporibus nulla resolutio fieri potest; sed solum dolor cordis, conturbatio oculorum et capitis, prout in flentibus esse solet. » *(Cont. Gent., IV, 90).*

2042. — V. **Fames et sitis.** — Reprobis dicet Judex in ultimo judicio (Luc. VI, 25): *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* — (Luc. XVI, 24): *Pater Abraham, miserere mei; et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*

2043. — VI. **Fœtor intolerabilis.** — Legimus (Isa. XXXIV, 3): *Et de cadaveribus eorum ascendet fœtor.* — Et (Apoc. XXI, 8): *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure.*

2044. — VII. **Immobilitas.** — De qua pœna legimus (Matth. XXII, 13): *Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* — Hæc reproborum immobilitas ex eo etiam probabiliter orietur, quod eorum corpora in densam coadunabuntur massam, ut colligere licet ex Matth. XIII, 30): *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum;* — et ex Isa. XXIV, 22: *Congregabuntur in congregatione unius fasci in lacum: et claudentur ibi in carcere.*

2045. — VIII. Præter enumerata tormenta, de quibus in Scripturis explicita fit mentio, alia probabiliter damnatis inferentur ab ipsis dæmonibus, quibus cruciandi traditi sunt.

§ 2. *De Pœna Damni.*

2046. — Pœna damni sita est in divinæ visionis privatione, atque in totali separatione a Deo, summo bono, ultimoque hominis fine, et consequenter etiam in cæterorum bonorum privatione, quæ ex Dei possessione Beatis adveniunt. — Debetur peccato, quatenus est aversio a Deo: justum est enim eum, qui in præsenti vita ab incommutabili bono sese averterit, eo post mortem in æternum privari.

Pœna damni reprobos omnes multetari, apprime constat ex verbis Christi (Matth. XXV, 41): *Discedite a me, maledicti;* et (ibid. 12): *Amen dico vobis, nescio vos.* — Non ea tamen pœna omnes æqualiter cruciabuntur, sed quilibet pro suis demeritis. « Etsi omnes damnati, *inquit S. Alphonsus, n. 14,* Deo priventur æqualiter, hæc pœna tamen quemlibet excruciabit secundum peccatorum mensuram, et secundum cognitionem, quam de Deo amisso in gehenna habebit. Etenim quomodo credi posset, tantas illum daturum esse pœnas, qui uno peccato Deum amisit, quantas qui centum?... Nec obstat quod habet S. Thomas, privationem scilicet visionis Dei æqualem esse in omnibus damnatis; siquidem consistit pœna damni non solum in privatione divinæ visionis, sed principaliter in separatione ab amore erga Deum; et in hac scilicet separatione sita est essentialis pœna inferni, ut diserte scribit S. Thomas: *Pœna essentialis consistit in separatione a Deo, et dolore exinde proveniente. (De Malo, q. 2, a. 2, ad 8)* ».

2047. — Ex omnibus pœnis, quibus cruciantur reprobi, longe gravissimam esse separationem a Deo, et ex ea essentialiter constitui gehennam, ore unanimi affirmant S. Patres. « Ecce, *ait S. Alph.,* quomodo S. Thomas perfecte describit et felicitatem Beatorum, et reproborum infelicitatem. *Ultima hominis felicitas,* inquit, *quantum ad intellectum quidem, consistit in plena Dei visione; quantum ad affectum vero, in hoc quod voluntas hominis in prima bonitate sit immobiliter firmata. Erit igitur extrema miseria hominis in eo quod intellectus totaliter divino lumine privetur, et affectus a Dei bonitate obstinate avertatur.* » *(Opusc. I, c. 174).*

« In summa, in Deo possesso consistit paradisus, in Deo enim omnia sunt bona... Et in Deo amisso consistit infernum, teste S. Bernando: *Est et turpium pœna Deus.* (De Consid., l. V, c. 12). Sicut Beati ideo sunt felices, quia Deus est ipsis, et ipsi Deo sunt, ita reprobi infelices, quia non amplius ipsi Deo sunt, nec Deus ipsis. Ita minatus est Deus eis, qui in hac vita ejus esse abnuunt: *Voca nomen ejus: Non populus meus; quia vos non populus meus, et ego non ero vester.* En igitur in quo consistit tota damnatorum miseria: exprimitur illis scilicet primis

verbis, quæ Christus contra inimicos suos proferet: *Discedite a me... in ignem æternum.* Hæc a Deo separatio damnatorum infernum constituit. » *(N. 14-17).*

§ 3. *De reproborum intellectu et voluntate.*

2048. — De intellectu. — « In hoc mundo, *ait S. Th.*, anima conjungitur corruptibili corpori; unde per hoc quod corpus affligitur, consideratio animæ impeditur; sed in futuro anima non ita trahetur a corpore; sed quantumcumque corpus affligetur, tamen anima semper considerabit luculentissime illa quæ ei poterunt esse causa mœroris. » *(Q. 98, a. 7, ad 2).*

Rerum naturalium species intelligibiles, quas in præsenti vita acquisierunt, damnati conservabunt in gehenna; et eisdem, actu considerando, uti poterunt. — Considerabunt jugiter mala quæ egerunt, et quorum causa damnati sunt, atque bona delectabilia in perpetuum amissa. Dicitur enim malo diviti, (Luc. XVI, 25): *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua.* — Gratiarum etiam, quibus ad bonum excitati non obtemperaverunt, assidue recordabuntur. — Horum vero notitia damnatis non in gaudium, sed in amaram vertetur tristitiam, quia « nihil erit in damnatis quod non sit eis materia et causa tristitiæ, nec aliquid quod ad tristitiam possit pertinere, deerit, ut sit eorum miseria consummata. » *(S. Th., q. 98, a. 7; S. Alphonsus, n. 20).*

Quæ hic in terris aguntur, damnati, utpote e vivorum numero plane abscissi, naturaliter cognoscere nequeunt. In eorum tamen notitiam quandoque devenire possunt, vel ex speciali Dei dispensatione, vel ex manifestatione dæmonum, vel per alios damnatos, qui e terra ad eos transeunt.

« Damnati, *inquit S. Th.*, ante diem judicii videbunt Beatos in gloria: non hoc modo quod gloriam eorum, qualis sit, cognoscant; sed solum cognoscent eos esse in gloria quadam inæstimabili; et ex hoc turbabuntur tum propter invidiam dolentes de felicitate eorum, tum propter hoc quod ipsi talem gloriam amiserunt. Sed post diem judicii omnino Beatorum visione privabuntur,... et hoc eis erit in tormentum...

quod videbunt se indignos reputari etiam videre gloriam quam sancti merentur habere. » *(Q. 98, a. 9; S. Alph., n. 22).*

De Deo indesinenter cogitabunt, imo et cogitare coguntur, et quidem quatenus est criminum ultor, qui eos in æternum puniet, et quatenus est summum bonum et finis suus ultimus, a qua culpa sua voluntarie et irreparabiliter sunt separati. Apposite *S. Alphonsus:* « Scribit S. Augustinus, *inquit*, damnatos in inferno cogi, ut de nihilo, nisi de solo Deo, cogitent: *Nimio dolore premuntur, ut interim mentem in aliam cogitationem non ferant.* Et S. Bonaventura... affirmat, damnatos nulla cogitatione magis cruciari, quam Dei cogitatione. Dominus ipsis dabit cognitionem adeo vivam et divinæ majestatis, quam læserint, et divinæ bonitatis, quam despexerint, ac consequenter etiam magnæ castigationis, quam suis delictis meruerint, ut hæc ipsa cogitatio ipsos majori afficiat pœna, quam omnia alia inferni tormenta. » *(N. 18).*

2049. — De Voluntate. — Deliberata damnatorum voluntas mala prorsus est atque semper erit, ita ut, quidquid ipsi velint, nunquam non malum sit; vel si quid boni eligant, illud proterva intentione pervertant. Ratio est, quia voluntas nequit esse bona nisi ex ordine ad finem ultimum, a quo damnati plane aversi sunt. *(S. Th., q. 98, a. 1).*

Damnatorum voluntas in malo adeo obstinata est, ut quidquam boni sub ratione boni amplius velle nequeant. Quæ obstinatio statui reproborum est omnino propria. « Naturale est unicuique rei, *ait Sylvius*, ut postquam ad terminum pervenit, in eo quiescat, nisi forte ab aliquo alio moveatur; damnati autem cum prava suæ voluntatis... affectione decedentes, sunt in termino;... et Deus justo judicio statuit eos relinquere in malo quod elegerunt. » *(In q. 98, a. 1; S. Alph., n. 23).* Proinde, damnati peccata sua nunquam possunt detestari quoad malitiam, sed ea volunt commisisse, ipsorumque malitiæ semper adhærebunt. Detestantur tamen ea quoad pœnam, quam refugiunt, et quam nollent pati. *(S. Th., q. 98, a. 2; S. Alph., n. 25).*

Cum eorum odium in summum excreverit, de bonis omnibus dolent; vellent omnes, etiam quos in vita maxime dilexerant, damnari. Et « quamvis ex damnatorum multitudine pœna singulorum augeatur, tamen tantum superexcrescent odium et invidia, quod magis eligent torqueri magis cum multis quam minus soli. » — « Sed tamen minus invidebunt propinquis quam aliis, et major esset eorum pœna, si omnes propinqui damnarentur, et alii salvarentur, quam si aliqui de suis propinquis salvarentur. Et exinde fuit quod dives petiit fratres suos a damnatione eripi. Sciebat enim quod aliqui eriperentur; maluisset tamen fratres suos cum omnibus aliis damnari. » *(S. Th., q. 98, a. 4; S. Alph., n. 24).*

Deum ipsum odio prosequuntur, eumque non existere vellent. « Deus in se consideratus, *inquit S. Alph., n. 30,* suprema est bonitas, et qua talis nulli rationali creaturæ potest esse odii objectum. Damnatis tamen duplici titulo fit objectum odii: primo, quatenus est auctor pœnarum, quibus cruciantur; secundo, quatenus est bonitas infinita: tanta enim est reproborum in malis obstinatio, ut Deum, licet ab eo non punirentur, totis tamen viribus odio haberent. » *(Cf. S. Th., q. 98, a. 5).*

Deum indesinenter blasphemant. « Ad rationem blasphemiæ, *ait S. Th.,* pertinet detestatio divinæ bonitatis. Illi autem qui sunt in inferno retinebunt perversam voluntatem aversam a Dei justitia, in hoc quod diligunt ea pro quibus puniuntur, et vellent eis uti si possent, et odiunt pœnas quæ pro hujusmodi peccatis infliguntur. Dolent tamen etiam de peccatis quæ commiserunt, non quia ipsa odiunt, sed quia pro eis puniuntur. Sic ergo talis detestatio divinæ justitiæ est in eis interior cordis blasphemia. Et credibile est quod post resurrectionem erit in eis etiam vocalis blasphemia, sicut in sanctis vocalis laus Dei. » *(2. 2, q. 13, a. 4; S. Alph., n. 31).*

Probabile est, damnatos sui annihilationem appetere, non quidem simpliciter, sed quatenus finem pœnarum; quo sub respectu *non esse* eis bonum foret. Innuitur verbis Christi (Matth. XXVI, 24): *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Eodem sensu intelligitur illud (Apocal. IX, 6): *Et desi-*

derabunt mori, et fugiet mors ab eis. (S. Th., q. 98, a. 3). Attamen probabile est etiam, velle eos ex obstinata voluntate perpetuo, licet miserrimos, vivere, ut Deum perpetuo possint odio habere. *(S. Alph., n. 32).*

—

CAPUT IX.

DE STATU BEATORUM POST ULTIMUM JUDICIUM.

Peracto novissimo judicio, dum reprobi in infernum detrudentur, justi cum Christo ascendent in altum, æterna fruituri beatitudine. De sanctorum beatitudine agentes, duo præsertim sunt consideranda, nimirum: I. Ipsa beatitudo; II. dotes Beatorum.

ARTICULUS I.

DE IPSA BEATITUDINE.

Sanctorum beatitudo considerari potest vel in genere, quatenus scilicet est status omnium bonorum aggregatione perfectus, perfecte quietans hominem; vel in specie, quatenus nempe consistit in perfecta tum intellectus tum voluntatis operatione: beatitudo enim formalis, ut docet S. Thomas, *1. 2, q. 3*, consistit in operatione. Igitur in § 1. de beatitudine in genere; in 2. de intellectu Beatorum; in 3. de eorum voluntate dicemus.

§ 1. *De Beatitudine sanctorum in genere.*

2050. — Beatitudo definitur: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Ad ipsam ergo requiritur tum ab omni malo immunitas, tum omnis boni possessio, et quidem in perpetuum; ita ut per eam omne desiderium perfecte satietur, et totus homo in boni possessione immobiliter quiescat.

2051. — Beatitudo dividitur in *objectivam* et *subjectivam.* — *Objectiva* est ipsum, quo beatificamur, objectum. — *Subjectiva,* seu *formalis,* est ipsa objecti beatificantis consecutio.

Utraque, objectiva scilicet et subjectiva, dividitur: *a)* in *essentialem* et *accidentalem. Objectiva essentialis* est ipsum summum bonum, quod per se, primario et simpliciter, creaturam rationalem perfecte satiat: est ipse Deus, summum bonum et finis noster ultimus. — *Subjectiva essentialis* est illius summi boni consecutio. — *Objectiva accidentalis* sunt bona quædam accidentalia, quæ objectum principale comitantur, et ad hominis beatitudinem concurrunt. — *Subjectiva accidentalis* est horumce bonorum consecutio.

b) In *naturalem* et *supernaturalem.* — *Naturalis* est, quæ creaturæ rationali secundum se convenit, et propriis naturæ viribus cum concursu Dei naturali obtineri potest. — *Supernaturalis,* quæ totius naturæ creatæ vires et exigentias superat, et solius gratiæ auxiliis comparari potest. De sola supernaturali beatitudine in præsenti agimus. *(Cf. dicta n. 774 et seq.)*

Supernaturalis beatitudo variis nuncupatur nominibus; vocatur: *nuptiæ Agni, cœleste convivium, regnum Christi, salus æterna, gaudium Domini, corona gloriæ, corona immarcescibilis, merces, hæreditas Christi,* etc.

2052. — Prop. I. *Beati in cœlis a quocumque malo sunt immunes, et omni perfruuntur bono.*

Prob. I. Pars: *Sunt a quocumque malo immunes.*

I. **Ex Script. S.** Legimus (Apocal. VII, 16): *Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus.* — (Ibid. XXI, 4): *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.*

II. **Ex Traditione.** S. Patres unanimiter fatentur sanctos esse in patria ab omni miseria, ab omni adversitate immunes. Unus audiatur *S. Chrysostomus:* « Vera est illa requies, *inquit,* ubi aufugit dolor, tristitia et gemitus; ubi neque curæ, neque labores, neque angor, neque metus animam percellens et quatiens, sed solus Dei metus plenus voluptate. Omnia ibi sunt pax, gaudium, lætitia, voluptas, bonitas, mansuetudo, æquitas, caritas. Non est illic æmulatio et invidia, non mor-

bus, non hæc mors corporis, non illa mors animæ, non sunt tenebræ, neque nox: omnia sunt dies, omnia lux, omnia quies. Non est illic defatigatio, non satietas, sed semper erimus in perpetuo bonorum desiderio. » *(In Ep. ad Hebr. Hom. 6, n. 4).*

III. **Ex Ratione.** Quæ hominibus accidunt afflictationes, ordinantur vel ad peccati castigationem, vel ad augmentum meriti. Porro, in cœlesti gloria nihil purgandum remanet, cum nihil inquinatum cœlum possit introire; similiter nec locus est merito, cum sancti jam sint extra viam. In cœlis igitur nullum possunt sancti experiri malum.

Prob. II. Pars: *Fruuntur omni bono.*

I. **Ex Script. S.** Cœlestis patria iis designatur nominibus, quæ Beatos omni bonorum genere abundare diserte manifestant; vocatur nempe: *Regnum cœlorum, regnum Christi, regnum Dei, paradisus, gaudium Domini, cœleste convivium,* etc.

Præterea, de Beatis legimus (Ps. XXXV, 9): *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* — (Ps. XVI, 15): *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* — (Rom. VIII, 18): *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* — (I Cor. II, 9): *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum.*

II. **Ex Ratione.** Beatitudo, ut vera sit et perfecta, debet esse omnium rerum expetendarum plenitudo, et totius hominis in bono possesso quies. Porro, si quid Beatis deesset, quod desiderare possent, nec perfecta foret bonorum plenitudo, nec consummata quies. Fruuntur ergo Beati omni, quod desiderare possunt, bono. « Nihil quod nolis sit, *ait S. Bernardus,* totum sit quod velis. » *(De divers. s. 16).*

2053. — Prop. II. *Consummata Beatorum felicitas æterna est.*

De fide, ex Symb.: « Credo... vitam æternam. » — Et ex Constit. *Benedictus Deus,* Benedicti XII, in qua legimus: « Eadem visio (divinæ essentiæ) et fruitio sine aliqua inter-

cessione seu evacuatione prædictæ visionis et fruitionis continuata existit et continuabitur usque ad finale judicium, et ex tunc usque in sempiternum. »

Prob. I. **Ex Script. S.** Æternitatem felicitatis Beatorum in sacris Litteris frequentius commendari, omnibus patet. Legimus (Matth. XXV, 46): *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* — (Joan. X, 28): *Ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* — (I Tessal. IV, 16): *Et sic semper cum Domino erimus.* — (Sap. V, 16): *Justi autem in perpetuum vivent.*

II. **Ex Traditione.** Ait *S. Chrysost.:* « Cogita quantum sit, animam, cum illuc abierit, non amplius exspectare finem illorum bonorum, nec mutationem, sed incrementum et vitam, quæ non habet finem. » *(In Ep. ad Hebr., Hom. 6, n. 4).*

S. Augustinus: « Deus ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. » *(De Civ. Dei, l. 22, c. 30).*

III. **Ex Ratione.** I. *Ex ipsa beatitudinis natura.* — Beatitudo, cum sit essentialiter bonum undequaque perfectum, necessario debet et omne desiderium perfecte quietare, et omne malum excludere. Jamvero appetit naturaliter homo et retinere bonum quod habet, et de illius certus esse perpetuitate. Si igitur amitti posset beatitudo semel habita, aut si de ejus perpetuitate homo certior non esset, illius amissione, aut amissionis timore affligeretur; et sic beatitudo jam non foret perfecta. « Nullo modo, *inquit S. August.*, esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna. » *(De Civ. Dei, l. 13, c. 8).* — Et *S. Th.:* « Requiritur ad perfectam et veram beatitudinem ut aliquis certus sit de suæ beatitudinis perpetuitate; alioquin voluntas non quietaretur. » *(2. 2, q. 18, a. 2; cf. 1. 2, q. 5, a. 4; S. Alph., n. 25).*

2. *Ex speciali ratione beatitudinis sanctorum.* — « Perfecta beatitudo hominis, *inquit S. Th.*, in visione divinæ essentiæ consistit. Est autem impossibile quod aliquis videns divinam essentiam velit eam non videre; quia omne bonum habitum, quo aliquis carere vult, aut est insufficiens, et quæ-

ritur aliquid sufficientius loco ejus, aut habet aliquod incommodum annexum, propter quod in fastidium venit. Visio autem divinæ essentiæ replet animam omnibus bonis, cum conjungat fonti totius bonitatis... Similiter non habet aliquod incommodum adjunctum; quia de contemplatione sapientiæ dicitur (Sap. VIII, 16): *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ejus.* Sic ergo patet quod propria voluntate beatus non potest beatitudinem deserere.

» Similiter etiam non potest eam perdere, Deo subtrahente; quia cum subtractio beatitudinis sit quædam pœna, non potest talis subtractio a Deo justo judice provenire nisi pro aliqua culpa; in quam cadere non potest qui Dei essentiam videt, cum ad hanc visionem ex necessitate sequatur rectitudo voluntatis. » *(1. 2. q. 5. a. 4).*

2053bis. — **Corollarium.** Ex dictis sequitur, beatitudinem Sanctorum esse inamissibilem et æternam, non solum *ab extrinseco*, scilicet propter voluntatem Dei, qua decrevit finem illi nunquam esse imponendum; sed *ab intrinseco*, ita scilicet ut de beatitudinis essentia sit perpetuitas, qua sublata, ipsa beatitudo perfecta non existeret.

2054. — **Prop. III.** *Beatitudo non est in omnibus sanctis æqualis, sed diversa pro meritorum diversitate.*

De fide, ex Florent., *in decreto Unionis:* « Definimus... illorum animas... in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. » *(Denz., n. 588).*

Statuitur propositio contra Jovinianum et Lutherum, qui docuerunt, omnium Sanctorum beatitudinem fore prorsus æqualem.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (I Cor. XV, 41, 42): *Stella enim a stella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum.* In quæ verba scribit *S. Chrysost.:* « Quid igitur hinc proficiemus? Quod in regno qui sunt omnes, non eadem omnes regni gloria fruuntur. » *(Hom. 41).*

(I Cor. III, 8): *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* — (II Cor. V, 10): *Omnes*

enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. — (Ibid. IX, 6): *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* At Sancti, dum erant in vita, alii plus, alii vero minus laboraverunt atque seminaverunt. Ergo et in altera vita, alii majorem, minorem alii mercedem accipient.

II. **Ex Traditione.** Scribit *S. Irenæus:* « Quanto plus Deum dilexerimus, eo majorem ab eo gloriam accipiemus. » *(Adv. hær., l. 4, c. 13).*

Tertullianus: « Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum? » *(Adv. Scorp., c. 6).*

III. **Ex Ratione.** Æterna beatitudo est corona justitiæ, quam reddet unicuique Dominus justus judex. Sed justitia distributiva expostulat, ut, qui plus laboraverit, plus etiam mercedis accipiat; secus enim omne ad colendas virtutes incitamentum tolleretur.

2055. — Objicitur. Deus ipse est cujusque sancti præmium. Sed Deus non suscipit majus et minus. Ergo nec Sanctorum beatitudo.

Resp. *Dist. min.:* Deus non suscipit majus et minus, *objective,* quatenus est objectum beatitudinis, *concedo; subjective,* ratione possessionis ex parte Sanctorum, *nego.* « Quantum ad ipsum bonum quod est beatitudinis objectum et causa, *ait S. Th.,* non potest esse una beatitudo aliâ major, quia non est nisi unum summum bonum, scilicet Deus, cujus fruitione omnes sunt beati. Sed quantum ad adeptionem hujusmodi boni, vel fruitionem, potest aliquis alio esse beatior; quia quanto magis hoc bono fruitur, tanto beatior est. » *(1. 2, q. 5, a. 2).*

2056. — Scholium. *De perfecta Sanctorum satietate.*

Licet cujusque Beati felicitas ab alterius felicitate differat gradu, et alii sublimiorem, alii vero inferiorem in regno sedem occupent, omnes tamen perfecte satiabuntur, secundum illud (Ps. XVI, 15): *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ratio est, quia cujusque capacitas perfecte expletur. Capacitas enim Deum possidendi et amandi, eoque fruendi, desumitur non ex naturalibus naturæ principiis, sed ex lumine gloriæ, quod juxta gradum caritatis, cum qua quisque mortuus est, con-

ceditur. Cum igitur cujusque beatitudo correspondeat merito, perfecte expletur ejus capacitas, ac proinde nullus quid amplius desiderat.

Eadem de causa, qui minores sunt in gloria, sibi superioribus nullatenus invident, eo quod Deum perfectius videant, et ex ejus amore majus percipiant gaudium. Sed, quia omnes sunt in caritate consummati, quilibet de alterius gloria gaudebit. *(S. Alph., n. 10, 11, 22).*

§. 2. *De Intellectu Beatorum, seu de visione beatifica.*

2057. — Intellectus operatio est contemplatio veritatis. Perfecta igitur operatio, in qua intellectus totaliter quiescit, suamque beatitudinem invenit, est contemplatio seu visio intuitiva primæ veritatis in essendo, quæ est ipsa divina essentia.

Posse intellectum creatum divinam essentiam intuitive videre, non quidem virtute propria, sed ope luminis gloriæ, in tractatu *De Deo* jam probatum est. *(Cf. n. 448 et seq.)* — Unum superest inquirendum, videlicet: *an Beati de facto Deum intuitive videant.*

2058. — **Prop.** *Omnes Beati Deum facie ad faciem vident. De fide*, ex Constit. *Benedictus Deus*, Benedicti XII, in qua legimus: « Auctoritate apostolica definimus, quod secundum communem Dei ordinationem animæ Sanctorum omnium... vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali... divina essentia immediate se, nude, clare, et aperte eis ostendente; quodque sic videntes, eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione, eorum animæ qui jam decesserunt, sunt vere beatæ, et habent vitam et requiem æternam. » *(Denz., n. 456).* — Et ex Florentino, *n. 2054* citato.

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (Matth. V, 8). — *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* — (I Joan. III, 2): *Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* — (I Cor. XIII, 12): *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc*

cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum Quibus in verbis aperte manifestatur Beatos in cœlis ipsam Dei essentiam videre.

II. **Ex Traditione.** Scribit *S. Irenæus:* « Quemadmodum videntes lumen intra lumen sunt, et claritatem ejus percipiunt sic et qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes eju claritatem... Homines ergo videbunt Deum, ut vivant, pe visionem immortales facti, et pertingentes usque ad Deum. *(Adv. hær., l. IV, c. 20).* — *S. Augustinus:* « Sicut Ange faciem Patris vident, ita et nos visuri sumus... Præmium ita que fidei nobis visio ista servatur... Facies autem Dei ma nifestatio ejus intelligenda est. » *(De Civ. Dei., l. XXII, c. 29*

III. **Ex Ratione.** « Cujuslibet intellectualis creaturæ bea titudo, *ait S. Thomas,* consistit in sua perfectissima operation Illud autem quod est supremum in qualibet creatura ratio nali, est intellectus. Unde oportet quod beatitudo cujuslibe creaturæ rationalis in nobilissima visione intellectus consistat nobilitas autem intellectivæ visionis est ex nobilitate intellect Si ergo creatura rationalis in sua perfectissima visione no perveniret ad videndum divinam essentiam, beatitudo eju non esset ipse Deus, sed aliquid sub Deo; quod esse non po test: quia ultima perfectio cujuslibet rei est, quando pertingi ad suum principium. Ipse autem Deus omnes creaturas ratio nales immediate condidit, ut fides nostra tenet. Unde oporte secundum fidem, ut omnis creatura rationalis quæ ad beati tudinem pervenit, Deum per essentiam videat. » *(De Verit. q. 8, a. 1; cf. 1. 2, q. 3, a. 8).*

2059. — **Scholium.** *De objecto visionis beatificæ* [1].

Prænotanda. — 1. Objectum visionis beatificæ duplex enu meratur, nempe: *primarium* et *secundarium. Primarium* es quod ratione sui, et non ratione alterius videtur; *secunda rium,* quod alterius ratione videtur. — Objectum primarium est simul objectum materiale et formale visionis; seu, est i

[1] Cf. S. Alph., Diss. IX, n. 8 et seq.; Gotti, Tract. *De visione De* q. V. (T. II, p. 212).

quod videtur, et simul ratio videndi. Secundarium vero est objectum materiale tantum.

2. Objectum secundarium duplici modo videri potest in Deo, seu in Verbo, *formaliter* videlicet et *causaliter* [1]. Res dicuntur videri in Verbo *formaliter*, quum eas intellectus beatus eadem visione videt, qua Deum; ita ut una et eadem visione videat et Deum et res in Deo. — Dicuntur videri *causaliter* in Verbo, quando non videntur eadem visione ac divina essentia, sed diversa, causata tamen ex hoc quod videatur Deus: quia scilicet Verbum clare visum imprimit in intellectum Beatorum species quasdam ad aliqua cognoscenda, quæ in divina essentia formaliter non videntur. Quæ cognitio vocatur: *cognitio extra Verbum, revelatio, manifestatio.*

3. Quæ Beati in Verbo formaliter vident, ea vident omnia unico et invariabili actu, non autem successive [2]; unde quidquid nunc formaliter vident, ab initio suæ beatitudinis viderunt. Quæ vero cognoscunt in Verbo causaliter, seu per revelationem, ea successive tantum cognoscunt, prout scilicet Verbum novas in eorum intellectum species infundere dignatur.

Quibus notatis, dicendum est:

2060. — I. **Objectum primarium** ac principale visionis beatificæ, est ipsa divina essentia, cum omnibus attributis suis tam relativis quam absolutis, secundum illud (I Joan. III): *Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Sed cum divina essentia sit res simplicissima, quæ est Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, quæ est etiam formaliter bonitas, justitia, sapientia, misericordia, etc., hæc omnia a Beatis clare et intuitive videntur.

2061. — II. **Objecta secundaria** quæ a Beatis videntur, plura enumerantur. Nimirum:

1. *Omnia mysteria fidei*, quæ nunc credenda proponuntur. Cum enim visio beatifica sit fidei merces, ad omnia,

[1] Cf. Gotti, *loc. cit.*, dub. 3, n. 19 et seq.; S. Th., *De Verit.* q. 8, a. 5 c. et ad 2. — [2] S. Th., P. 1, q. 12, a. 10.

quæ fidei objectum constituunt, sese extendere debet, secundum illud (Ps. XLVII, 9): *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum;* id est, quæ hic audivimus per fidem, ea in civitate cœlesti clare videbimus. « Quid videbimus nisi Deum, *inquit S. August.*, et omnia illa quæ nunc non videmus credentes. » *(De Civ. Dei, l. 20, c. 21).*

Etsi Beati omnia fidei mysteria quoad substantiam in Verbo videant, non eorum tamen omnes loci vel temporis circumstantias vident, sicut constat de tempore ultimi judicii, (Marc. XIII, 32): *De die autem illa, vel hora, nemo scit, neque angeli in cœlo.*

2. *Creaturæ possibiles,* quas Beati in Verbo tanquam in earum causa tum efficiente tum exemplari contemplantur; causam enim qui cognoscit, ea etiam cognoscat necesse est, ad quæ virtus causæ sese extendit. Attamen, nullus Beatus omnia possibilia videt in Verbo, quia nullus divinam essentiam comprehendere valet, *(cf. n. 453);* sed quisque plura vel pauciora videt juxta gradum, quo Deum intuitive contemplatur.

Ratio autem cur *hæ* creaturæ possibiles potius videantur quam aliæ, est ipsa Dei voluntas, applicans et determinans divinam essentiam in ratione speciei ut *has* potius quam alias creaturas repræsentet.

3. *Totus universus,* prout includit tum partes suas principales, ut cœlum et elementa, tum omnia genera et omnes species rerum creatarum cum ipsarum proprietatibus. Ratio, quia, ut ait *S. Th., (P. 1, q. 12, a. 8, ad 4):* « Naturale desiderium rationalis creaturæ est ad sciendum omnia illa quæ pertinent ad perfectionem intellectus; et hæc sunt species et genera rerum et rationes earum, quæ in Deo videbit quilibet videns essentiam divinam. »

Ex dictis infertur, quemlibet Beatum in Verbo videre: *a)* omnes et singulos Angelos tam bonos quam malos; omnes enim ab invicem specie differunt; — *b)* omnia sidera cum eorum constitutione et motu; hæc enim ad universi integritatem pertinent, ejusque partes principaliores constituunt; — *c)* non autem omnia singularia, quia « cognoscere singularia

non est de perfectione intellectus creati, nec ad hoc ejus naturale desiderium tendit. » *(S. Th., loc. cit.)* Quilibet tamen, juxta luminis gloriæ proportionem, quædam singularia, tum præterita, tum præsentia, tum etiam futura, cognoscit.

4. Quilibet Beatus ea omnia cognoscit, quæ ad suum statum pertinent, secundum illud Concilii Senonensis: « Beatis pervium est divinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit, illucescit. » Ratio, quia cum beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, oportet omne rationabile desiderium compleri atque perfecte satiari. Sed quilibet Sanctus, quidquid ad suum statum pertinet, scire naturaliter desiderat. — Hæc in Verbo a Beatis partim formaliter, partim causaliter, cognoscuntur.

5. Cognoscunt Beati aliqua Dei decreta libera, non autem omnia. « In visione beata, *ait S. Th.*, Angeli cognoscunt mysteria gratiæ, non quidem omnia, neque æqualiter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis revelare. » *(P. 1, q. 57, a. 5).* Quod de Angelis, id etiam de hominibus beatis dicendum est. *(S. Alph., n. 19).*

6. Fide certum est Beatos in cœlis nostras audire orationes, quibus eos invocamus; cognoscunt etiam alias nostras actiones, quæ ad eos diriguntur, non vero quæ ad ipsos non spectant.

De modo autem, quo Sancti orationes nostras cognoscunt, disputant auctores. Probabilius est Sanctos eas cognoscere non in Verbo formaliter, sed extra Verbum, per revelationes scilicet, quibus orationes successive, prout fiunt, a Verbo ipsis manifestantur.

7. Aliorum Beatorum gloriam et cogitationes vident. « Cogitationes, *inquit S. August.*, quas modo non videt nisi Deus, omnes invicem videbunt in illa societate Sanctorum. » *(Serm. 243, c. 5).* — Peccatorum etiam conversionem, necnon dæmonum atque damnatorum pœnas vident.

8. Demum, notanda sunt quæ scribit *S. Thomas, (4. Sent., D. 49, q. 2, a. 5, ad 12):* « Nihil prohibet dicere, quod post diem judicii, quando gloria hominum et Angelorum erit penitus consummata, omnes Beati scient omnia quæ Deus scientia

visionis novit, ita tamen quod non omnes omnia videant in essentia divina; sed anima Christi ibi plene videbit omnia, sicut et nunc videt; alii autem ibi videbunt plura vel pauciora secundum gradum quo Deum cognoscent; et sic anima Christi de his quæ præ aliis videt in Verbo, omnes alias illuminabit: unde dicitur Apocal. XXI, quod claritas Dei illuminat civitatem Beatorum, et lucerna ejus est Agnus. »

§ 3. *De voluntate Beatorum.*

2062. — Voluntatis operatio est amor quo bono conjungitur, et gaudium quod inde provenit, si bonum actu possideatur. Perfecta igitur operatio, in qua voluntas totaliter quiescit et suam beatitudinem invenit, est amor consummatus, quo bono increato, id est ipsi Dei essentiæ, unitur, et gaudium, quod ex actuali illius boni possessione provenit.

2063. — **Prop.** *In Sanctorum beatitudine visionem beatificam subsequuntur amor et gaudium.*

De fide, ex Constit. *Benedictus Deus (cf. n. 2058).*

Prob. I. **Ex Script. S.** Legimus (1 Cor. XIII, 8): *Caritas nunquam excidit.* Ergo manebit in patria. — (Matth. XXV, 21): *Euge, serve bone et fidelis... intra in gaudium Domini tui.* — (Ps. XXXV, 9): *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

II. **Ex Traditione.** *S. Hieronym.* in verba Isaiæ, LXVI, 14: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum,* scribit: « Deum videre, vera lætitia est; Dei visio perfectum est gaudium. » — *S. August.:* « Hæc est sola vita æterna, gaudere ad te, de te, propter te; — beata vita est gaudium de veritate. » *(Conf., c. XXII et XXIII).*

Et in *Catech. Rom.* legimus: « Solida beatitudo, quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo sita est, ut Deum videamus, ejusque pulchritudine fruamur, qui est omnis bonitatis ac perfectionis fons et principium. » *(P. I, c. 13, n. 7).*

III. **Ex Ratione.** 1. Cum voluntas naturalem habeat propensionem ad bonum conveniens, quoties illud ei ab intellectu proponitur, ipsa in illud inclinatur, eique per amorem adhæret. Porro, per visionem beatificam voluntati proponitur divina essentia tanquam bonum perfectum, totam ejus capacitatem adæquate explens. Ergo Beatorum voluntas summo in Deum visum tendit amore, eique veluti summo bono perfecte possesso intime unitur.

2. « Delectatio, *ait S. Th.*, causatur ex hoc quod appetitus requiescit in bono adepto. Unde cum beatitudo nihil aliud sit quam adeptio summi boni, non potest esse beatitudo sine delectatione concomitante. » *(1. 2, q. 4, a. 1).*

2064. — Scholium. *De essentia beatitudinis.*

Docent omnes theologi, ad perfectam beatitudinem tria necessario requiri, videlicet, *visionem beatificam, amorem beatificum*, et *gaudium* (seu delectionem aut fruitionem). « Præmium essentiale hominis, *inquit S. Th.*, quod est ejus beatitudo, consistit in perfecta conjunctione animæ ad Deum, in quantum eo perfecte fruitur ut viso et amato perfecte. » *(Suppl., q. 96, a. 1).*

Si vero pressius inquiratur, in quanam scilicet ex hisce tribus animæ operationibus formaliter consistat essentia beatitudinis, non una est Doctorum sententia.

Thomistæ, cum *S. Thoma, (1. 2, q. 3, a. 4)*, docent, beatitudinis essentiam formaliter consistere in sola divinæ essentiæ visione; amorem vero et gaudium partes esse integrantes, quæ visionem necessario comitantur, ex eaque naturaliter fluunt.

Scotistæ beatitudinis essentiam in solo caritatis actu reponunt; visionem vero prærequiri dicunt tanquam dispositionem necessariam ad beatitudinem.

S. Bonaventura beatitudinem in visione simul et amore essentialiter sitam esse docet. — Alii demum eam in solo gaudio essentialiter consistere autumant.

« Ad me quod attinet, *inquit S. Alph.*, quæstionem hanc dirimere non audeo; dico tantum ad plenam beatitudinem

necessario requiri, ut Beatus Deum videat ipsumque amet. *(N. 7)*. Sed gaudium, quod Beati ex visione et amore Dei percipiunt, non videtur esse de essentia beatitudinis, sed consequentia potius seu essentialis proprietas visionis et amoris beatifici. » *(N. 26)*.

2065. — Quæritur I. *Utrum Beati ad amandum Deum necessitentur.*

Resp. « Dicunt nonnulli, *inquit S. Alph.*, Beatos ab amore Dei nunquam de facto cessaturos; eos tamen ad amandum non absolute necessitari. Atvero, S. Thomas cum Thomistis, et alii theologi communiter tenent, in patria actum amoris Beatorum erga Deum esse per se necessarium, etiam quantum ad exercitium; eorumque voluntatem ita trahi ad amandum Deum, ut ne momento quidem ab actuali Dei amore abstinere possint: siquidem coguntur felici ac dulci quadam ipsum continuo amandi necessitate, neque libertatem possident voluntatem suspendendi aut ad aliud objectum dirigendi.

« Nascitur hæc amabilis necessitas ex clara divinæ pulchritudinis visione; quocirca, sicut in cœlis nequeunt non videre semper actualiter Deum, ita nequeunt ipsum semper actualiter non amare. Enimvero, omnia in Deo contineri bona cognoscunt, et præter Deum nullum existere bonum desiderabile; ac proinde nihil aliud desiderare possunt, quod continuum sui erga dilectum Dominum amoris exercitium impediat. » *(N. 20)*.

2066. — Quæritur II. *Utrum et quomodo Beati sint impeccabiles.*

Resp. 1. Beatos esse impeccabiles, ex dictis de beatitudinis æternitate plane sequitur *(cf. n. 2053)*. Cum enim peccato, quippe quod sit aversio a Deo, beatitudo amitteretur, hæc autem sit ab intrinseco inamissibilis, liquido sequitur, Beatum nunquam peccare posse.

« Hic præceptum est, *inquit S. August.*, ut non peccemus; ibi præmium, non posse peccare. Hic præceptum est, ut desideriis carnis non obediamus; ibi præmium, ut desideria peccati non habeamus. » *(Cont. duas epist. Pelag., l. 3, c. 7)*.

2. Posito impeccabilitatis facto, disputant auctores, *utrum Beati sint impeccabiles ab intrinseco*, id est, a principio quodam ipsorum intellectui aut voluntati inhærente, quod ipsis talem firmitatem tribuat, ut amplius a bono deflectere nequeant; *an solum ab extrinseco*, id est, per auxilium quoddam eis a Deo exhibitum, quo ita præservantur, ut in malum amplius incidere nequeant.

Docet *Scotus*, Beatos esse impeccabiles *ab extrinseco;* verior tamen et communissima sententia docet, eos esse impeccabiles *ab intrinseco*.

3. Admissa opinione de intrinseca Beatorum impeccabilitate, denuo dissentiunt auctores de principio, seu de intrinseca hujus impeccabilitatis radice.

Secundum *Angelicum*, prima et principalis radix est ipsa visio divinæ essentiæ; quia videns Dei essentiam, omnia necessario ad Deum tanquam ad ultimum finem ordinat, nec ab eo bono deflectere potest, ut aliud quæreat, quod melius videatur: quibus peccandi possibilitas omnino excluditur. *(S. Alph., n. 21).*

« Beatitudo ultima, *ait S. Th.*, consistit in visione divinæ essentiæ, quæ est ipsa essentia bonitatis; et ita voluntas videntis Dei essentiam ex necessitate amat, quidquid amat, sub ordine ad Deum... et hoc ipsum est quod facit voluntatem rectam. Unde manifestum est quod beatitudo non potest esse sine recta voluntate. » *(1. 2, q. 4, a. 4).*

« Impossibile est, *inquit idem Angelicus*, quod aliquis a bono quo fruitur, velit discedere, nisi propter aliquod malum quod in fruitione illius boni æstimatur, saltem propter hoc quod æstimatur impedimentum majoris boni... Sed in fruitione illius visionis non potest esse aliquod malum, cum sit optimum ad quod creatura intellectualis pervenire potest; neque etiam potest esse quod ab eo qui illa fruitur visione æstimetur in ea esse aliquod malum, vel aliquid eo melius, cum visio illius summæ veritatis omnem falsam æstimationem excludat. Impossibile est igitur quod substantia intellectualis, quæ Deum videt, unquam illa visione carere velit. » *(Cont. Gent. III, c. 62; cf. Cont. Gent. IV, c. 92; De Verit., q. 24, a. 9).*

ARTICULUS II.

DE BEATORUM DOTIBUS ET AUREOLIS.

2067. — « Dos, *ait S. Th.*, est *perpetuus animæ et corporis ornatus, vitæ sufficiens, in æterna beatitudine jugiter perseverans.* » *(Suppl., q. 95, a. 1).* — Sicut inter homines, sponsæ quum sponso in matrimonium traditur, conferri solent quædam ad ornatum et vitæ sustentationem, quæ dotes vocantur; ita et Beatis, quando cœlum ingrediuntur et Christo tanquam cœlesti sponso perfecte uniuntur, conferuntur quædam in ornatum simul et vitæ æternæ sustentationem: quæ dotes vocantur.

Dotes sunt tum animæ, tum corporis.

Dicemus proinde: in § 1. de dotibus animæ; in 2. de dotibus corporis; in 3. de aureolis.

§ 1. *De Dotibus animæ* [1].

2068. — Dotes animæ vocantur *dona quædam supernaturalia, quæ animam exornant, eamque ad perfectam beatitudinem ordinant.*

Tres enumerantur, nimirum *visio, comprehensio* et *fruitio seu delectatio.* « Hæc tria habent Beati in Deo, *ait S. Th.*; quia vident ipsum, et videndo tenent sibi præsentem, in potestate habentes semper eum videre, et tenentes fruuntur, sicut ultimo fine desiderium implente. » *(P. 1, q. 12, a. 7, ad 1).*

« Tres dotes respondent tribus virtutibus theologicis; scilicet visio fidei; spei vero comprehensio,... caritati vero fruitio. » *(Suppl., q. 95, a. 5).*

2069. — Dotes animæ non sunt ipsa beatitudo, sed habitus seu dispositiones ad beatitudinem. « Dicendum est, *ait S. Th.*, quod beatitudo et dos etiam realiter differunt; ut beatitudo dicatur ipsa operatio perfecta, qua anima beata Deo conjungitur; sed dotes dicuntur habitus, vel dispositiones, vel quæcumque aliæ qualitates, quæ ordinantur ad hujusmodi perfectam operationem. » *(Suppl., q. 95, a. 2).* Et *in resp. ad 2*, addit: « Beatitudo... est ipsa conjunctio animæ cum Christo, quæ est per operationem, sed dotes sunt dona disponentia ad hujusmodi conjunctionem. »

Non sunt dotes habitus a lumine gloriæ et ab habitu caritatis distincti; verum sunt idem illi habitus, quatenus animam exornant, eamque ad operationes, in quibus consistit beatitudo, disponunt. « Dotes, *ait S. Th.*, sunt immediata principia illius operationis, in qua perfecta beatitudo consistit, per quam anima Deo conjungitur. » *(Q. 95, a. 5, ad 5).* Proinde:

a) Dos visionis est ipse luminis gloriæ habitus, quatenus intellectum disponens et clarificans ad Deum videndum. *(Q. 95, a. 2, ad 3).* — *b) Dos comprehensionis* est idem habitus lu-

[1] Cf. S. Th., *Suppl.*, q. 95; 4. *Sent.* D. 49, q. 4; Gotti, Tr. *De Beatit.*, q. II, dub. 8.

minis gloriæ quatenus removens omnia impedimenta, quibus prohibebatur mens Deo præsentialiter conjungi ac immediate uniri. *(Q. 95, a. 5, ad 3). — c) Dos fruitionis* est habitus caritatis, quatenus cum lumine gloriæ conjunctus, animam ad Deo fruendum disponit.

§ 2. *De Dotibus corporis* [1].

2070. — Dotes corporis vocantur *qualitates quædam supernaturales, ab anima glorificata in corpus dimanantes, quibus corpus animæ perfecte subjicitur, ac ejus beatitudinem suo modo participat.* — Quatuor enumerantur, videlicet: *impassibilitas, subtilitas, agilitas,* et *claritas.* Indicantur ab Apostolo, (I Cor. XV, 42-44): *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione;* in impassibilitate. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria;* in claritate. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute;* in agilitate. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale;* subtile.

2071. — I. **De Impassibilitate.** — Impassibilitas est *qualitas supernaturalis, dimanans ab anima beata, et inhærens corpori glorioso, excludens ab eo omnem passionem corruptivam.* (Polm.).

Virtute hujus qualitatis corpus a morte, a corruptibilitate, et a quacumque alteratione disconveniente immune erit, secundum illud (Apoc. XXI, 4): *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.*

Cujus impassibilitatis radix est perfecta corporis ad animam subjectio. Omnis enim passio corruptiva est ab agente removente corpus a dispositione perfectiva, quæ est ab anima tanquam corporis forma; sed in gloria: « corpus humanum, et quidquid in eo est, erit perfecte subjectum animæ rationali, sicut anima perfecte erit subjecta Deo. Et ideo in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra disposi-

[1] Cf. S. Alph., Diss. V, § 5; S. Th., *Suppl.*, q. 82-85; *Cont. Gent.* IV, c. 86; Gotti, *De Beatit.*, q. II, dub. 9.

tionem illam, qua perficitur ab anima; et ita corpora illa erunt impassibilia. » *(Suppl., q. 82, a. 1).*

Hæc tamen Sanctorum impassibilitas non excludit passionem *perfectivam*, qua sensus ad suas operationes perficiuntur; non enim otiosi erunt eorum sensus; at omnes, exceptis qui nutritioni et generationi inserviunt, plenissime semper erunt in actu; ita tamen ut nec visio beatifica sensuum operatione impediatur, nec operationes sensuum visione beatifica, nec unius sensus operatio, intensa alterius operatione. *(S. Alph., D. V, n. 32-35; S. Th., q. 82, a. 3, 4; Cont. Gent., IV, c. 86).*

2072. — II. **De Subtilitate.** — Subtilitas est corporis gloriosi qualitas, qua, ab omni terrena crassitie depuratum, animæ quoad operationem ita perfecte subditur, ut nulla alimenti somnive necessitate, aut mole corporis ab operatione retardari possit.

Seminatur corpus animale, inquit Apostolus, *resurget corpus spiritale.* (I Cor. XV, 44). In quæ verba scribit *S. Th.:* « Spirituale quidem corpus resurgentis erit, non quia sit spiritus, ut quidam male intellexerunt, sive per spiritum intelligatur spiritualis substantia, sive aer aut ventus: sed quia erit omnino subjectum spiritui. Sicut et nunc dicitur corpus animale, non quia sit animal, sed quia animalibus passionibus subjacet, et alimonia indiget. » *(Cont. Gent., IV, c. 86).* — Et *S. August.:* « Sicut spiritus carni serviens, *inquit*, non incongrue carnalis, ita caro spiritui serviens recte appellabitur spiritualis: non quia in spiritum convertetur... sed quia spiritui summa et mirabili obtemperandi facilitate subdetur, omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate et tarditate detracta. » *(De Civ. Dei, l. 13, c. 20).*

Subtilitas (seu spiritualitas) non excludit a corpore glorioso substantiam materialem et quantitatem dimensivam, sed animales indigentias et impedimenta ex eisdem provenientia. Proinde, corpus gloriosum, quantitatem cum retineat, debet esse in loco, *(Suppl., q. 83, a. 2 et 3)*; nec potest vi solius subtilitatis simul esse in eodem loco cum alio corpore glorioso aut non glorioso, vel corpus aliud compenetrare, *(q. 83, a. 4)*; est etiam naturaliter palpabile, tangibile et visibile, *(q. 83, a. 6)*.

« Corpus ergo gloriosum, *addit. S. Th.*, habet a natura sua qualitates quæ sunt natæ immutare tactum; sed tamen quia corpus est omnino subjectum spiritui, in potestate ejus est ut secundum eas immutet tactum, vel non immutet. Similiter etiam secundum naturam ei competit ut resistat cuilibet alteri corpori transeunti, ita quod non possit esse cum eo simul in eodem loco; sed miraculose hoc potest divina virtute contingere ad nutum ipsius, quod sit cum alio corpore in eodem loco; et sic non resistat ei transeunti. » *(Q. 83, a. 6)*. — Item « corpus glorificatum in potestate sua habet videri quando vult, et quando non vult, non videri. » *(P. 3, q. 54, a. 1, ad 2)*.

2073. — III. **De Agilitate.** — Agilitas est qualitas supernaturalis ex anima beata in corpus redundans, qua corpus quoad motum localem animæ perfecte subditur.

« Anima, *ait S. Th.*, conjungitur corpori non solum ut forma, sed etiam ut motor; et utroque modo oportet quod corpus gloriosum animæ glorificatæ sit summe subjectum. Unde sicut per dotem subtilitatis subjicitur ei totaliter, in quantum est forma corporis, dans *esse* specificum; ita per dotem agilitatis subjicitur ei in quantum est motor, ut scilicet sit expeditum et habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus et actionibus animæ. » *(Q. 84, a. 1)*.

Vi dotis agilitatis corpus gloriosum ad quemcumque motum animæ ad nutum obediet; et, ubi anima corpus adesse voluerit, ibi corpus citra lassitudinem aut laborem, mira celeritate brevissimoque temporis momento se transfert. » Certe, *inquit S. August.*, ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus. » *(De Civ. Dei, l. XIX, c. 27)*.

Hic tamen corporis de loco in locum transitus nonnisi motu continuo continget; neque corpus pluribus in locis simul adesse poterit.

Non tollet agilitas a corporibus beatis pondus et gravitatem, quæ corporis mixti et terreni propria sunt; sed præstabit ut anima pro libitu illorum usum aut actum impedire possit, ne motui celerrimo obstent.

2074. — IV. **De Claritate.** — Claritas est qualitas supernaturalis ab anima beata in corpus gloriosum dimanans, illudque luminosum et lucidum reddens.

« Sicut anima divina fruitione fruens, *inquit S. Th.*, quadam spirituali claritate replebitur, ita, per quamdam redundantiam ex anima in corpus, ipsum corpus suo modo claritatis gloria induetur, unde dicit Apostolus (I Cor. XV, 43): *Seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria.* » *(Cont. Gent., IV, c. 86).*

De dote claritatis legimus (Matth. XIII, 43): *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* — (Philipp. III, 21): *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* — Cujus claritatis exemplar monstratum est Apostolis in monte Thabor, quando Christus *transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* (Matth. XVII, 2).

Hujusce dotis virtute Beatorum corpora tantam venustatem atque splendorem possidebunt, ut in eorum comparatione quælibet terrena pulchritudo nihili reputetur.

2075. — Circa Beatorum corporum claritatem plura notat S. Thomas; nimirum:

a) Claritas erit, non solum in ipsa corporis superficie, sed totum penetrabit corpus, ita ut, crystalli instar, totum sit translucidum, pervium et clarum, absque densitatis tamen præjudicio. *(Q. 85, a. 1, ad 2).*

b) Naturalis corporis color, qui ei debetur ex partium suarum natura, claritate non auferetur, sed gloria quadam vestietur et augebitur. *(Loc. cit., ad 3).*

c) Gloria corporum in omnibus Sanctis æqualis non erit, sed diversa pro meritorum diversitate, secundum illud Apostoli, (I Cor. XV, 41): *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum; stella enim differt a stella in claritate: sic et resurrectio mortuorum. (Loc. cit., C.).*

d) Diversæ corporis partes diversam possidebunt claritatem; major erit claritas capitis et membrorum, quæ pro Christo passa sunt, quam aliorum membrorum. *(Loc. cit., ad 4).*

e) Claritas corporis beati oculo tam glorioso quam non glorioso naturaliter videri potest, *(q. 85, a. 2)*, et eam reprobi in ultimo judicio videbunt. Attamen, propter perfectam corporis ad animam subjectionem, Beati in sua potestate habebunt cum claritate aut absque ea videri; quocirca possunt in suo naturali colore absque ulla claritate cerni, sicuti, v. gr., Christus post resurrectionem suam discipulis apparuit. *(Q. 85, a. 3; P. 3, q. 54, a. 3, ad 1).*

§ 3. *De Aureolis* [1].

2076. — Præter gaudium essentiale, quod omnes Sancti ex clara Dei visione percipiunt; præter animæ corporisque dotes, quibus omnes electi communiter exornantur, conceditur quibusdam Beatis præmium seu gaudium quoddam accidentale, ob insignem scilicet victoriam, quam in hac vita retulerunt. Si enim præmium essentiale, *corona aurea* nuncupatum, omnibus elargitur, qui legitime certaverint (II Tim. II, 5), decet eos, qui insignem reportaverint victoriam, speciali etiam remunerari præmio, quod *aureola* vocatur.

2077. — Definitur aureola: *Gaudium seu præmium accidentale, præmio seu gaudio essentiali superadditum ob excellentem victoriam.*

Aureola, cum sit gaudium, principaliter residet in anima. « Aureola, *ait S. Th.*, proprie est in mente: est enim gaudium de operibus illis, quibus aureola debetur. Sed sicut ex gaudio essentialis præmii, quod est aurea, redundat quidam decor in corpore, qui est gloria corporis, ita ex gaudio aureolæ resultat aliquis decor in corpore; ut sic aureola principaliter sit in mente, sed per quamdam etiam redundantiam refulgeat in corpore. » *(Suppl., q. 96, a. 10).*

Quis autem sit ille decor in corpore, ignotum est. Dicunt plures, illum in splendore quodam consistere, qui ad instar coronæ caput Beati circumdabit.

2078. — Tres enumerantur aureolæ, nempe: *Virginum*, *Martyrum*, atque *Doctorum*, quæ tribus respondent insignibus victoriis in tres præcipuos hostes, carnem scilicet, mundum, et diabolum, contra quos cuilibet pugnandum est. « Aureola, *ait S. Th.*, est quoddam privilegiatum præmium privilegiatæ victoriæ respondens; et ideo secundum privilegiatas victorias in tribus pugnis, quæ cuilibet homini imminent, tres aureolæ sumuntur. In pugna enim quæ est contra carnem, ille potis-

[1] Cf. S. Th., *Suppl.*, q. 96; S. Alph., Diss. IX, n. 29.

simam victoriam obtinet qui a delectationibus venereis, quæ sunt præcipua in hoc genere, omnino abstinet, cujusmodi est virgo; et ideo virginitati aureola debetur. In pugna vero qua contra mundum pugnatur, illa est præcipua victoria, cum a mundo persecutionem usque ad mortem sustinemus; unde et martyribus, qui in ista pugna victoriam obtinent, secunda aureola debetur. In pugna vero qua contra diabolum pugnatur, illa est præcipua victoria cum aliquis hostem non solum a se, sed etiam a cordibus aliorum removet; quod fit per doctrinam et prædicationem; et ideo doctoribus et prædicatoribus tertia aureola debetur. » *(Q. 96, a. 11).*

2079. — Tribus hisce aureolis modo excellentiori quam alii Sancti condecoratur B. V. Maria, quæ, sicut ait *S. Alphonsus (Glor. Mar., Disc. 8, P. 2)*, « utpote plene omnem gratiam possidens, virtutum sublimitate omnes Sanctos superavit: fuit Apostolorum Apostola; Regina fuit martyrum, quia majora præ aliis omnibus passa est, *(cf. n. 1082)*; fuit antesignana Virginum », quia sine præcepto, consilio, exemplo, munus virginitatis Deo obtulit, et omnes virgines per sui imitationem in virginitate genuit. *(Cf. n. 1069, 4).*

2080. — Ex modo dictis patet, quam gloriosum sit regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, *sicut canit Ecclesia;* quanta eos munificentia Deus remuneret, qui his in terris ex toto corde eum dilexerint; et quantis eos adaugeat coronis, qui in finem usque fideliter certaverint, ac pro ejus gloria, tanquam servi boni et fideles, laboraverint!

Concedat Deus, per merita Christi, Capitis Nostri, et per intercessionem Matris nostræ, gloriosæ V. Mariæ, ut nos omnes, quos Paterfamilias ad Redemptionis applicationem coadjutores et ministros assumpsit, cœlicolis adnumeremur, et revelata facie gloriam Domini aliquando speculantes, in eamdem imaginem transformemur a claritate in claritatem. (II Cor. III, 18).

EXPLICIT TRACTATUS DE NOVISSIMIS.

INDEX I.

RERUM NOTABILIUM

ORDINE ALPHABETICO CONGESTUS

(Numerus arabicus numerum operis indicat.)

A

Absolutio: in pœnitentia, quibus verbis datur, 1753, 1754; an valeat data scriptis, 1755; an valeat forma deprecatoria, 1756. Cf. **Pœnitentia.**

Abstinentia, pars temperantiæ, 1419, 1.

Acceptio personarum nulla apud Deum propter inæqualem gratiarum distributionem, 1190.

Accidens: natura; distinctum a substantia, 1633. — *In Deo* nullum accidens ab essentia realiter distinctum, 419. — Accidentia *in SS. Eucharistia,* 1628 ss.; remanent objective, 1630; sine subjecto, 1632, 1643; agere et pati possunt sicut ante consecrationem, 1634; quomodo ex eis aliquid possit generari, 1635.

Acolythatus: def. 1856, 4; materia et forma, 1870, 4; non est sacramentum, 1867.

Actio: theandrica, 894; *actiones Christi* in vita mortali, quomodo attingunt omnia loca et tempora, 931, V. — *Actio hierarchica* in Angelis, 716.

Actus et potentia, 403; actus purus, *id.;* actus notionalis et essentialis 572; actuum notionalium existentia, 573; eorum principia, 574; proprietates, 575. — *Actus fidei,* quid, 1146; ad eum ponendum requiritur gratia, 1148.

Actus meritorius qualis esse debeat, 1268, 1270, *b*; ad actum salutarem semper requiritur gratia, 1158; non autem ad quemlibet actum naturaliter bonum, 1152, 1153.

Adamus, immediate a Deo creatus, 770; protoparens totius generis humani, 772; in statu justitiæ creatus, 786, 787; ejus scientia, 790, 791; caput physicum et morale quoad conservationem justitiæ, 809, 822; ejus peccatum, 804; quotuplex peccatum, 805; veniam consecutus est, 806. Eva peccante, si Adamus non peccasset, non fuisset peccatum originale, 823, III;

Adamo non peccante, Christus incarnatus non fuisset, 865. — Cf. **peccatum originale, homo.**

Administratio sacramentor. quibus concredita 1459; non est nota veræ Ecclesiæ, 291, 296.

Adoratio, 987, cf. **cultus.**

Adoptio, quid, 958, III; 1247, II; adoptio hominis in filium Dei per gratiam 1247, 1248; differentia inter adoptionem divinam et humanam, 1248.

Æternitas: def., 443; perfecte intelligi nequit, 445, II; Deo propria, 445, I; Deus æternus, prob., 444; — res præsentes Deo ab æterno, 445, IV. — *Æternitas beatitudinis,* 2053; ab intrinseco, 2053 bis; — inferni, 2029, cf. **infernum.**

Affabilitas, pars justitiæ, 1405.

Affectio, quid, 497; affectiones, quænam in Deo, 498.

Aggias: prophetia de Messia, 122.

Alcoranus, 148.

ALPHONSUS S. Systema de modo operandi gratiæ, 1192; 1214 ss. Brevis expositio systematis, 1214.

GRATIA EFFICAX: def., 1215; munera: elevare, corroborare, movere facultatem, 1216; ad opera difficiliora est necessaria, 1217; movet moraliter, non physice, 1218; plerumque per delectationem, non tamen unice, 1219; est efficienter a solo Deo, 1220, I; non expostulat scientiam mediam *id.,* II; attemperatur hominis ingenio, dispositionibus, *id.,* III; habet infallibilem connexionem causalitatis cum effectu, *id.,* IV; salvat libertatem, 1221; imo eam perficit, 1222, I; quonam sensu dependet a libero arbitrio, *id.,* II.

GRATIA SUFFICIENS: def., 1223; munera: elevare, roborare, movere potentiam, et suppeditare medium ad efficacem obtinendam, 1224; proxime sufficit ad opera quædam faciliora, et ad ulteriora auxilia impetrandum, 1225; est via ad efficacem, 1226. Cf. **oratio.** — Commendatio systematis, 1229.

Amicitia: def., 1246; 1364, II; conditiones ad eam requisitæ, 1364, II; non datur in homine ad seipsum, 1371, III; amicitia inter Deum et hominem per caritatem, 1364.

Amor: def., 1358; *divisio:* amor complacentiæ, etc. 1359, 1360; amor appretiative, intensive summus, 1365; amor proximi propter se, non est caritas, 1371, II; cf. **caritas.** — Amor *initialis* requisitus ad justificationem in attritione, 1259, III; 1767.

Amor, in Deo formaliter, 499, I; amor essentialis, notionalis, personalis, 592; amor, nomen Spiritus Sancti, 592. — *Amor,* causa institutionis Eucharistiæ, 1584; 1595, 2; manifestatur in Incarnatione, 851, II; in passione, 1006, I.

Amor Virg. Mariæ erga homines 1095. *Amor in Beatis,* 2063; an sit de essentia beatitudinis, 2064.

ANGELI. Existentia, 670; numerus, 671; quando creati, 672; ubi creati, 673. — *Natura,* 674; sunt incorporei, 675; formæ subsistentes, 676, I; immortales ex

natura, *id.*, II; non plures in eadem specie, *id.*, III; quomodo in loco, 676, III; 677. — *Habent intellectum,* 678; in quonam medio cognoscunt, 679 ss.; quid cognoscunt, 683 ss.; quonam modo, 691 ss. — *Habent voluntatem,* 696; libertatem, 697; quomodo adhærent objecto semel electo, 698. — Cf. **hierarchia, et chorus.**

Angeli *indiguerunt gratia,* 700; acceperunt gr. sanctificantem, 701; alii meruerunt beatitudinem post primum actum, 702, 703; alii lapsi sunt, 704 ss.

Angelus *peccare potuit,* 704; aliqui peccaverunt, 705; peccato superbiæ, 706, 708; quomodo peccatum possibile in Angelis, 709; pœna peccati Angelorum, 710.

Eorum actio: *in se invicem,* cf. **illuminatio** et **locutio;** — *in creaturam corporalem:* nutu voluntatis non possunt transformare corpora, 736, sed movere localiter, 737; nec facere miracula proprie dicta, 738; — *in hominem:* agunt in intellectum, et quomodo, 740; in voluntatem, 741; in imaginationem, 742; in sensus externos, 743. — *Habent* administrationem rerum corporalium, 735; an omnes mittantur in ministerium, 724.

Angeli Boni sunt de corpore mystico, 970; quem influxum accipiunt a Christo, 971, 3; possunt esse ministri extraordinarii sacramentorum, 1457; eorum ministerium quoad resurrectionem corporum, 2002, 5; congregabunt homines in judicium, 2004; erunt comites Christi in judicio, 2014; tamen non judicabunt cum eo, 2015; nec judicabuntur, 2019. — Cf. **Custos.**

Anima Ecclesiæ: quid, 203; quinam pertinent ad eam, 207.

Anima humana: creatur immediate a Deo, sed in corpore, 821; animæ in purgatorio juvantur suffragiis, 1974; an orent pro vivis, 1976; an possint invocari, *id.*; plene purgatæ statim in cœlum admittuntur, 1957.

Animalia, non erunt in mundo innovato, 2025, 5.

Annihilatio: quid, 642, 1607, I; nihil annihilatur a Deo, 834; an damnati appetant annihilationem, 2049.

Antichristus: homo singularis, 1979; ejus descriptio, 1980; nativitas, 1981, 1; patria, *id.*, 2; educatio, *id.*, 3; notæ, 1982; ingenium, *id.*, 1; mores, *id.*, 2; religio, *id.*, 3; præstigia, 1983, 1; conatus contra Christum, *id.*, 2; signum, *id.*, 3; regnum, *id.*, 4; persecutio, *id.*, 5; exitus, 1984.

Apertio januæ cœli: effectus passionis, 1031, 5; Baptismi, 1550.

Apostasia a fide, signum finis mundi, 1988.

Apostoli: quomodo omnes vocantur fundamentum Ecclesiæ, 191; eorum potestas subordinata Petro, 192; eorum potestas ordinaria, et extraordinaria, 192, 334, 4.

Apostolicitas: def., 279; nota Ecclesiæ, 293; ejus existentia, 280; apost. originis, fidei, successionis, 281, 286; Ecclesia apostolica, prob. 286; discrimen inter

apostolicitatem primatus et episcopatus, 283.
Appellatio ab abusu, 317. Appellatio de S. Pontificis sententia ad concilium nunquam licita, 343, II.
Appetitus inferior: quomodo subjectum virtutis, 1294. — Quomodo fuerit in Christo, 898, 901; — quomodo subjectus rationi in statu innocentiæ, 781, 792; — quomodo vulneratus, 826, 827.
Appropriatio: quid, 634; probatur, 635; diversæ appropriationes, 636.
Aqua: materia Baptismi, 1516; vino miscenda in Missa, 1656; an et quomodo convertatur in sanguinem Christi, 1657.
Archangeli: quid, 723, 2; an sint Angeli custodes, 751.
Ars magica: quid, 765; non videtur admittenda, 766.
Artes liberales: Ecclesia jus habet instituta pro eis erigendi, 221.
Articulus fidei, quid, 28; articuli fundamentales et non fundamentales ad sensum Jurieu, 268, 2.
Ascensio Christi in cœlos, 1039.
Aseitas: essentia Dei metaphysica, 407 ss.
Assensus: qualis præstandus Ecclesiæ quando judicat de rebus naturalibus connexis cum dogmate, 255; *assensus fidei* rationi consentaneus, 1340; **cf. fides.**
Assessores Christi in judicio, 2015.
Assistentia Spiritus Sancti pro infallibilitate, 248, 2; pro inspiratione, 366, II; 367.
Assumptio in Incarnatione, quid; quomodo differt ab unione, 870; quæ partes humanitatis assumptæ immediate a Verbo, 887. — *Assumptio corporea* B. Virginis, prob. 1084; quandonam facta, 1085.
Athei: quid, 394; quomodo infirmare conantur consensum generis humani de existentia Dei, 402.
Attemperatio gratiæ cum hominis ingenio, etc., 1211; 1220, III.
Attributum: quid, 409. — *Attributa Dei*, quomodo dividuntur, 410; quomodo ab essentia et a se invicem distincta, 414 ss.; nullum opponitur alteri, 416, II; attributa Dei omnia sunt infinita, 433; manifestantur in Incarnatione, 851; absoluta sunt tribus personis communia, 548, II.
Attritio: cf. **Contritio.**
Auctoritas: Dei revelantis, motivum fidei, 1322; Ecclesiæ proponentis, an sit partiale motivum fidei, 1324; auctoritas Ecclesiæ qua regula credendi, 18 auct. Patrum, 21; theologorum, 23; rationis, 24; philosophiæ, 25; historiæ, 26.
Augmentum caritatis, quomodo contingit, 1378; quibus actibus, 1378; qua proportione, 1380.
Aureola: quid, 2076 ss.; quotuplex, 2078; aureolæ B. V. Mariæ, 1089, 2079.
Authenticitas: quid, 96, 3; Pentateuchi, 98; aliorum librorum Vet. Test., 102; Novi Test., 104. — Authenticitas S. Scripturæ nequit probari absque traditione, 381, V.
Auxilium commune, speciale, 1135; quo et sine quo, 1206.

B

Balsamum: an miscendum oleo in Confirmatione, 1561.

BAPTISMUS: nominis significatio, 1507; def., 1508; nomina, 1509; figuræ, 1510. — Bapt. *fluminis, flaminis, sanguinis,* 1511, 1526, 1527; cf. **martyrium.** — *Materia* remota, 1516; proxima, 1517 ss. — *Forma,* 1519, 1520; *in nomine Christi,* 1521; vis formæ ad probandam Spiritus S. divinitatem, 546. — *Tempus* institutionis, 1513; discrimen cum baptismo Joannis, 1514.

Ejus unitas, 1522 ss.; necessitas, 1524 ss.; minister, 1530 ss.; de tempore illum conferendi, 1533; subjectum, 1538 ss.; effectus, 1541. — *Bapt.* distinctus a Pœnitentia, 1744; *Bapt. Christi* quomodo probat SS. Trinitatem, 544, I.

Beati: An orent pro defunctis, 1975; habent habitum pœnitentiæ, 1735, VI; non autem spei, 1353, IV. Cf. **Beatitudo.**

Beatificatio: def. 262; an Ecclesia infallibilis in beatificatione, *id.*

BEATITUDO: def., 2050; divisio, 2051; intensiva, extensiva, 1086; statim confertur ac anima est plene purgata, 1957; essentia ejus, 452, III; 2064; sancti perfecte beati, prob. 2052; est æterna, 2053, et quidem ab intrinseco, 2053 bis; inæqualis, 2054 ss.; omnes sancti perfecte satiati, 2056; intellectus Beatorum, 2057; cf. **visio;** objectum quod vident, 2060 ss.; voluntas, 2062 ss.; dotes, 2067, cf. **dos.**—Beatitudo *naturalis* Angelorum, 699.

Bona temporalia: quomodo effectus: prædestinationis 530, 7; sacrificii Missæ, 1712, 1719, 1720; sacramentalium, 1505, 5. — An cadant sub merito, 1286; an Christus ea nobis meruit, 1031, 6.

Bona temporalia, possunt possideri ab Ecclesia, 358 ss.; bona Ecclesiæ sunt res sacræ, 360, I; non subjacent taxis legalibus, *id.,* III.

Bonitas: absoluta, relativa, moralis, 429; Deus absolute bonus, prob. 430. — Appropriatur Spiritui S., 636, 3.

Brachium sæculare tenetur Ecclesiæ auxilium exhibere, 357, III; quandonam 355.

C

Cælibatus ecclesiasticus: quid, 1887; est in Ecclesia antiquissimus, 1889; convenientissimus, 1891; juri non adversatur, 1890. — Cf. **Virginitas.**

Canon Scripturarum, 372 ss.

Canones Conc. Tridentini de gratia et justificatione, 1123.

Canonizatio Sanctorum: def.; objectum infallibilitatis, 261.

CARITAS: def., 1362; est virtus specie una, 1371; distincta a gratia quoad habitum, 1235; donum creatum, 1363; amicitia hominis ad Deum, 1364; est amor appretiative summus, 1365.

Objectum: formale, 1366; materiale, 1369 ss. — *Proprietates:* virtus excellentissima, forma

aliarum, etc., 1372 ss. — *Augeri potest,* 1375; quomodo, 1378; quibus actibus, 1379; qua proportione, 1380. — Quomodo *necessaria* ad justificationem, 1259, III; initium caritatis in attritione, quid, 1767. — Nequit esse sine aliis virtutibus infusis, 1301, 1302.

Caritas Dei in Incarnatione, 858, NB. — *Caritas* mutua in Ecclesia, 270, II.

Caro: carnis resurrectio, cf. **resurrectio.**

Castitas: pars temperantiæ, 1419, 3.

Casuum reservatio, licita, 1804.

Catechumeni: non sunt de corpore Ecclesiæ, 208, 1; possunt esse de anima, 207.

Catharinus: opinio de natura peccati originalis, 818; de intentione ministri sacramentorum, 1465.

Catholicitas: def. 275; materialis, formalis, etc. 276; prob. Ecclesiæ catholicitas, 278; est nota veræ Eccl., 293; Ecclesia Rom. est catholica, prob. 300.

Causa: physica, moralis, 930; causa efficiens physica, moralis, principalis, instrumentalis, 1481. — Efficiens primaria est Deus, 397.

Causæ matrimoniales, quid, 1939; subduntur Ecclesiæ, 1945; quomodo potestati civili, 1946.

Causæ ecclesiasticæ omnes deferri possunt ad S. Pontificem, 323, II.

Causalitas Sacramentorum, 1475; ex opere operato, 1478; utrum physica, an moralis, 1482 ss.

Causaliter videre in Verbo divino, quid, 2059.

Cautio, pars prudentiæ, 1394, 8.

Censura theologica, quid, 30; doctrinalis, judicialis, *id.;* quæ sunt, 33.

Cephas, cui restitit Paulus, 193, 2.

Certitudo, in actu fidei, qualis, 1335, 5; in actu spei, 1356, 5.

Character *sacramentalis:* quid, 1494; ejus natura, 1496 ss.; effectus, 1500; subjectum, 1501; dotes, 1502; a tribus sacramentis collatus, 1495; character proprius cujuslibet sacramenti, 1499; char. ordinis, 1885. In lege Vet. nullus imprimebatur, 1480. — *Character Antichristi,* 1983, 3.

Charismata Spiritus S. semper in Ecclesia, 274; charismata omnia in V. Maria, 1042, I.

Cherubim: chorus angelicus, 721, 2.

Chorus angelicus, quid, 718; quot, 719; eorum nomina, 720 ss.

Chrisma: materia Confirmationis, 1560; an debeat esse benedictum ab episcopo, 1562.

CHRISTUS: verus Messias, 119 ss.; verus Deus, 879 ss.; Patri consubstantialis, 545; homo verus, 876 ss.; perfectus, 886, 873; habuit veram animam, 885; verum corpus, 883; ex substantia Virginis formatum, 884.

In Christo una est persona, 872 ss.; duplex natura, 876 ss.; duæ voluntates et operationes, 892, 893, 896, 897; nulla contrarietas voluntatum, 902; liberum arbitrium, 904; quomodo libertas Christi conciliari possit cum præcepto moriendi, 1017.

Est Filius Dei naturalis, non adoptivus, 957; fuit prædestinatus,

959; causa nostræ prædestinationis, 960.

Gratia Christi triplex, 908; *gratia unionis,* 909; Christus sanctus sanctitate substantiali, 910; *gratia habitualis,* 911; ad quid necessaria in eo, 912; an infinita, 913; an plenitudo gratiæ, 914; an in eo fuit gratia actualis, 915; *gratia capitalis,* 973.

Scientia Cristi: divina, 921; creata, 922; beata, 923 ss.; per se infusa, 925 ss.; experimentalis, 927 ss.

Virtutes infusæ in Christo, 916 ss.; dona Spiritus Sancti, 918; gratiæ gratis datæ, 920.

Potentia: humanitas Christi instrumentum Verbi, 929; quid potest, 929, 931; quomodo producat gratiam et miracula, 930.

Defectus corporis: quomodo in Christo, 933 ss.; defectus animæ, 936. — Christus viator et comprehensor, 937; prorsus impeccabilis, 936.

Christus: quomodo *subjectus* Patri, 937; quibus legibus subjectus, 941; an servus Dei, 940. — *Orans* in terris, 942; in cœlis, 943. — *Sacerdos,* 944 ss.; excellentia ejus sacerdotii, 948 ss.; obtulit verum sacrificium in cruce, 946; in ultima cœna, 1694, 1703; quonam modo seipsum immolavit in Cruce, 947; est principalis offerens in sacrificio Missæ, 1705.

Christus *Rex,* 123, 209, 975 ss.; rex Ecclesiæ, 976; habet potestatem legislativam, 977; judiciariam, 978 ss.; rex temporalis omnium, 980 ss. — *Caput Ecclesiæ,* 198, 965 ss., cf. **corpus mysticum.** — *Mediator,* 961 ss. — *Judex,* 978; in judicio particulari, 1960 ss.; in judicio universali, 2011 ss.

Christus *patiens:* quomodo substitutus hominibus in ordine ad satisfaciendum, 963. — De valore operum Christi meritorio et satisfactorio, 1026; pro omnibus mortuus est, 1033, 1034; cum speciali affectione erga aliquos, 1035. Cf. **Passio.**

Christus *resurgens,* 1038; ascendens in cœlos, 1039; ejus sessio ad dexteram Patris, 1040.

Christus immediate *fundavit Ecclesiam,* 163; immediate instituit sacramenta, 1451 ss.; non habuit Angelum custodem, 745; non habitum pœnitentiæ, 1735; est causa efficiens resurrectionis, 2002, 2; in eo omnia possidemus, 964, II.

Christus realiter *præsens in Eucharistia,* 1587, cf. **Eucharistia, Missa, præsentia realis.** An seipsum manducavit in ultima cœna, 1668.

Circulus vitiosus nullus adest, quando Ecclesia per Scripturam, et Scripturæ divinitas per Ecclesiam probantur, 155.

Circumcisio: quomodo conferebat gratiam, 1480.

Circuminsessio, quid, 548, III.

Circumscriptive esse in loco, 435.

Circumspectio, pars prudentiæ, 1394, 7.

Claritas: dos corporis beati, 2074 ss.

Claves: designant potestatem, 186; speciatim potestatem remittendi

peccata, 1740. — Data est Ecclesiæ, 1741; extenditur ad omnia peccata, 1742; exercetur actu judiciali, 1743; ejus exercitium est sacr. Pœnitentiæ, 1744.

Clementia: pars temperantiæ, 1420 3. — *Clementia* B. V. Mariæ erga homines, 1105 ss.

Clerici: divinitus distincti a laicis, 180.

Cognitio: quid ad eam requiritur, 455; matutina, vespertina, 695; cogn. angelica intuitiva, non discursiva, 693.

Cogitatio: Verbum div. non debet dici cogitatio Patris, 582. — *Cogitationes secretæ* non cognoscuntur ab Angelis, 689. — *Cogitatio præsentiæ Dei*, incitamentum ad virtutem, 387, 438.

Commotio virtutum cœlorum, in fine sæculi, quid, 1995.

Communicatio idiomatum, 904; cf. **idioma.** — *Communicatio libera* S. Pontificis cum omnibus fidelibus, 323, I; 233, 2.

Communio: quomodo necessaria, 1662 ss.; sub utraque specie, 1665; an Christus acceperit communionem in ultima cœna, 1668. — Communio *indigna*, 1669; ejus gravitas, 1670 ss.; ejus effectus, 1673.

Communio Sanctorum: 1001, 1796, II, 1978; fundata in unitate corporis mystici, 965.

Compenetratio partium non adest in Christo in Eucharistia, 1622, II.

Compositio: quid et quotuplex, 417; physica, nulla in Deo, 419; nec metaphysica, 420; nec logica, 422.

Comprehensio Dei impossibilis, 453. — *Comprehensio,* dos animæ beatæ, 2068; est ipse habitus luminis gloriæ, 2069.

Conatus naturales, non sunt dispositio ad gratiam, 1180, I.

Conceptio immaculata B. V. Mariæ, 1072 ss.

Concilium: def., 338; œcumenicum, generale, 19; requisita ad ejus legitimitatem, 339; est infallibile, 340; utile, sed non absolute necessarium, 331, III; Papa est eo superior, 341 ss. — An auctoritas Concilii una cum Papa sit major auctoritate solius Papæ, 344. — *Concilium,* qua locus theologicus, 19.

Conclusio theologica, late vel proprie, quid, 29; an sit objectum fidei, 1330 ss.

Concordia: inter Ecclesiam et Statum qualis esse debeat, 349; libertatis cum motione gratiæ, mysterium, 1192, 1221; in systemate S. Alphonsi salvatur, 1221.

Concupiscentia: in actu primo, in actu secundo, 792; ea caruit Adamus, 792; non est formaliter peccatum originale, 816; sed quasi pars materialis, 820; non fuit in V. Maria, 1077, 3, 4. Cf. **fomes.**

Concursus *divinus:* quid et quotuplex, 835; concursus mediatus admittendus, 836; item, simultaneus, 838; quomodo conciliatur divina cooperatio cum operatione creaturæ, 839.

Diversæ opiniones quoad concursum ad actiones liberas, 840; admittendus est concursus qui-

dam prævius, 841; non tamen prædeterminatio physica, 842; sed præmotio ad bonum in genere, sub qua homo sese determinat ad bona particularia, 843.
Concursus B. V. Mariæ ad opus Redemptionis, 1097 ss.
CONFESSIO: def., 1777; necessitas, 1778; mortalia omnia et singula accusanda, 1779; 1749; quid de venialibus, 1749, nullus potest a confessione dispensari, 1780; confessio auricularis, 1781; conditiones conf., 1782. — Est materia proxima Sacr. Pœnitentiæ, 1751; et quidem essentialis, 1752.
CONFIRMATIO *qua Sacramentum:* def., 1555; nomina, 1556; errores, 1557; est verum Sacr., 1558. — *Materia* remota, 1560 ss.; proxima, 1563 ss.; forma, 1566. — *Minister,* 1567; *ordinarius,* episcopus, 1568; *extraordinarius,* 1569; quomodo ampliatur sacerdotis potestas ad confirmandum, 1570. — *Subjectum,* 1571 ss.; necessitas, 1573; effectus, 1574 ss.; — Differentia inter confirmatum et simpliciter baptizatum, 1578.
Confirmatio in gratia, quid, 1177.
Conflagratio mundi, 1996.
Congruitas gratiæ, extrinseca, 1211; intrinseca, 1220, III.
Connexio virtutum, 1300 ss.
Consensus fidelium, quale criterium veritatis revelatæ, 18; consensus S. Patrum, 21; theologorum, 22; philosophorum, 25. — *Consensus gentium* de existentia Dei, 401; quomodo negatur ab atheis, 402.
Conservatio rerum, def., 831; quotuplex, *id.;* res indigent conservari a Deo, 832; an omnia immediate a Deo conserventur, 833. — Appropriatur Spiritui S., 636, II.
Consideratio creaturarum, quænam utilitas in ea, 638.
Consilium, donum Spiritus S., 1426.
Constantia, pars fortitudinis, 1414.
Consubstantialitas divinarum personarum, 547; Verbi, 545; Spiritus S., 546.
Consubstantiatio, error Lutheri, 1586, 1606.
Continentia, pars temperantiæ, 1420, 1.
Contineri formaliter, eminenter, virtualiter, 426, II. — *Gratia* quomodo continetur in Sacramentis, 1477, 2.
Contractus matrimonialis in fieri est ipsum sacramentum, 1906; nulla realis distinctio inter contractum et sacr., 1907, I; qua ratione subditur potestati civili, 1946. Cf. **Matrimonium.**
CONTRITIO: def., 1757; essentia, 1758; materia essentialis sacr. Pœnitentiæ, 1751 ss.; qualitates contr., 1759; perfecta, imperfecta, 1760; quomodo necessaria, 1761; quomodo requisita ad remissionem venialium, 1762; perfecta semper justificat, 1763; attritio ex metu gehennæ, 1764; sufficit in sacramento, 1766; amor initialis in attritione, quid, 1767. — *Attritio* ut sufficiens, magnum signum divinæ bonitatis, 1768.

Actus contritionis in sacramento, qualis esse debeat, 1769; quomodo externe manifestatur, 1770; an præcedere absolutionem, 1771; an elici in ordine ad Sacr., 1772; unio inter actum contrit., et absolutionem, qualis, 1773. Cf. **Pœnitentia.**

Conversio: gratia sufficiens ad eam non datur quolibet momento, sed pro tempore et loco, 1182.

Conversio substantiæ: accidentalis, substantialis, 1603. Cf. **transsubstantiatio.**

Cor Jesu: ejus adoratio impugnata a Jansenistis, 991. — *Objectum* hujus devotionis, 992; motivum, 993; liceitas, 994.

CORPUS MYSTICUM, 965 ss.; est Ecclesia, 198, 966, 967; ejus caput Christus, 968, 970; secundum naturam humanam, 969. Membra corporis mystici, 971; unio Christi cum Ecclesia, vera et realis, 972; gratia capitalis Christi, quæ, 973.

CORPUS *mysticum diaboli,* 974; adversatur corpori Christi, 974, 1, 4; ejus caput diabolus, *id.,* 2.

CORPUS ECCLESIÆ, 203 ss.; quinam ad illud pertinent, 205, ss.

CORPUS *pastorum* infallibile, 248, 3.

CORPUS *Christi* in Euch., sine quantitate externa, 1639; non distat a seipso, 1641; in pluribus locis simul, 1612, 1641. — *Cf.* **Eucharistia, præsentia realis.**

CORPORA obediunt Angelis ad nutum quoad motum localem, 737.

Corredemptrix, est B. V. Maria, 1097 ss.

Corroboratio facultatum per gratiam excitantem, 1129, 2; 1216; 1224. — *Corroboratio infirmi,* effectus Extr. Unctionis, 1840.

Cosmogonia mosaica, 660 ss.

Creatio: def., 640; active, passive, 641; est solum subsistentium, 642; requirit potentiam infinitam, 432, III; solus Deus potest creare, 648; creatio mundi facta a Deo, 644 ss.; quomodo conciliatur cum Dei immutabilitate, 442; an omnia ex nihilo creata, 646; creatio ab æterno, an possibilis, 649; an sit propria alicujus personæ, 647; appropriatur Patri, 636, II.

Finis creationis, 650 ss.; finis Dei creantis, 651 ss.; operis producti, 653, 654, 656, 658.

Creatio novæ materiæ in corruptione specierum eucharist., 1635.

Creatura: sub quo respectu consideratur a theologia, 638; nulla immutabilis, 441; nec infinita, 433, II; nec stricte æterna, 445, III; nulla per se homini nociva, 657; corporalis propter hominem facta, 656; quælibet enarrat gloriam Dei, 655; an possit creare instrumentaliter, 648, 3.

Criteria revelationis, quid, 71; eorum necessitas, 72; intrinseca, extrinseca, etc., 73; cf. **Revelatio, miraculum, prophetia.**

Crudelitas nulla apud Deum, ex eo quod multos sinit perire, 1191.

Crux Christi: quomodo colenda, 995; ejus efficacia ad fugandos dæmones, *id.,* 2; præcedet judicem in ultimo judicio, 2013. — *Mors Christi* quomodo conveniens in cruce, 1007.

Cultus: def., 44, 986; species, *id.*; necessitas cultus interni et externi, 47.

Cultus Christi humanitati deferendus, 989 ss.; cultus Christi in Eucharistia, 1623; Eucharistia adoranda cultu latriæ 1625; an species eucharisticæ adorandæ, 1626; cf. **Cor Jesu, Crux.**

Cultus Sanctorum, 997 ss.; reliquiarum, 1002; imaginum, 1003 ss.

Custos Angelus: homines custodiuntur ab Angelis, 744 ss.; quilibet a suo proprio, 746; nullus unquam totaliter deseritur, 748. — *Custodia* incipit a nativitate, cessat in morte, 747; an regna et provinciæ habeant custodem, 749.

Officia Angeli custodis, 750; e quonam sunt ordine, 751; non cognoscunt sortem futuram hominum, 752; officia hominis erga custodem, 753.

D

